Ex Bibliotheca Equitis
Antonj Francisci Marmi
Donum Autoris

Ex legat. D. Equitis Antonii
Francisci de Marmis


VITÆ
VIRORUM
ILLUSTRIUM
FOROLIVI:
ENSIUM

GEORGII VIVIANI MARCHESII

Equitis Ordinis S. Stephani

VITÆ

Virorum Illuſtrium

FOROLIVIENSIVM

AD REGIAM CELSITVDINEM

IO: GASTONIS MEDICES

Magni Hetruriæ Ducis.

Foroliuij ex Typographia Pauli Syluæ ,
Impreſſoris ſumptibus , & Superiorum permiſſu.
Anno MDCCXXVI.

Magl. 1. 6. 225

Digitized by Google

Inuictiſſimo

ET POTENTISSIMO PRINCIPI

IOANNI GASTONI MEDICEO

Magno Hetrurię Duci VII.

GEORGIVS VIVIANVS MARCHESIVS

FELICITATEM.

A Typis prodit, inuictiſſime Princeps, Opus luce, ac perennitate dignum, ſi argumenti nobilitas, tenebris verò, & interitu, ſi rude ſcribendi genus conſideretur. Vt autem in Æuum viuat, & ſplendorem, quo caret, conſequatur, ad V. R. C. patrocinium confugere, & Operis frontem ornare Sereniſſimi veſtri nominis claritate auſus ſum. Patriæ enim Charitas, quæ vehemens eſt, & cuncta ſuperat impedimenta, vim animo, corporique dedit, vt deſpecta virium mearum imbecillitate

cillitate, celebrium Scriptorum veſtigia ſectari minimè dubitauerim: priſca quoque Maiorum, & mei ipſius recentia ergà vos, & Regiam Domum veſtram obſequia, me ad exerendum ſub immortalibus auſpicijs veſtris hunc qualemcumque láborem incitarunt, ea potiſſimum fiducia ſuffultum, non fore magnitudinis veſtræ præſidium, & Operi, & Auctori defuturum. Siquidèm haùd obſoleuit memoria Georgij Aui mei intèr Nobiles Mediceæ Aulę à Coſmo II. felicis recordationis deſcripti, & varijs beneuolentiæ, & honorum incrementis à regijs Deceſſoribus veſtris exornati. Hic optabilis ſeruitutis nexus, eo à viuis ſublato, nequaquam ſolutus eſt, ſed Sigiſmundum Patrem, qui Coſmo III. magnanimo, & potentiſſimo Genitori veſtro Supplementum Hiſtoriæ Foroliuienſis obtulit, & tandèm Andream, & me Germanos, Inclyti veſtri Ordinis S. Stephani (cui Summus Magiſter glorioſè præſidetis) Cruce inſignitos mancipauit. Tot ſanè incitamenta ſicut vincere tarditatem ingenij mei, & ad exhibendum Vobis, hoc venerabundi animi vectigal vrgere potuerunt, ità & munificentiam Veſtram commouebunt, vt me de hoc inſtituto meo iure metuentem, vnà cum opere ſub tutela excipiatis, quemadmodùm enixè rogo, & ſpero futurum. Interea Deum Optimum Maximum precari non deſinam, vt V. R. C. ad Hetruriæ felicitatem, quam ſicùt Principum noſtri temporis exemplar, & typus ſumma æquitate, & clementia gubernatis, ad Italiæ decus, & Literarum gloriam, quas velùt Męcenas, & Parens amatis, fouetis, ac effertis, diù ſoſpitet, atque fortunet.

PRÆFA-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

ME ad ſcribendum vrgent, Amice Lector, & recordatio ſponſionis iampridèm factę in Epitome impreſſa Hiſtoriarum Foroliuij apùd Fabrum, & Lugduni Batauorum apùd Vuander Aa, & incompertæ Scriptoribus noſtris Paulo Bonolo, ac Sigiſmundo Marcheſio, & forsàn perituræ Reliquiæ Antiquitatis, quę ſecretiora monumenta conſcienti feliciùs patuerunt. Opus in tres libros, & in viginti Sectiones partiar, nè genera diſciplinarum miſceantur, ac tot, & tàm varia Virorum geſta in lucem, ordine incondito, & velùt tumùltuario emergant. Primus liber exponet Liuienſis Imperij Simulacrum, & poſterioris ætatis caſus, in qua mutatis vicibus humanarum rerum, potentia defecit; ſed Heroum Foroliuienſium gloria nouis honorum ſplendoribus inualuit: Mòx aliorum virtutes, qui vitæ innocentis norma; aliorum gradus, & laudanda facta, qui ampliſſima Sacerdotia, & Eccleſiaſticas Dignitates obiere. Alter doctorum Hominum memoriam ſuſcitabit, & Operum argumenta pandet, quę aut pręlis excuſa prodierunt, aut in arcanis pluteis relicta, vnanimi Sapientum deſiderio, & miſeratione tumulantur. Poſtremus tandèm liber Viros recenſebit, qui Pręfecturis, & Imperijs belli, ac facinoribus intèr ancipites conflictus actis, nomen nunquàm interiturum meruerunt. Nè tamèn in ambigua labores fide, omnia Scriptorum teſtimonijs, authenticis tabulis, & priſcis M. SS. confirmare ſtudui. Ea autèm tantùm nullis comprobationibus ſuffulciam, quę ab Hiſtoria Foroliuiana Bonoli, & à Supplemento ad Hiſtoriam Marcheſij

cheſij perhibentur, nè te moleſtis, & iugitèr repetitis auctoritatibus fatigem. De multis arctiùs fortè ſcribam, quàm oporteret non ob inopiam meritorum, ſed ob difficultatem rerum, quæ ſeù veterum deſidia perierunt, ſeù recentium deliteſcunt; nec de illis, qui in mortalium conſortio verſantur, prolixa Oratione fungar, cum non ignorem, eorum modeſtiam laudibus quamuis iuſtis aduerſari. Cęterùm ſi haùd pauca Patriæ, & nobilium Stirpium monumenta, quæ me latuerunt, ſilebuntur; non hæc inurenda eſt nota votis meis, ſed ijs potius, qui à domeſticis parietibus abditas membranas elicere, & cępta Scriptoris fortunare neglexerunt. Interìm lege, & errata, in quæ paſsìm offendes, benignè excuſa.

PROTESTA-

PROTESTATIO AVCTORIS.

CVm glor. recor. Vrbanus VIII. Pont. Max. Decretum promulgauerit in Sac. Congregatione vniuerſalis Inquiſitionis coràm ſe habita die 13. Martij an. 1625., approbatum deinde in altera die 5. Iulij an. 1634., quo varia circà impreſſiones Vitarum, aùt Sanctorum Hominum, aùt Venerabilium præſcribuntur; Cùm inſupèr idem Pont. Maximus die 5. Iunij anno 1631. ampliori declaratione ipſum Decretum expoſuerit, nè ſcilicèt à typis egredi permitterentur Elogia Sanctorum, & Beatorum abſolutè, quæ ſupèr hominem caderent, ea verò quæ ſupèr mores, & opinionem ſanctitatis in terrarum Orbe paſsim relictam, excudi minimè vetarentur dumodò in frontibus Operum Scriptor ſolemni proteſtatione aſſereret, & profiteretur nullum robur à S. R. Eccleſiæ auctoritate conſequi, ſed fidem eorum omnium penès Auctorem remanere: Huic propterea Decreto, Confirmationi, & Declarationi, ea qua decet obſequentiſſimum filium, & ſubditum S. Sedis reuerentia obtemperans, ex animo proteſtor omnia in his Vitis deſcripta, nèc ſecùs accipere, nèc vt à legentibus accipiantur velle, quàm illa, qua ſolent hiſtoricæ narrationes forma, humana dumtaxàt fide ſuffultæ, non autèm infallibili, ac ſuprema Romanæ Eccleſiæ auctoritate. Hanc demùm Proteſtationem totiès repetitam intelligo, & in quacumque Operis parte, quotiès ſigna, & res ordinem naturæ ſuperantes memorari contigerit.

Paren-

P*Arendo mandatis Illuſtriſſimi , & Reuerendiſſimi Domini , D. Thomæ Torelli , Epiſcopi Foroliuienſis , & Aſſiſtentis Solio Pontificio , euolui , & ſedulò perſcrutatus ſum Librum , cui titulus -* Vitæ Virorum Illuſtrium Foroliuienſium - , *acri ingenio , & multimoda rerum notitia elaboratum a Nobili Viro ,* Domino Georgio Viuiano de Marcheſijs , Patritio Foroliuienſi , & Equite Militaris Ordinis S. Stephani : *Cumque in eo euoluendo , & perſcrutando nihil deprehenderim , quod bonos mores offendat ; aut Ortodoxæ Fidei noſtræ , Sacris Canonibus , Apoſtolicis Conſtitutionibus , Sacrarumue Decretis Congregationum aduerſetur : Quinimò ſuſpexerim optimi Ciuis pietatem egregiam in Patriam , mirumque ſtudium in Conciues Illuſtres ; quorum Imaginibus vehementiſſimè ſibi animum ad virtutem accendi , Q. Maximus , P. Scipio , alijque Romanæ Vrbis preclari Viri dicere ſolebant , teſte Saluſtio in Iugurthino ; hinc proindè exiſtimo quamlibentèr poſſe concedi , vt pro bono publico in publicam lucem edatur , ſi ad quos ſpectat ita viſum fuerit : In quorum &c.*

Foroliuij hac die 15. Maij 1725.

Marcus Antonius Albicini I. V. D. , & Patritius Forol. ſcripſi , & ſubſcripſi manu propria .

Attenta Atteſtatione prædicta Imprimatur

THOMAS EPISCOPVS FOROLIVIEN.

De Man-

DE *Mandato Admodum Reu. Patris Magiſtri Fr. Vberti Viali Vicarij Generalis S. Officij Prou. Romandiolæ attentè perlegi Opus inſcriptum* Vitæ Virorum Illuſtrium Foroliuienſium, Auctore Georgio Viuiano Marcheſio Patritio Foroliuien. & Equite Ordinis S. Stephani, *& in eo nihil inueni contra Fidem, & bonos mores, claram autem elocutionem, ac ſummam eruditionem animaduerti: & quod præſtantius eſt, multa Heroum Nomina, eorumque præclara geſta, quæ in tenebris obſcuriſſimæ obliuionis latebant, deprompta, atque pluribus auctoritatibus confirmata eſſe perſpexi; vnde magis elucent Auctoris Illuſtriſſimi Labor, & Ingenium. Itaque vt Typis mandetur, dignum cenſeo; ſi ita videbitur &c. Ex Ædibus Congregationis S. Philippi Nerij Foroliuij hac die vigeſima octaua Martij 1725.*

Ioannes Baptiſta Zampiga eiuſdem Congregationis Sacerdos manu propria.

Attenta Supradicta atteſtatione Imprimatur

F. Io: Baptiſta Petrucci Prouicarius S. Officij Foroliuij.

DE FORO-

LIBER PRIMVS
DE FOROLIVIO
CAPVT I.

HÆc Vrbs à ſtrenuis magnanimiſque Viris M. Liuio Salinatore initium, C. Liuio incrementum ſumpſit, vt præter Scriptorum teſtimonia, ipſe ſonitus nominis, operis, & Auctoris memoriam exprimentis, ſatis docet. (1) Marcus poſt victas apud Metaurum Flumen Pęnorum acies, ad imperium Orbis Terrarum aſpirantes, cum Galliæ Togatæ Prætura, neque tumultibus, neque bellorum curis agitata frueretur, anno Almæ Vrbis 545. Forum, & Baſilicam ad Montoni ripas excitauit, in qua ius diceret, & Populorum, ac Militum diſſidia terminaret. Caius, cum M. Valerio Meſſala Conſul, cui hæc Prouincia obuenit, conſtructis domibus, ad inſtar Vici, & Incolis ex forti Quiritum ſobole accerſitis, ac ſelectis, Forum intèr anguſtos limites erectum, valdè amplificauit. Sic à duobus Liuijs Marco conditum, & Caio auctum, breui ad nitorem, atque frequentiam inſignis oppidi peruenit; cum præſertim finitimorum complures antiqua domicilia deſtituerent, vt hùc ſedes ſuas cum liberis, & fortunis aſportarent. At fęlicitatem recentis municipij flebile infortunium interrupit; etenim cum iſtud, cæteras Regionis Ciuitates imitatum, partes Marij ſequeretur, illarum conſors ſicut per-

(1) *Plinius in Regione 8. - Valerius Probus in Tract. de Notis Rom. - Antoninus in Itinerario - Ptolomęus in Geographia lib. 3.*

tinaciæ, ità & calamitatis fuit. Quarè miſerandum in modum à Syllanarum rabie deſolatum, per poſteras ætates iacuit, ędibus partìm igne abſumptis, partìm ſolo æquatis; vt pauca primæ ędificationis veſtigia ſuperfuerint. His tandèm Domibus reſtitutis longè meliori ſtructura, & arte, optimi Ciuis Gn: Cornelij Galli induſtria, qui in ſummum locum Cęſarei fauoris aſcenderat; & etiam Liuiæ Druſillæ ſtudijs, quæ ortum & ſanguinis claritatem ſe traxiſſe à generoſa Salinatoris ſtirpe meminerat; vt Octauianus propterea Vxoris votis, & Amici precibus indulgens inſtaurari, ampliarique Forum iuſſerit; negociumque enixè procurandum Clodio demandauerit. Quamobrem iſte euerſis vicinis Caſtris Liuię, Caſtelli, & Merloniæ, ex eorum ruinis, & cęmentis Forum in grandioris, & ornatiſſimæ Ciuitatis formam redegit, ac concluſit. Ibi quatuor Populi ſub ijsdem męnibus, & inſtitutis municipalium legum conuenerunt, perennis concordiæ, & vnanimitatis nexus mutuis connubijs confirmantes. [1] Paruit Forum Reipublicæ, & Romano Imperio, donèc potentia principis Italiæ Populi in obſequio continuit nationes cunctas; ſed poſtquàm decidere, & infirmari cępit, Liuienſes Cæſarum permiſſu ſe in libertatem extulerunt, certam pecuniæ vim, & ſubſidiarios milites in annuum vectigal, & inſurgentibus bellis perſoluentes. Sui iuris facti, fęlices dies traduxerunt vſque ad ætates Herulorum, &

[1] *Leander Albertus in Deſcrip. Ital. Reg.* 14. - *Franciſcus Scottus in Itiner. Part.* 1. - *Alexander Paduanus in Chron. Forol. p.* 2. *n.* 5. *M. S.*

Oſtro-

Oſtrogothorum, quorum alij Reges priuilegia ſeuerioribus edictis coarctare, alij in duram ſeruitutem redigere Ciues, licèt alieno iugo inſuetos decreuerunt. Mox imperia coluere Exarchorum, & Longobardorum Regum inter viciſſitudines ferè æterni belli, quibus obnoxia Flaminia fuit; ſed tandèm deleto ferocis, & potentiſſimæ Gentis Regno, dum Carolus Magnus imperauit, & qui proximè ſecuti ſunt, periculorum expers conquieuit. Anno demùm 889. à mortalibus migrante Carolo Craſſo, cum ità gallicum nomen in Italia declinaſſet, vt à Populis contemneretur; Forolivium, aliarum Vrbium exemplo, veteris libertatis memoriam reuocauit. Tunc accenſis animis Foroliuiani, qui ſub prioribus ęrumnis obtorpuerant, agri confinia protulerunt, quotiès fauentem ſuis rebus ſortem nacti ſunt; qua ſimùl, & virtute dilatatis finibus, à ſublimi cacumine Apenninorum Montium ditionem propagarunt vſque ad Adriaci Maris littora; Ciuitatibus, Opidis, & Caſtris omnibus ſubactis, quæ inter Alpes, ſuperum Pelagus, Maticlam flumen, & viam Flaminiam, continentur. [1] Hæc præſertìm incrementa ſub tutela Friderici II. contigiſſe memorantur, qui inconcuſſam amici Populi fidelitatem purpurea Senatorum veſte, cudendæ pecuniæ facultate, & Aquilæ nigrę inſignibus penſauit. [2] Tanta proſperitate rerum adeò robur animorum in Liuenſibus confirmatum

[1] *Flauius Blondus Decad.* 2. *lib.* 7. - *Leand. Albert. Reg.* 14. - *Hieron. Rubeus in Hiſt. Rauen. lib.* 6.

[2] *Angelus Aretinus Conſ.* 133. *n.* 11. - *Card. Tuſcbus Tom.* III. *Concl.* 412.

eſt, vt ſuſtinere ingentium bellorum diſcrimina non dubitauerint. Anno igitur 1243. Venetos, dominio vniuerſæ Ditionis inhiantes, commiſſa pugna diſſiparunt, quamuis funeſto victoriæ fine; nam Ceruiam cum diuitibus Salinis perdiderunt; & anno 1275. Bononienſes, terribili apparatu, ipſis vel ſeruitutem, vel excidium minitantes, cruentiſſima clade (octo ſiquidem millia obtruncati referuntur) profligarunt. [2] Tunc iſtorum Reſpublica tantum potentiæ amiſit, quantum victrix acquiſierat; & ſubditæ, ac fęderatæ Ciuitates, perterritæ Dominantis infortunio, ab illius fide, & obſequio defecerunt. Hanc fęlicitatem ægrè admodum cernentes Florentini, tumultuario delectu habito, Foroliuienſium dominium adorti ſunt; qui nec iniuriam ferentes, nec deſpondentes animos, non ſolùm abalienata caſtra, fęlicitèr collatis ſignis, domuerunt; ſed hoſtibus trans Alpes deturbatis, Ciſapenninam illis ditionem abſtulerunt. [3] His fauſtis ſucceſſibus alacriores, & in conſilio defendendæ libertatis obdurati, Martini IV. imperata contemnere, & præliari cum Pontificijs auſi ſunt; Duorum propitereà Guidonum, Feretrani ſummi Ducis peritia, & aſtu, Bonatti Aſtronomi promiſſis fęlicem ſtellarum aſpectum oſtendentis, introductos in Ciuitatem Gallos, & exinopinatò circumuentos, vbique trucidarunt, vt pauci ex illis atrocis conflictus, & occidionis teſtes eſſe potuerint.

(2) *Iacob. Philip. Bergomen. in Supplem. lib. 6. - Bartholomæus Platina in Vita Gregorij X. - Ioan. Tracagnotta in Hiſt. Mundi part. 2. lib. 14.* -

(3) *Hieronymus Rubeus lib. 6.*

rint. (1) At cum ſe impares tam graui bello intuerentur, auſus pęnitentia tacti, ad Martini clementiam confugerunt. Verùm Pontifex, qui de inconſtanti, & ſtudioſiſſimo libertatis Populo pertimeſcebat, illum perpetuis velut frænis cohibere, euerſo murorum ambitu decreuit, ne iterum ſeditioſos ſpiritus reſumens à S. Sedis obedientia refugere, & nouos conflare tumultus poſſet. At ſenſim recedentibus Flaminijs ab Eccleſiæ Romanę dominatu, & Rectorum auctoritate comminuta, Marcheſius Arguliosus an: 1313. Pontificiorum auxilijs fretus, ſibi aſſeruit Ciuitatis Regnum, ſed parum duratura ſorte; etenim non diù poſt ab Ordelaphis eiectus; infęlix ſpecimen humanæ inſtabilitatis, dies ſuos clauſit. Hi per ſequentes ætates intèr euentus modò proſperos, modò aduerſos, vt res mortalium ſolent, laborantes, Patriam Imperio ferè non intermiſſo tenuerunt; Quibus poſt Riarios, & Borgiam, à naturali ſubditorum amore ad Principatum reuocatis, & rurſum ab Eccleſia pulſis, ac tandèm Rauennæ extinctis; an: 1504. Foroliuium ad priſcam fidem Summorum Pontificum acceſſit, in qua poſterioribus æuis, ſingulari conſtantia perſeuerans, diuitijs, & nouarum ædium ornamentis, que ſunt longęuæ pacis fructus, nitet in dies magis, ac floreſcit. Iacet Ciuitas in amena planicie, à montibus ad meridiem, & à

(1) *Dantes in Inferno cant.* 27. - *Fatius Vbertus in Ditamundo - Ioan. Villanus in Chron. lib.* 7. *cap.* 81. - *Platina in Vita Martini IV.* - *Vldericus Rainaldus in Continuat. Annal. Baronij ad annum* 1282.

Mari ad Septentriones interrupta. Salubris aer, fęcundum ſolum, & illimes aquæ ità Regionem beant, vt res nulla Incolarum neceſſitati, & fælicitati deſiderari videatur. Totus ferè ager in ęquor lætæ telluris aperitur, & in paucos aſſurgit colles, antequam iſti lenitèr ſuccreſcentes, in confragoſas, & Alpibus propinquas cautes aſperentur. In eo ſicut ſegetes, & mira rerum cunctarum copia; ità in his, & deſcendentibus in planiciem cliuis generoſa vina, & ſuauiſſima poma generantur. Agro Diſtrictus confinis eſt, qui montanam, & minùs vberem tellurem claudit, magis frugibus, quàm triticis gignendis aptam; vbi caſtra Petræ Appiæ, Flumanæ, & Arcis Elmicis Senatui Foroliuiano obtemperant, à quo Prætores, & iura accipiunt. Rigant, & feraciores reddunt Diſtrictum, & Agrum Montonus, & Ronchus, antiquitùs Vitis, Amnes, qui à lateribus Apenninorum Tiberi, & Arno oppoſitis ſcatentes, mixtis riuorum, & torrentum aquis, alter ad occidentem Solem męnia Ciuitatis lambit, alter præterfluit ad Orientem; & demùm prætergreſſa Rauenna iunctis alueis, vno oſtio in Adriacum labuntur. Foroliuium modò vallis, & muris antiquę ſtructuræ obſeptum, interiùs circuit milliaria Italica tria, & ampliùs, exteriùs verò quatuor; Totidem portas habet, & olim octo, munitionis cauſa occluſas, numerabat. Arces iam ad eius ſecuritatem excitatæ, Raualdina ad montes à Pino Ordelapho egregijs ſæptis, & propugnaculis munita; Sclauonica ad litus Montoni fluminis erecta à Cardinali Balthaſarre Coſſa, quieſcentibus ob diutinam pacem armis, in ſe cadentes, tumulantur. Vrbs erat admodùm frequens,

cum

cum libertate frueretur, & Ghibellinæ ſectæ ſtudioſos exciperet, ac confoueret; ſed alienæ poteſtatis facta, decreſcente paulatìm Ciuium numero, & deniquè ob horrendam luem penè deleto, multum veteris frequentiæ amiſit; vt nunc dilapſis artibus, & nimis aucto luxu, quindecim millia non excedat. Ædificijs publicis, & priuatis fulget, iucundis, latiſque vijs, quæ dant aditum ad maius Forum, ex maximis Italiæ, ob vaſtitatem ſinus iudicandum. Hìc Magiſtratuum duorum ſedes, Alter dicendæ Iuſtitiæ, Alter ſeruandæ Ciuilis Pacis. Primum enim conſlant centum, & octo Conſiliarij, è quorum cętu Conſeruatores, bimenſis imperium ſortiti, ſub pręſcriptis legibus Ciuitatem moderantur. Alter conſtat Nonaginta Viris, qui ſimultates, & odia extinguunt, priuſquàm inualeſcant; nè Maiorum diſſidia, quę tandiù infęlicis Patriæ aſpectum cruentarunt, in animis Iuuentutis renaſcantur. Hi ſępè communem maieſtatem copulantes, ab ędibus Senatorijs prodeunt, intèr Cateruam Haſtilipherorum; anteuntibus timpaniſtis, tibicinibus, famulis, & clauarijs, qui argenteas clauas cum glorioſo Aquilarum Inſigni geſtant. Epiſcopatus vſque ab Eccleſię primordijs inſtitutus, fama SS. Antiſtitum Mercurialis Senioris, & Iunioris celeberrimus euaſit; & ſequentibus etiam ſęculis eluxit, à munificentia Cęſarum ornatus dominio oppidorum Culmani, & Caſtri Leonis, Maſſarum Domezani, Saturani, Patergnuni, S. Laurentij in Nuceto, & Auerni; (1) quod tandèm inter ęru-

(1) *Ex Diplom. Friderici II. Dat. Cęſenę ſub an.* 1177.

mnoſas

mnoſas antiquorum temporum viciſſitudines amiſit. Hæc Vrbs interdùm Flaminię vniuerſę iura dedit; etenim in illa Neapoleo Vrſinus, ac Ægidius Albornotius, Cardinales Ampliſſimi, & Pontificij Legati; Dominicus Capranica, & alij Pręſides, Sedem, & Tribunal poſuerunt. His ſatis expoſita priſca, & recenti gloria nobiliſſimæ Patrię, ad Vitas Virorum Illuſtrium procedam.

DE SANCTIS, ET BEATIS.

CAP. II.

DIVI GRATVS, ET MARCELLVS.

EXordiar Sanctorum Vitas à Leuitis Foroliuienſis Eccleſiæ GRATO, & MARCELLO, qui D. Mercurialis documenta ſequi, & Chriſtianas virtutes æmulari contenderunt. Alios enim concionibus, alios ſignis à cultu mendacium Deorum ſuauitèr abductos, Sacra baptiſmatis lympha, à ſuperſtitioſis inquinamentis expiarunt. Siquidèm aut ſuper ægros manus imponerent, vitia corruptę naturæ medebantur; aut ſuper obſeſſos, à cruciatis membris Dęmones exterminabant. Erat Gratus Epiſcopij Pręfectus, ſed pecunias pia oblatione Fidelium in Arcam nūmariam congregatas, tàm effusè egenis largiebatur, vt non ſemèl Familia Epiſcopalis caritate omnium rerum laboraret, cui tamen in ſummis anguſtijs (vt ſolet) conſulebat Deus. Inter hæc exercitia perfectionis ambo, humiles, ſobrij, & miſericordes innocen-

tem

tem vitam traduxerunt; ſed antequàm eam clauderent, maioribus prodigijs claruerunt. Hic latebat in ripis Vitis fluuij, apud recentes Ronchi, terribilis, & magnus Draco, anno Reparationis noſtræ 364., in paluſtribus agris Pozzecli ruris ortus, vndè erumpens ſępè habitatores, & prætereuntes flumen aggrediebatur, & virulento halitu enecabat. Cum fama funeſtarum cędium Liuienſes, & Pompilianos Pagos commoueret; DD. Mercurialis, & Ruphillus Epiſcopi conſtituerunt Populos à præſenti periculo, & ab aſſultu ferocis Belluæ vindicare; Deique omnipotentis auxilio freti eam adoriri. Certa dies, & hora inauditæ pugnæ dicta eſt; ad quam ſupplices, nullis muniti armis, propinqui Cleri conuenirent. At Mercurialis ſuorum ſtimulo excitatus, antè præſcriptum tempus maturauit; nec expectato Ruphilli aduentu, (nàm moras haud tulerunt communia Vota) cum ſacratis Viris genuflexit. Tùnc Serpens à latebris emerſit, ſibilis horrentibus, & exerta lingua in Præſulem, & multitudinem circumſtantem fremens; ſed ex inopinatò in ſuum guttur procidit, mirabilitèr extinctus. Quo portento Gratus fiducia plenus, ſtola deuinxit ſquamoſum caput; & Draconem in puteum proiecit. Verùm tanta vis fuit fluentis in terram ab ore Belluæ, & aerem inficientis tabi, vt Gratus amiſſa oculorum luce, ſe ſtatìm carere viſu conclamauerit. Marcellus, qui non longè aberat, commiſeratus ſodalis infortunium, ei tenebroſa lumina deterſit ſputo, & reſtituit videndi facultatem. (1) Hanc tamèn Liuienſis Cleri, Populique hilaritatem in-

(1) *Petrus Damianus in Vita S. Mercurialis.*

B terrumpit

terrupit ſerus Ruphilli acceſſus, qui cum ex condicto conſors eſſe glorioſi in Domino conflictus exoptaret, parùm abfuit quin cum Mercuriali quereretur, niſi Liuienſium impatiens feſtinatio culpanda veniſſet; cui prouidentiæ Ruphillus non ęgrè acquieuit, & Mercurialem complexatus, coniunctiſſimæ charitatis argumenta dedit, & accepit. Iſte autèm cum affinem Epiſcopum, iam diù cupientem addere Eccleſias S. Martini in Lauacro, & S. Caſſiani in Caſſidico, ſuæ Dięceſi deprehendiſſet; eas à Foroliuienſi regimine diſtractas, Pompiliano copulauit. Quarè amicitiæ nexu nouis amplexibus, & oſculis arctiùs firmato; Præſules ad oſtium putei, in quo Draco præcipitatus fuerat progreſſi, ibi ad æternam memoriam rei, lapidem cum inſcriptione miræ victoriæ poſuerunt. [1] Poſt hæc portenta SS. Leuitæ non diù in hac caduca vita conſtiterunt, præcoci exitu ad immortalem accerſiti. Mercurialis eorum corpora in D. Stephani extrà muros, intrà arculas ex ære conditas concluſit, & piè collocauit. Huic Templo poſterioribus ſęculis SS. Mercurialis, & Grati nomina indita ſunt, ſed alterum, primo tantùm ſuperſtite obſoleuit. Cum verò Alexander Foroliuienſis Antiſtes opimis prędijs, & Sacerdotijs Abbatiale Cęnobium ditauiſſet, vt pagina Conceſſionis narrat, *Amore Dei, ac BB. Mercurialis, & Grati Confeſſorum Christi*, (2) non abs ſe creditur Geruaſium Abbatem ſacris reliquijs Alexandrum donauiſſe, quæ in S. Crucis repertæ ſunt, Richelmo Liuianam ſe-

[1] *Ex Chron. latina Anonymi M. S.*

(2) *Ex Priuil. Epiſcop. Dat. 9. Auguſt. an:* 1160.

dem

dem obtinente, anno 1263., in Arca D. Valeriani, cum Epitaphio ſuper lamellam plumbeam inciſo, vbi legebatur- HIC REQVIESCVNT IN PACE CORPORA BEATORVM CONFESSORVM GRATI, ET MARCELLI QVI DOMINI VESTIGIA SVNT SECVTI. -A tergo autèm- BEATI MERCVRIALIS HVIVS CIVITATIS EPISCOPI FVERVNT DISCIPVLI, DVMQVE VIXERVNT EIVS SANCTAM VITAM SECVTI SVNT. -(1) Feſta vtriuſque dies in XIII. Cal. Martij indicta eſt, qua aùt Gratus, aùt Marcellus in ſupernam Patriam migrauit..

DIVVS VALERIANVS.

DIV. VALERIANVS Foroliuij intèr auita Maiorum ornamenta, & opulentam Domus fortunam natus eſt. Puer adhùc cœpit ſanctè, integerrimèque viuere, ac ſocios literarij ludi, velùt Præceptor, magìs exemplis, quàm verbis erudire.. Adoleſcens factus, cum iàm ab humanis Parentes abijſſent, præſtantiam Chriſtianæ perfectionis quæſiturus, familiares opes in alendis pauperibus profudit. Hac pia liberalitate, & meritis virtutum adeò Spiritus immundos terruit, vt nè aſpectum quidèm eius ferentes, & ad vocis imperia trepidantes, quàm ſæpiſſimè ab obſeſſis miſerorum mortalium corporibus euaderent. Inualeſcente rerum mirabilium fama, ob quam à multis laborantibus morbo, &

(1) *Ex rogit. Friderici de Podio* 4. *Maij an*: 1263.

energumenis Valerianus certatim petebatur, ad Vxorem Magiſtri militum, truculentèr à Dęmone cruciatam, fatigatus Vi[illegible] precibus acceſſit. Nonnulli hęreſim fouentes, Iuuenem ſecuti ſunt, vt viderent prodigium; & illum deindè, tamquàm magicæ artis reum, apud Patritios, & Populum criminarentur. Vbi Mulier acceſſum adoleſcentis nouit, extemplò in tellurem ſupina corruit, & crudeliùs ab Inuaſore vexata eſt: ſed ille porrecta manu iacentem extulit, & ſigno Crucis Spiritum fugauit. Hoc portentum in eum inuidiam, & odium improborum concitauit, qui de Catholicæ Religionis gloria, & incremento, pleni dedecore fremebant. Cùm itaquè hæc calumnia, qua Valerianus impetitus fuerat, nimis credulos Ciues decepiſſet, publico decreto pulſus eſt. Ille nec exilij pęna, nec fortunarum iactura fractus, iniuit iter, comite, ac duce de Cęlis Angelo, & varias Regiones peruagatus, in erèmo conſtitit ad radices montis, à quibus præterfluens ſcatebat amnis; nèc procùl indè ſenem, agellum ſarculantem nactus; ſe illi comitem laboris dedit, vt ſecum in ſudore vultus ſui veſceretur. Hìc quod ſuperfuit Valeriano tempus à cultura ſoli, in recogitandis ſupernis bonis, & diuexanda carne collocauit; quæ vitæ auſteritas, & inauditum genus morum tantam admirationem finitimis Incolis incuſſit, vt alij rudimenta Chriſtianæ diſciplinæ, alij ſalutem in difficilibus morbis recepturi ad eum confugerent. A Pagis ad Vrbes fama prodigiorum delata eſt; & opportunè ad Olybrium Senatus Principem deuenit, qui Filiæ cruciatus deplorabat,

iàm ab annis decem ſub dirà poteſtate Satanæ degentis. Ea antè Valerianum adducta, cũ Dęmon ab ipſo interrogaretur, cùr tanta ſæuitie Puellam agitaret; reſpondit ob vim effrænati amoris, qua impotentèr deperibat: ſed ad nutum iubentis fremens abijt. Haud diù poſt, Dei permiſſu, inter ſilentes tenebras in ſpecu delitentem, & effundentem preces horribili viſu territauit. Erupit ſcilicèt immanis Brutorum acies à ſinu amnis, ad inſulas Thraciæ dilabentis; dùm alia aduerſo flumine, truces, & inconditos emittens vlulatus, ad conflictum conuolabat. Per tres horas exarſit ferox pręlium; tandèm primæ, ſecundis efferè dilaceratis, velùt ouantes, in inſulas natatu traiecère. Hæc quæ nec eſſe poterant terribiliora oculis, nec ingratiora auribus, Valerianum pauore affectum penè exanimarunt. Adfuit tamèn ſummo mane Angelus confirmans deiectum eius animum, interpretatione nocturni viſus; Dęmones nempè ſub belluarum aſpectu, non belluas atrocem pugnam habuiſſe; ſpectraque illa, irruptiones barbararum Gentium in eas oras præmonſtrare: Diuinum conſilium eſſe, vt abſquè morà aliò demigraret. Sedatis illius trepidationis motibus, cęleſtem Nuntium affectatus, & longum tramitem emenſus, ſe redijſſe nouit in Liuienſem agrum. Nè tamen ex lineamentis vultus, licèt macie conſumpti, & torridi dignoſceretur; declinatis męnibus Ciuitatis, in nemoroſum locum ſe recepit. Ibi ex ramis, folijſque arborum tugurio condito, & cęno vndique illinito, domicilium poſuit, & nihil à rigidis vitæ legibus remiſit. At breui patuit Sanctimonia Viri finitimis Colonis, qui ad eum ſæpè ac-

cedebant, vt vel ſanitatem in annoſis morbis, vel in pellendis Dęmonibus, cum ab illis angerentur, impetrarent. Hæc vbi reſciuit Magiſter belli, ad nemus progreſſus eſt, vt proprijs luminibus inquireret, an fides narratis eſſet habenda. Tum illic fortè conuenerat Energumenorum turba, quæ inſtar auium ad verticem arborum conuolare videbatur, non quidèm humanæ agilitatis viribus, ſed intùs debacchantium ſpirituum impulſu. Commiſeratus periculum Magiſter, & timens nè illi, infęlicitèr præcipitantes necarentur, Valerianum obteſtari cępit, vt Dęmonum licentiam coerceret. Ipſe autèm fiducia plenus, in nomine Ieſu obſeſſis imperauit, vt eà, quà ad culmen arborum ſe tulerant pernicitate, incolumes ſtatìm deſilirent: Quod omnibus fauſtè, & iuxtà votum contigit, præterquàm fęminæ in ſtagnum aquarum delapſæ; à quo extracta, cum ab illis, qui caſum viderant, deferretur ad tumulum, à Valeriano ad vitam reuocata eſt. Obſtupuit vehementèr Ductor tot, & tantarum rerum magnitudine; & certiorem Leonem Cęſarem Orientis fecit; quem deindè magna inceſſit cupido videndi hominem, & alloquendi. Erat Leoni filius, olìm optimæ indolis, & magnæ expectationis, vt neque contingere ſibi melior natus, nec Populis optabilior Princeps poſſe videretur. Hìc dum acri ingenio Philoſophiæ rudimenta perpenderet, & ſpecularetur Theſes, in lacrymabilem dementiam incidit, ac deperdito prorſùs rationis vſu, velùt brutum ab Aulà perſæpè fugiens, in antris ferarum latitabat; atque non humanis, verùm ſylueſtribus cibis alebatur. Anxius, męſtuſque Pater, nihil intentatum prætermiſit,

termiſit, vt in Filio principem animi facultatem, inſanià mancipatam liberaret. Cum verò irritos eſſe omnes conatus, etiam eorum qui exorciſmis Eccleſię vtuntur, deprehendiſſet; deſperatis rebus, inconſolabili męſtitia cruciabatur. At poſtquàm audiuit, quæ de virtutibus, & ſignis Valeriani narrabantur, erexit animum, & ingenti ſpe refertus, tres delegit Viros ſpectatæ fidei, & auctoritatis multę, vt illum inuenirent, & duces in Regiam comitarentur. In Flaminiam igitur feſtinantes, impigrè luſtrauerunt ſolitaria loca, & ex aſpectus macie, ac villoſis indumentis, quibus operire corpus intellexerant, Valerianum dignouerunt. Expoſitis, auditiſque mandatis, ac deſiderio Cæſaris, ille cogitabundus pauliſpèr ſtetit; ſed Dei gloriam animaduertens, occultis cordis motibus acquieuit; & cum nuncijs conſcenſa naui, per Ægeum mare littoribus Byzantinis appulit. Obuiàm aduentanti Eremicolæ proceſſit Leo ad ſcalas auguſtalis ædis; ac poſt ſalutationem, & amplexus, luctu magis, quàm verbis miſerabilis filij reſipiſcentiam flagitauit. Valerianus econtrà Leonem monuit, vt erigeret proſtratum animum, nàm qui ſæpè infirma Mundi eligit, vt confundat fortia, quemadmodùm ſperabat, ſupplicationibus annuiſſet. Mòx Iuueni, ſtatìm magno omnium, & præſertìm Patris tremore ad ſolum concidenti, ſuppeditauit micam panis; qua fatuus guſtata, à pauimento incolumis ſurrexit, abeunte inuaſore Spiritu; ſtatimque ſenſibus ad officium reſtitutis, præſtantèr meminit, quæ antè dementiam in tenaci memoria repoſuerat. Obmutuit, & ſtetit hęrens Leonis lingua, quam commotus retardabat animus: ſed illo non diù poſt ſedato,

dato, (quamuis oculi ſatis loquerentur), collatum beneficium millies faſſa eſt. Cùm autèm Cæſar liberatorem Filij obteſtaretur, vt aurum, & dona quæcumque poſtularet; ille verò non terreſtrium, ſed ſupernarum opum auidus, cuncta detrectaret; miratus virtutem à communi appetitu mortalium abhorrentē, hoc heroicū repudiū coràm Aulicis ſuis prædicauit. Nec ſolùm in eo irreprehenſibilitatem vitæ miratus eſt, ſed raras prudentiæ, ſolertiæ, & ſtrenuitatis dotes; adeòut illum equeſtri baltheo inſignire, & cornu orientalis exercitus præficere decreuerit, vt hoſtes Romani Imperij, tùnc varias regiones inuadentes, hoc Duce compeſceret, & profligaret. Valerianus, ſuſcepto munere, & magis quàm armis, fretus orationibus, quibus nequeunt humanæ vires reluctari, Deo adiutore claras victorias adeptus eſt; & hoſtes fęliciter exterminauit. Quod intuentes plerique ex minoribus ducibus, & Chriſtianæ perfectionis tyrocinia audientes, ſancta æmulatione eius virtutum conflagrarunt. Varijs Regionibus Europæ, à iugo Barbarorum vindicatis, in Flaminiam redijt, ſub Gothorum tyrannide gementem. Erat Proconſul efferæ nationis Leo Baucius, Vir iuxtà crudelis atquè impius; nàm ſui iuris Ciuitates, & potiſſimùm Forumliuij, vbi habebat ſedem, Arriana perfidia vitiauerat. Valerianus Patriam liberaturus, in eum cohortes explicauit; Gothos obuiam venientes ſtrenuè retudit; & Vrbis obſidionem propè Montoni alueum inſtituit. Dùm vtrinque apparatus Defenſionis, & oppugnationis agerentur, Dei famulus in finitimum Liuiæ Pagum cùm Ducibus octoginta, ſilentibus tenebris ſeceſſit; vt more ſolito ſupernam opem implo-

implorareț. Res per fidiſſimos exploratores Leoni innotuit; qui in certam elatus ſpem victoriæ, ſi inermes, & incautos Duces oppreſſiſſet; in eos ſelectam militum turmam, ab oppoſita Ciuitatis Porta emiſit. Illi cum in mentis exceſſu Valerianum, & Socios nacti eſſent, illos adoriri, & interficere conſtituerunt; ſed iniquæ manus, quæ gladiorum ictus iàm vibrabant, in ipſo auſu exaruerunt. Quod poſtquàm intellexit furens Baucius, cum alia cohorte perditorum hominum ad deſignatum ab exploratoribus locum properauit; & ſcelus, Deo permittente, abſoluit. Etenim fortes Athletas orthodoxi cultus, in genua proſtratos, & ſenſibus abalienatos decollauit. [1] Nonnulli ex fidelibus perfectioris vitæ, qui tùnc preces ad Deum effundebant, per mirabilem viſum illorum animas martyrij corona decoratas, & velùt fulgenti agmine ad Cęlum euolantes ſuſpexerunt. Nè tamèn corpora vel ſupereſſent inſepulta, & auibus expoſita, vel fierent belluarum pabula, vel ab Arrianis vrerentur; ea in puteum merſerunt; quem demùm noſtra ætas eleganti Sacello circumſæptum videt, propè voluptatis ædes eruditiſſimi, & Patricij Viri Titi Taurelli, pio ejùs maiorum ſtudio. Nihilominùs haud defuerunt, qui euentus belli, mortiſque caſus variè ſcriberent, & poſteritati demandarent. Nec multò poſt oſſa ab aquis, ſub quibus latebant, eruta, & in rurali Fano à fidelibus erecto locata.

[1] *Leander Albertus in Deſcrip. Ital.*, *Reg.* 14.- *Ioannes Nadaſſi in An. cęleſti pag.* 81.- *Ex Chron. Antiquiſſ. M.SS. Anonymi.*- *Ex Chron. M.S. Alexandr. Paduani, ſub an:* 458.

ſunt. Verùm cum Patria anno 572. à Clephi Longobardorum Rege acritèr oppugnaretur, ad tutelam Ciuitatis (vt fama in vulgus excitata eſt) Valerianus à Superis deſcendit, & fulgida Sociorum turma, mœnia circùm diſcurrit: quo ſpectaculo Liuiani alacritatem animorum colligentes, eruptione facta, hoſtes metu occidionis iam proſtratos, in fugam præcipitem egerunt. Qua Sancti Ciuis defenſione, ab imminenti periculo Foroliuienſes liberati, ſolemni ritu glorioſos cineres, rure in Vrbem comportarunt; & in Arca marmorea, his quatuor carminibus ſuper ſtanni bractea impreſſis, venerabundi collocarunt.

NOMINE PRO REGIS CÆSA CERVICE SVPERNI --- HIC MARTYR RECVBO VALERIANVS EGO. --- ROMANIA SVIS CLARVM ME FOVIT IN ANTRIS: --- LIVIA CVM SOCIJS OCTVAGINTA TENET.

Hanc præterea inſignis beneficij memoriam ad futuras ætates tranſmiſſuri, communibus non ſolùm ſuffragijs, ſed ſtudijs decreuerunt, vt impoſterùm Reſpublica Sigillis cũ Valeriani Imagine vteretur, & annua argumenta publicæ exultationis daret; Profeſſores verò Illiberalium Artium, ei velut Patrono quotannis dona afferrent. (1) Mox feſta dies in IV. nonas Maij indicta eſt, qua aut ſalus Patriæ, aut Tranſlatio ſacrati corporis, aut Martyrij triumphus contigiſſe indicatur.

(1) *Ex Statuto antiquo manuſcripto Ciuit. Forol. lib. 1., rubr. 56. 59. & 60. Ex Statut. nouo lib. 1. rubr. 13.*

BEA-

BEATVS PEREGRINVS

BEAT. PEREGRINVS natus eſt anno 1265., Parentibus inclytæ nobilitatis Berengario Latioſo, & Flora Aſpina. Sumpſit adhùc puer à paterna ſtirpe; quæ factionis princeps, odia, & ſimultates Ciuium confouebat, ad eas quoddam, velùt hereditatis iure, incitamentum. Inter has curas miſerè adoleſcentiam traduxit, non iuuentutem, meliori vſui vitæ reſeruatam; etenim Martini IV. exercitu à Liuianis cruentiſſima clade profligato, cum Pontifex Maximus emollire obduratum Populum in propoſito tuendæ libertatis ferè deſperaret; D. Philippo Benitio æquandam rem commiſit. Hic Foroliuium petens, atque in concionem adſcendens, Ciues auertere à damnando conſilio niſus eſt. Sed cum nihil proficere verba comperiſſet, territare diris Eccleſiæ reluctantes cępit. At potiùs minarum contumelia laceſſitis, quàm proſtratis ferociſſimæ Plebis, & Nobilium animis; ipſe conuicijs oneratus, & verberibus, Ciuitate exceſſit. Nihilominùs licèt tàm malè habitus, Vir Sanctus Deum precari haud prætermiſit, vt ſontibus ſalutarem veniam, & Peregrino ſeditionis Auctori ſupernum lumen largiretur. Hac illuſtratus luce, nouit, & fleuit ſuperbus Iuuenis errorem; & ad pedes Philippi prouolutus, non priùs ſurgere voluit, quàm ab eo deſcribi in cętum tertij Ordinis impetrauiſſet. Hunc Pęnitentiæ ſpiritum Benitius in adoleſcente, duodeuiginti annos nato animaduertens, diuino lumine quod futurum erat præuidit, & iàm vergentes ad perfe-

ctionem internos ſenſus, propoſitis Cęli bonis incitauit. Quàm quidèm iacturam cùm egrè Dęmon ferret, grauitatem criminis illius menti obiecit, vt eum ab incępto reuocaret, & deſperatione ſalutis irretiret. Dùm Peregrinus ſtimulis conſcientiæ vexaretur, & intèr funeſtas cogitationes fluctuaret, ante Imaginem Virginis Gratiarum, quæ in S. Crucis colitur, proſtratus; magis ſuſpirijs, quàm precibus agitato ſpiritui tranquillitatem expetiuit. Miſerata Virgo lugentis Iuuenis, gemitus leuauit; & vt tutiorem vitam amplecteretur inter Seruos ſuos, hortata eſt. Paruit Mariæ Peregrinus, & Angelo, ſub corporeo aſpectu, monſtrante viam, Senas properauit; vbi cęnobij Præfecto patefecit, qua et Patria, Genteque eſſet; in quod delictum ob naturæ fragilitatem incidiſſet; quam pęnitentiam, & inſtitutum cęleſti voce eruditus accepiſſet: ſupplicitèr idcircò orare, nè illius conſortium in diſciplina regulari detrectaret. Hæc vt audiuit mirabundus Prior, animo primùm incertus hæſit; ſed tandèm occulto inſtinctu, & Collegarum ſuffragijs examinatum, ad obſequia Almæ Virginis admiſit. Dùm ritus tradendæ ſacrę Veſtis ageretur, ignotæ lucis nitor, ex inopinatò aduenientis, ſtupentibus illis, qui aderant, Iuuenis ceruici circumfulſit. In famulatu Genitricis Dei multa ſpecimina virtutum dedit; aſſiduæ orationi, profundæ humilitati, & perfectæ obedientiæ deditus; tanquàm Exemplar, & Magiſter etiàm illis, qui conſenuerant, deinceps extiturus. Sacris initiatus, cum iàm exactæ perfectionis haberetur, Foroliuium miſſus eſt, vt ibi noui cęnobij ædificationem procuraret. Sic poſtquàm caſtigatiſſimè vixiſſet Senis annos duodecim,

tricena-

tricenarius ætate ad Patriam rediuit. Statim à liberalitate conſanguineorum, & ciuium donatus ſitu, pęcunijs, & lateribus Templum, & regularem ædem inchoauit. Nec vt bonus Familiæ, & Animarum Pater defuit muneri ſuo, & proximorum charitati; alios nimirùm à nefaria vita auertebat; alios exemplo, ac monitis ad caſtigatiſſimam impellebat. Pauperes interdùm pauxillo panis, per ſignum Crucis aucto, non ſolùm aluit, ſed ſaturauit; ità vt concurrenti ad oſtium turbæ mirabile nutrimentum ſupereſſet. Huiuſce generis prodigijs Cęnobitarum cibo, potuique conſuluit; quippe frumentum in horreo, & vinum in dolijs Cellæ Vinariæ cęlitùs multiplicauit. Iſta, & ſimilia portenta Dei viribus, eius preces benignè exaudientis, ſępiſſimè perfecit: ipſe autem maximum omnium portentorum fuit. Per annos etenim triginta nunquàm in cubile recubuit; ſed requiem laſſo corpori conceſſit, vel in genua innixus dormitaret, vel ſomno ſopitus in faciem caderet, vel muro, ſaxoue incumbens, infirmam carnem hoc reſtaurationis, ſeu magis ſupplicij commento recrearet. Tantæ auſteritati fętens vlcus acceſſit, quod illi ſcatuit in crure. Cùm autèm dubitaretur, ne ſenſim infecto per meatus venarum ſanguine Peregrinus tabeſceret, & mòx etiàm interiret; Paulo Salatio iam de ſalute deſperante, cruris inciſio ſtatuta eſt. Non expalluit ad atrox nuncium Vir caducę, & fragilis contemptor vitæ, ad perennem omninò aſpirans; ſed in Sacellum Capituli, concubijs tenebris pedetentim reptans antè Saluatoris effigiem, ab ea aùt opem in ferendo languore, aùt robur in inciſione ſuſtinenda poſtulauit. Ita, equidèm, fer-

uentes valuere preces, vt Chriſtus pigmentis ſupèr parietem expreſſus, porrecta manu lethalem plagam diuinitùs ſanauerit. Cùm verò id ſupplex oculis ipſis conſpexiſſet, & prorsùs lenitas ſentiret pęnas, an daret luminibus, ſenſibuſque fidem ambigebat. Poſtquàm exorto ſole Salatius, & alij chirurgicam artem profitentes, auulſis, quæ putridum vlcus obligabant vittis, ſtupidi prodigium agnouerunt, vno ore conclamantes; non eſſe hominis, ſed Dei hoc opus, Populo iſtius potentiam, & Peregrini merita extollenti, rei admirandæ ſeriem pandiderunt. Tandèm non morbo abſumptus, ſed defectu naturæ, quæ ad caducitatem tendit, octogenarius ad Cęlum euolauit, eò accerſitus à Beatiſſima Virgine, & deductus à Diuis Franciſco Aſſiſienſi, & Philippo Benitio, Calendis Maij, anno Sal. 1345. Statìm ac ſpiritus migrauit ad Chriſtum, tàm ſuauem fragrantiam inſepultum corpus exhalauit, vt adſtantes, qui eam ſtupentes excipiebant, obliti terreſtris domicilij viderentur. Nec mirus, & cęleſtis odor, poſt tot ætates ab exitu Peregrini euanuit, ſed adhùc ab incorruptis membris, potiſſimùm à crure proſilit, ac ſpirat. Dùm illi Cęnobitæ parentarent, & in Templum irrumperent venerabundi Ciues, vt intuerentur beatam faciem non ampliùs videndam; ad ferretrum cęcus à natiuitate acceſſit, humilitèr, & enixè petens Iacentis meritis, quam nunquàm habuerat oculorum lucem. Vix adhibitis precibus duplex portentum circumſtans multitudo admirata eſt: Corpus ſcilicet Peregrini ſurgens, ſedenſque supèr feretrum, ac manum admouens oculis ſupplicantis, illum extemplò à cæcitate liberauit, iterumque requieuit. Tàm grandium Signo-

rum

rum rumor per vicina loca increbuit, & ſensim ſparſus, Peregrini cultum, etiàm in remotas Regiones, & Vrbes inuexit, in quibus, ſicùt in Patria, ſalutem incurabilium morborum vitio affectis; loquelam, & viſum carentibus vſu eloquij, & lucis impetrauit. Quarè certatim Itali, ac Hiſpani, inter quos potiſſimùm Barchinonenſes, ad Peregrinum in dies ſupplicitèr confugiunt, quotiès vel morbis premuntur, vel infortunijs agitantur. (1) Paulus V., & Vrbanus VIII. Pontifices Maximi ſanxerunt, ille anno 1605. vt celebrari officium, & in noua excuſione Martyrologij deſcribi eius glorioſum nomen; hic anno 1635., vt Sacrum Corpus in Altari recens erecto, ſolemni ritu exponi publicis Populorum obſequijs poſſet. Clemens XI. an: 1715. Ioanni Fontanæ Cæſenæ, Ioanni Baptiſtæ Miſſirolo Brittinorij, & Camillo Spreto Ceruiæ Antiſtitibus, Inſtructionem Proceſſus demandauit, tàm ſupèr recognitione Incorruptionis Sacri Cadaueris, quàm ſupèr virtutibus, & mirandis rebus olìm, & nupèr actis. Hoc Proceſſu, quemadmodùm & alio in Ciuitate Typherni abſoluto, vbi Peregrini

(1) *Ex Vita B. Peregrini, Auctore Equit. Nicolao Burghesio, impreſſ. Antuerpiæ an. 1675. - Ex Vita S. Philippi Benitij, Auct. Franciſco Malaualle, impreſſ. Maſſiliæ. - Abraam Bzouius in Contin. Anal. Eccleſ., impreſſ. Coloniæ, an: 1625. - Archang. Gianeus, Aloyſius Maria Garbius, & alij Scriptores Ordinis Seruorum. - Ex Vita B. Peregrini, Auct. Bernardino Albicino Forol., impreſſ. Cæſenæ an: 1648. - Ex Proceſſu B. Peregrini, Romæ Typis Rev. Cam. an: 1719.*

nomen

nomen magnis portentis inclareſcit ; & a Sacra Rituum Congregatione habita IV. Cal. Nouembris an: 1724. ſumma diligentia vtroque trutinato ; Regnans Pontifex, Benedictus XIII., poſt acceptum diuini afflatus oraculum , tria ſigna tertij generis , quæ noſtris diebus contigerunt , inſtantaneas nempè ſanationes Alexandri Boccadori à paralyſi , Franciſci Armignoni , & Mariæ Gertrudis Valentinæ Typhernatum ab vlceribus annoſis approbauit. Tandèm Nonis Februarij præſentis anni 1725. Decreto condito & euulgato, *Tutò ſcilicèt poſſe deueniri ad Canonizationem*, honorem daturus Deo qui in Sanctis ſuis glorificatur , B. Peregrinum in Album Diuorum referre conſtituit ; quem inſignem & optatiſſimum certè diem, inceſſantibus votis vniuerſa Eccleſia præſtolatur .

BEATVS MARCOLINVS.

BEATVS MARCOLINVS AMANNVS non familiaribus , ſed proprijs illuxit meritis , in obſcura licèt , & tenui fortuna natus. Decennis adhùc in clauſtra Prædicatorum ſe recepit , vbi ſuperata pubertate , ſuſcepta veſte, & probatione emiſſa , enixiùs, & totis viribus inſeruiuit Deo. Ad perfectionem omnium Virtutum , acceſſione ætatis , adeò proceſſit , vt in qua magìs emineret, difficile ad iudicandum eſſet. Ipſas cum Generalis Guſmanæ Familiæ Raymundus à Capua nouiſſet , ſæpè Marcolini exemplo , & opera vſus eſt , vt propè labentem varijs in Cœnobijs primæuam diſciplinam reſtitueret . Plurièſ

oblatas

oblatas Pręfecturas, tèr dumtaxàt obedientia coactus geſſit, cum ob altiſſimum ſuimet contemptum ſe illis imparem, ac ineptum iudicaret. Vſquè ad præcipitatos ſenectutis annos vixit; totamque vitam, ſi infantilis ętas detrahatur, in pęnitentijs, & aſſiduis precibus impendit; quippè nèc leuare animum licitis etiàm ſolatijs voluit, nec ſalutis cauſa ſpatiari extrà cęnobij ſepta, ſed tantùm à cella ad Chorum, obſeruantiæ lege. Dum in triclinio veſceretur, inſimul animum meditationibus ſupernis recreabat, in quibus quàm ſæpiſſimè defixus, adeò mente eleuabatur, vt quandoque excitari a ſocijs oporteret, ne per inediam, ac nimias abſtinentias à vita diſcederet. Laſſa ieiunijs membra non in lectulo reſtaurare, ſed humi, vel in ſcamno conſueuit, ac maximam noctis partem neceſſariæ quieti ereptam antè Virginis ſimulacrùm ducere, eum domeſtico colloquio, vt plurimùm, dignantis. Hi Marcolini mores, hæ virtutes; quem præterea intèr homines degentē, Auctor ſignorū Deus rebus mirandis illuſtrauit. Cùm igitur Agreſtes duo iurgijs, & factis diù contendiſſent, & alter alteriùs capiti lethiferum vulnus inflixiſſet; Confeſſarius, & Chirurgus, ad curandum ille ſpiritum, hic corpus ſumma feſtinatione vocati ſunt. Nobilior cura Marcolino obuenit, qui poſtquàm faucium de tribuenda venia hoſti ſuo monuiſſet, eum tandèm impotentia vltionis debacchantem, minis flexit. Dimitte, ait, iniuriam Fili, nàm ſcelera tibi dimittentur, & inſperatam ſanitatem conſequeris; niſi autèm peperceris nec veniam, nec vitam impetrabis. His dictis ceſſit peruicacia obdurati Iuuenis; nàm non ſolùm pepercit inimico, ſed in ſacramentali pęniten-

tia dolorem cordis extrinſecùs oſtendit, & lacrymantibus oculis exeruit. Haud multò poſt eum grauis ſopor occupauit, quo dùm ſepultus recubaret, Virum Marcolino ſimillimum inſpexit, qui capitis ſoluebat vittas, & tactu hiatum vulneris ſanabat. Diluculò excitatus, Chirurgo expoſuit nocturnum viſum, nec ampliùs ſentire immanis ictus dolores affirmauit. Irriſit delirium, vt credebat, dormientis medens, & auulſis faſciolis diù ſtupidus obmutuit; deindè opus non humanæ artis, ſed diuinę potentiæ celebrauit. Sæpè etiam prophetico inſtinctu Marcolinus futura patefecit, nàm ſimultate inter affines Ruſticos recrudeſcente, alius alium ab inſidijs erumpens interfecit, & effoſſa tellure cadauer hoſtis tumulauit. Mater inſcia crudelis caſus, ſpe, & metu agitabatur; modò enim expectabat reditum, modò in funeſtam diuinationem incidebat. Deniquè ad Marcolinum feſtinauit, ſperans eius precibus, nèc ſibi requiem defuturam, nec optatiſſimum regreſſum Filij. Ille autèm agnita interno afflatu proditionis ſerie, cor fęminæ confirmare cępit, & eam hortari, vt diuina iudicia, quorum imperſcrutabiles viæ ſunt, humili, ac toleranti animo veneraretur. Perge, inquit, ſub dumeto, quod in via eſt, humum fode, & transfixi filij corpus intueberis: nè quæras homicidam, ſed in vltore ſcelerum Deo cauſam pone. Hoc fatali nuncio Mulier ad ſolum corruit ferè examinata: poſtquàm verò collegit animum, acceſſit ad horrendum locum, nec priùs indè abijt, quàm dolorem effuſis lacrymis, & manu dilaceratis comis extinxiſſet. Simili Marcolinus dono ſui interitus diem prophetauit. Cum etenìm ad Aram, Sacrum

celebra-

celebraturus ſe conferret, Clerico miniſtranti, Non ampliùs, ait, meo ſacrificio intereris, quippè poſt triduum ab hac mortali vita excedam. Ità profectò contigit, nàm è ſenili corpore, in quo per annos octoginta, velut in vinculis ſteterat, eius Anima egreſſa, ad Cęlites contendit Nono Calen. Ianuarij anno 1396. Ea ipſa hora, qua illa deſerens corpus ad Cęlum euolabat, ab Angelo ſub puerili forma per vias Ciuitatis diſcurrente, Marcolini exitus vulgatus eſt. Commoti Ciues, ignoti præconis voce, clauſis domibus, & officinis ad Templum properarunt, alij vt viderent beatam faciem, & deoſcularentur pedes, alij vt raperent reliquias ſacræ veſtis. Ingens tumultus ingredientium, & circumſtantium feretro fuit, quem cum ſedare Cęnobitæ deſperarent, ſubductum clàm Cadauer in tumulum depoſuerunt. Rem inexcogitatam vbi audiuit Populus, furentis inſtàr in Delubrum redijt, & Marcolini corpus, Virum ſanctiſſimum, & Prophetam Dei appellans, ſublato lapide exhumauit. Per tres dies in Fano relictum eſt, ſoluendis iuſtis, & explendæ Ciuium pietati conſtitutos; nullamque graueolentiam, vt ſolent, cauſaria, & putrida mortalium membra, ſed ſuauem odorem exhalauit, nihil terreſtris redolentem. Tandèm, magnis portentis editis, ſub Altari maximo collocatum fuit. Fama eius Sanctitatis omnes Æmiliæ, & finitimarum Regionum fines peragrauit, vt per menſes duos Portæ Templi die, noctuque confluentibus Populis patere viſæ ſint. Erat Vir carne alba, lata fronte, & pulcherrimis lineamentis vultus, quod nullum naturæ vitium deturpabat, præterquàm labrum inferius tantillum exporrectum, vt ab ipſo

aſpectu interna ſpecies animi eluceret. Pingue à natalibus corpus nunquàm macruit, quo obeſitatis velamine Marcolinus inedias, & pęnitentias ſuas prætegebat. (1) Diù ſub Ara maxima requieuit, donèc à Nicolao Haſteo, Epiſcopo Recinetenſi, in Arcam ſelecti marmoris elegantèr cęlatam tranſlatum eſt, quæ nùnc in magnifico ſacello nobilis Viri Petrucci Floreni, Petrellæ Comitis eminet, & nitet. Iſte Amicus Dei propè innumeris portentis claruit; illorum tamèn memoria viget, quæ intrà biennium poſt fęlicem à terris exceſſum, contigerunt. Cętera licèt noſtræ ætati proximiora, aùt amiſſis monumentis, aut nullo ea poſteris tradente, deſiderantur. Ad cumulum nempè centum octoginta octo aſcendunt, vt ex tabulis obſignatis liquet, ſedente in Solio B. Petri Bonifacio IX., & in Foroliuienſi Sede Scarpetta Ordelapho; quæ tandèm diſperſa Ioannes Zanfuſchus an: 1571. accuratiſſimè collegit, & exſcripſit. (2) Inter hæc ſigna, quatuor Infantes ad vitam accerſiti memorantur. Cùm etenìm Vxores Lombardini de Foroliuio, Bonoli de Caſtrocario, & Bonamenti de Monſignano enixæ eſſent natos, teſtimonio obſtetricum ſpiritu carentes; Marcolinus auditis puerperarum precibus, illos à morte ſuſcitauit. Cùm paritèr biennis puer, Ioannis Ghetti Agricolę Imolenſis filius, in ſtagnum caſæ proximum delapſus perijſ-

(1) *Ex Vita Beati M. S., Auctore Fr. Andrea de Piſis. - Michael Angelus Pius in Vit. Vir. Illuſtr. Ord. Prædicat. lib. 1. pag. 160.*

[2] *Ex rogit. Ioannis Zanfuſchi die 12. Septembr. an: 1571.*

ſet, &

ſet , & poſt horam extractus, à miſera Matre elatis ad Cęlum palmis lugeretur , Beati auxilio, quod Mulier ſupplex implorauit, vitam, motumque obtinuit. (1) Hic fęlix Cęlorum Ciuis alijs fatiſcentibus morbo ſanitatem , nutantibus pede crurum ſtabilitatem , gibbis complanationem humerorum , ſurdis auditum , mutis eloquium , & Cęcis vſum diurnæ lucis largitus eſt ; vt nequè illi deſint accidentalis gloriæ teſtimonia in Terris, nequè ſempiternæ in Cęlis argumenta.

BEATVS BONAVENTVRA

BEAT. BONAVENTVRA TORNIELLVS , ſummo loco apùd Foroliuienſes natus eſt ex clariſſima & vetuſtiſſima progenie, quam Opizo , Nouaria Foroliuiũ aſportauerat anno 1254. Hic cum famulari Deo in obſequio Sanctiſſimæ eius Genitricis decreuiſſet , adoleſcentibus adhùc annis Familiam Seruorum inijt, vbi pietate , ac doctrina , antè ipſam maturitatem conſortes regularis diſciplinæ ſuperauit. His meritis virtutum , nèc non prudentiæ , & affabilitatis, ad varios gradus Ordinis ſui aſcendit ; licèt ab imperijs refugeret animus contemptor dignitatum.

(1) *Ex rogit. Ioan. Thomæ de Balneocaballo* 30. *Octobris* 1397.- *Ex rogit. Io: Andreæ de Dalfinis de Forol.* 8. *Aprilis* 1397.- *Ex rogit. Ioan. Tauiani de Balneocaballo* 17. *Iulij anno* 1397.- *Ex rogit. Petri Fran. de Aleſtis de Forol.* 25. *Martij an:* 1398.

Dùm Præfectus eſſet D. Marcelli Almæ Vrbis, deſeruit ſtrepitum Romanæ Aulæ; & cùm ſex Socijs ſolitariç vitç in Eremum latinam abijt, permiſſu Chriſtophori Generalis; vt procùl à cogitationibus humanis, quæ ſpiritui ſunt impedimento, nè Deo copuletur, ad meditationem cçleſtis Patriæ eum eleuaret. Quod vt intellexit Xyſtus IV. Pontifex Maximus, Bonauenturæ propoſitum laudauit; ac ſatìs conſcius ingentis illius ſapientiæ, & zeli, illum charactere Pontificij Concionatoris inſigniuit. Annuus ſeceſſus fuit, à quo demùm tanta ſanctimoniæ fama emerſit, vt omnes videre, & audire Virum, tanquàm à Cçlis miſſum certatìm niterentur. Per Hetruriam aggreſſus iter nudis plantis, & lacero veſtitu, antequàm Florentiam perueniret, eum præcedente Fama, tota Ciuitas commota eſt; nobiliſſimique Ciues obuiam prodeuntes, ipſum Senatus nomine precati ſunt, vt explere cupiditatem Populi diuinum verbum ſitientis, ne recuſaret. Tèr in Cathedrali Baſilica conciones habuit, tanta Auditorum frequentia, ac fructu, vt omnes præ contritione cordis profusè lacrymarentur. Anno 1485. Cçtui Vetrallæ interfuit, in quo Prouincialis Flaminiæ dictus eſt; quamuìs eius humilitas reluctaretur, & gradus quoſcumque detrectaret. Hæc Virtus adeò cçterorum admirationem excitauit, vt illi in Generalibus Bononiæ Comitijs an: 1488. totius Ordinis regimen, ſub Vicarij Generalis dignitate, Cçnobitæ concrediderint. At cum Bonauentura mentes, & vota Suffragantium agnouiſſet, & de imbecillitate ſuarum virium formidaret, ſe ſubducere ſollicito animo voluebat: verùm in limine ianuæ interceptus, geſtare onus, & ſùmere imperium

rium coactus eſt. Poſtridiè ſuggeſtum ſcandit in D. Petronij allocuturus Populum, qui illùc confluxerat, vt eum audiret ad purgandas corruptelas ſęculi ſupernè electum; cùm tamèn ſinus prægrandis Templi immenſam ferè multitudinem, ingredi fores contendentem, excipere non ſatìs poſſet. Hoc miniſterium, nèc diſtentus officij curis, nèc inflatus dignitatibus, vſque ad interitum vnquàm prætermiſit. Eo Venetijs concionante, Viri quadraginta, inſidias Mundi declinantes, ſe in Familiam Seruorum receperunt; cum alij illum ob Apoſtolicum feruorem D. Paulo aſſimilarent; alij tranſeuntem tangere, & veſtem lacerare niterentur. Dùm tandèm Vtini intèr Carnos, Quadrageſimæ Ieiunia, non ſolùm lingua, ſed operibus ſanctificaret; & torpentes mortalium animos in his caducis bonis, ad poſſeſſionem æternorum vrgeret; longæuæ etati, nam octogeſimum annum ſuperabat, finem dedit. Hoc, antequàm obiret, præmonſtrato, & varijs portentis actis, Pridie Cal. Martij anno 1491. ad cęleſtem requiem emigrauit. Expoſitum eſt corpus in Fano Seruorum, communi Iulienſium luctu, qui circa feretrum, velùt inconſolabiles filij, ſpiritualis Patris iacturam plorauerunt. Ibi ſacratum Cadauer iacuit, quouſque Andreas Lauredanus Senator Venetus, & Foroiulij Præfectus, à prę́ſenti mortis periculo liberatus, illud Venetias vexit, vt augeret Deo gloriam, & Liberatori cultum. Erat Bonauentura corpore paruo, & reſpondentibus ſtaturæ membris, prolixam; & incultam barbam, ac contemnendum habitum ferebat; ſine tibialibus, ac calceis per calles glacie, & niue rigentes gradiebatur, vt ſępe ab ipſis rimulis

pedum

pedum cruor emanaret. Durum etiàm vitæ inſtitutum profeſſus eſt ; nàm à carnibus, & à vino abſtinuit , contentus aqua , pane , & herbis ; vel in humo ; vel in tabulis ſempèr requieuit ; catenis , & flagris ſeſe inclementèr cruciauit ; nè corpori deeſſet vllum pœnarum genus , & ſpiritui meritorum incrementum . (1) Eius Imago extabat ad vnguem expreſſa in Columna S. Mariæ Montis Berici Vincentiæ , tanquàm hominis macie confecti , pannoſi , & flagellum contrectantis , cum hac Epigraphe. - A' PENITENZA - Eum Gaſparinus Venetus , & Mathias Myolius elegiacis Nænijs proſecuti ſunt, & alij Scriptores condignis laudibus, intèr multas Bonauenturæ virtutes, rigidum viuendi modum celebrarunt.

BEATVS NICOLAVS

BEAT. NICOLAVS SOLVMBRINVS honeſtiſſima progenie natus , cùm à Deo ad profitendas regulares leges vocaretur , Familiam Minorum Obſeruantium introiuit , vt reuerà impleret , quæ iàm interno apparatu cordis deſtinabat. In hoc tyrocinio perfectionis , varia & magna ſpecimina virtutum dedit , non ſolùm illis , quos ſocios habuit , ſed ipſi Præceptori , qui didiciſſe à tyrone documenta chriſtianæ , & obſtrictæ votis vitæ fatebatur . Po-

[1] *Simon Pellatus in Chron. M. S. Cent.* 3. *lib.* 4. - *Archangelus Gianeus in Annal. Ord. Seruor.* - *Aloyſius Garbius in Addit. Cent.* 3. *lib.* 3. *&* 4.

ſteaquàm

ſtaquàm à Probatione exiuit, dux, & magiſter ſodalibus auſteritatis, in pleriſque cęnobijs moratus eſt, inter laudanda, ſed quæ admodùm pauci ſequerentur, exemplà pęnitentiæ; cunctoſque dies, vel in aſſiduis precibus, vel in crucianda carne, abſtinentijs, flagris, & ſimilis generis pęnis collocauit. Cingulum poſteà, intèr Picentes, miſſus terreſtris exilij locus, & tandèm domus quietis, nihil remiſit à ſeueritate aſſumpta, & ſalutis animarum zelo accenſus, alios auertit à præcipiti damnationis via, alios ad cęleſtem ineundam monitis, & factis incitauit. In cętu Virtutum, quæ eum ornabant, & Virum decent ſupernis bonis inhiantem, in illo obedientia, & humilitas principatum tenuerunt. Fuit enim ſemper alienæ voluntati obſtrictus, nàm non expectabat Cuſtodum vocem, ſed vix inſpecto nutu imperia exequabatur; profunda etiam humilitate claruit, cum nunquàm extolli ad Ordinis Præfecturas paſſus ſit, imò poſtponi infimis cęnobitis nitebatur, & incredibili arte ſanctorum operum præſtantiam prætegebat. Quæ illi tantam famam Sanctitatis pepererunt, vt quotieſcumque in publicum prodiret, oculos, & obſequia populi mirantis irrepræhenſibilitatem morum, & penè angelicam viuendi normam attraheret, & accerſiret. Verùm hæc aura inanis laudis, & exiſtimationis, quæ ſæpè miſeros mortales inflat, & ad ingentem ſuperbiam ducit, eum ab humano conſortio eliminauit, à quo iugitèr, & conſtanter cauit, niſi impellente charitate proximi, aùt ægros inuiſere, aùt morientes Confeſſionibus expiare cogeretur. Cæterùm inedijs, & duro inſtituto regularis diſciplinæ eneruata, & confecta vita, ad ſumendum

laborum, & pęnitentiarum præmium ad Cęlum euolauit. Sic anno quadrageſimoquinto ætatis, Reparationis noſtræ 1444. impoſuit ſuis diebus, & voluntarijs ſupplicijs finem. Cingulani velùt Parente orbati eius iacturam communi mærore defleuerunt, & ad Templum ſe ferentes, vbi cadaueri iuſta ſoluebantur, nèc ſatìs intueri, nèc ſatìs colere tradendum humo corpus valuerunt. [1] Erat Nicolaus ſtatura exigua ac demiſſa, vultu macie ex inedijs contracta torrido, pallenti cute, naſo oblongo, rubris tàm barbæ, quàm ceruicis pilis, & luminibus adeò modeſtis, vt temperantiam, & innocentiam animi, ipſa humilitate obtutus demonſtrarent. Hæc Effigies patebat in muro Sacelli D. Valeriani dextrorsùm picta, & ornamento deaurato obſepta. At tandèm in Liuio extincta nobili Solumbrina ſtirpe anno 1664., qui Maiorum exemplo glorioſi Agnati memoriam quotannis celebrabat, hæc Imago improuidè deleta eſt; nam cum nullius intereſſet cęmentarios auſu prohibere, picturæ pretium, & ſignificationem ignorantes; cumque illi incomptum Sacellum circumducto ſuprà medianos parietes tectorio opere, decorare opinarentur, albarij velamine clarum monumentum poſteris æuis abſtulerunt. Duæ tamèn Effigies à naturali excerptæ vigent, & ſeruantur in cęnobijs, Foroliuienſi vbi Nicolaus pęnitentem veſtem Minorum Obſeruantiæ aſſumpſit, & in Cingulano, vbi à terris abiturus depoſuit mortalem carnem.

[1] *Iulianus Beccius in Igne Triumph. pag. 56.- Paulus Bonolus lib. 9. pag. 229.- Ferdinand. à Bononia in Mem. Hiſt. Min. Obſer. pag. 183.*

Ab

AB argumento non excedam, ſi poſt Sanctorum Vitas, opera, & portenta, quę D. ANTONIVS PATAVINVS intèr nos egit, memorabo. Hic glorioſus Signorum Actor, ab Aſſiſij comitijs expeditus, in ſolitudinem Montis Pauli aduenit, quæ ſeptem lapides à Foroliuio diſtat, & ibi extrà humanum commercium viuens, cum cęlitibus animo, licèt adhùc mortali carne obductus, verſabatur. Erat in vertice confragoſę cautis Cella, & ſub dorſo nemoroſus cliuus, in quibus die nocteque meditari Cęli bona, & Creatoris magnitudinem ſolebat. In inferiori ſitu poſteris ſęculis Fanum fideles erexerunt, quod non intermiſſa pietate inuiſunt, vt à tanto Patrono petant, & accipiant præſentaneam quibuſcumque malis opem. Sæpè ab Eremo Antonius, non abſque moleſtia, & defatigatione, ob attenuatas inedijs, & pęnitentijs vires, ad Communienſem Domum, in Pago S. Petri in Arcu collocatam, gradiebatur; vbi cum ſocijs inſtituta regularis obedientiæ, & humilitatis exerceret. Semèl vel inſtantibus tenebris, vel cadentibus pluuijs impeditus, Caſtrocarij hoſpitatus eſt, ſub Corbiceorum tecto. Dùm verò non cubaret in ſtratis, ſed accenſas effunderet ad Deum preces, vidit Ieſum ſub puerili effigie ſplendores ſupernæ lucis emittentem. Seruus inſolita coruſcatione territus, quæ à rimis ianuæ prodibat, cum de incendio dubitaret, per foramen ſeriem prodigij inſpexit, & anxius ad Herum in lectulo iacentem, & ſopitum properauit, vt illum rei tàm grandis admoneret. Herus ſummo mane ſurgens, Antonium priuſquàm abiret,

intercepit, & importunis precibus coegit, vt ſaltèm Bibliam, quam in ſarcinula geſtabat hoſpiti ſuo, beneficij memor, dono daret. Eſt liber in membrana ſcriptus antiquo charactere, cùm ſcholijs, quemadmodùm fama eſt, à Sancti Viri calamo exaratis; qui tanquàm incomparabilis theſaurus à Ioſepho Corbiceo Archipręsbytero Eccleſiæ Foroliuienſis cuſtoditur. Nèc multò poſt mirificam viſionem, Antonius ſeu comes, ſeù ductor Iuuenum, qui ad ſumendum Sacerdotalem gradum confluebant (cùm omnes antè manuum impoſitionem loqui coràm Alberto Epiſcopo Liuienſi detrectarent, & ſe imparatos habendæ concioni faterentur), iuſſis Prælati obtemperauit; & tàm beata doctrinæ copia, verba fecit, vt non hominis, ſed Angeli ſermo, illis qui audiebant, videretur. Suggeſtum verò quod ipſe locuturus aſcendit, quamuìs carie abſumptum deperiret, deplorando caſu, Patrum noſtrorum memoria exuſtum eſt. Sunt etiàm qui perhibent, eum Superiorum mandato obſtrictum priùs in Triclinio, quàm in Templo arcanam facundiam pandidiſſe. Seraphicus, certior ignotæ ſcientiæ factus, Antonio iuſſit, vt iàm ad finem accedente tertio ſolitariæ vitæ anno, Vercellas ſe conferret, vbi ſeù ſtudia perficeret, ſeù quæ exciderant animo ſcientiarum præcepta ad mentem reuocaret. Paruit ſine mora Franciſci imperio, ſed eius permiſſu breui in Gallias trangreſſus eſt, inter quos Populos tùm lingua, tùm ſignis hęreſes retudit, ac deleuit. Verùm cum à Deo in Italiam vocaretur, ad Communiæ domicilium rediјt, cui amplificando, dùm Præfecti iuſſu præſideret, Ruſticum inani vehiculo prætereuntem iterùm atque iterùm ora-

rùm orauit, vt charitatis chriſtianæ inſtinctu paratos lateres ad locum ædificij comportaret. Ille autèm ingenita calliditate (vt ſolet id genus hominum) reſpondit ſe æquo animo omnes labores ſubiturum, niſi demortuum in plauſtro ad ſepeliendum veheret. Vix ab Antonij conſpectu euaſit, cum voce, & ſtimulo excitare, quem ſopitum credebat, niteretur, vt de ſimplicitate viri riderent, & ſimùl iocarentur, terrore correptus repentè extinctum deprehendit. Itaque ad Dei famulum in flebiles prorumpens eiulatus feſtinauit, ac manu tundens pectus, magis luminibus quàm orè veniam mendacis errati petijt. Poſtquàm Antonius abominantem crimen paterna obiurgatione admonuit, vt à ſimilibus mendis temperaret, ſtricto defuncti brachio, tanquàm dominaretur morti, & vitæ, eum ſuſcitauit. His ſatìs innoteſcet celeberrimum Chriſtianæ Eccleſiæ Heroem, Foroliuij cęleſtem doctrinam detexiſſe, in Eremo olìm noſtratis Agri ſanctimoniam perfeciſſe, & illam magis prodigijs confirmaſſe. (1) Eum protereà Foroliuienſes, ſe inter cęteros Italiæ Populos, primis concionibus, & portentis Sanctiſſimi Viri decoratos, reminiſcentes, & perpetuum præſidium in publicis, & priuatis calamitatibus ſperantes, Patronum delegerunt; mox Fano, & Aris eius glorioſo nomini vel erectis, vel dicatis, annuis ſupplicationibus, & maiori in dies cultu certatìm proſequuntur.

(1) *Ex Epitome Vitæ S. Antonij, Viennæ imp. Typis Mathæi Coſmorouij an: 1660. p. 133. & 134. - Petrus Rodulphius in Hiſt. Seraphica lib. 1. p. 78. - Ioan. de la Hayè in Vit. & Elog. S. Antonij cap. 6. Zanl. ad Stat. Fau. Rubr. 21. lib. 3. n. 51.*

DE VENERABILIBVS ET SERVIS DEI

CAP. III.

HIERONYMVS TAVRELLVS

HIERONYMVS TAVRELLVS ex clariſſima, & celebri intèr Foroliuienſes ſtirpe, [1] Thomæ, & Catharinæ Terdociæ filius, ad ſacrum fontem renatus eſt anno Reparationis noſtræ 1537. Plurimis eluxit ſupernæ Gratiæ Donis: quibus verò à fortuna, & ſanguinis claritate potuiſſet eminere cęteris, omninò deſpexit. Quinquennis adhùc fundamenta virtutum poſuit, in aſſiduis precibus locando tempus, quod infantes in nugis terunt, & ieiunijs tenerum angendo corpus, relictis, quæ opulenta menſa dabat epulis, cum ſæpè pane, & aqua dumtaxàt nutriretur. Creuit in illo cum incremento ætatis Sanctimoniæ deſiderium; etenìm iàm tùm proſpexit, quod vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem; nàm qui parcè ſeminat parcè & metet. Quamobrèm ſtatim ac adoleuit, tundere incæpit funiculis, & flagris corpus, cui deindè ſuper ſtorea pauimento aptata requiem permittebat; & his, ac ſimilibus iuuentis plectere carnem conſueuerat, vt rebellantem ſub ſpiritus imperio contineret. Cum eſſet annorum quindecim, iàm cognita vanitate humanarum rerum, quę apparent ad inſtàr fulguris, & euaneſcunt, ſęculo

[1] *M. A. Paulut. diſſert. legal., diſſert. 16.*

abire

abire conſtituit, & in Capuccinorum Familia tutiores dies terminare. Hanc inſalutato Patre, qui eius precibus aduerſabatur, inijt, & Probationis annum Fauentiæ fecit, vbi non diſcipulus, vt alij in huiuſmodi primordijs eſſe ſolent, ſed Præceptor ſodalium videbatur; cum ſatis, & egregiè didiciſſet Sanctitatis, & perfectionis leges, etiam ab ipſis puerilibus annis. Quadriennio in abſtinentijs, precibus, flagelliſque exacto, cum memoria paternę indignationis angeretur, eam ſi poſſet ſedaturus, Superiorum permiſſu Foroliuium redijt. Ibi in auitas ædes clàm intrauit, & nullo famulorum intuente, ad remotius cubiculum penetrauit, quo Thomas interdùm à domeſticis curis ſecedebat, & illum ſcribentem fortè inuenit. Is audita preſſura pedum, toruos oculos conuertit, & *Quis es tu*, ait, ſeuero vultu, ac minitanti voce, *qui in arcanam meæ domus partem temerè greſſus intuliſti?* Tunc Hieronymus cadens in genua reſpondit. *Amantiſſime Pater, tuam non noſcis in tuo filio imaginem? Ille quidèm eſt, qui te deſtituit, ſed vt cęleſtem Patrem ſequeretur.* Nec plura; nàm interrupit verba iratus Parens, qui eum non solùm affecit contumelijs, ſed ingenti alapha percuſſit. Hieronymus verò tanquàm oſculum pacis accepiſſet, obtulit aliam cędenti genam; quo manſuetudinis, & heroicæ virtutis actu Thomas victus, in tenerum complexum filij, impotentia iræ flebili eiulatu deteſtata, corruit. Sic conciliato Genitoris animo, Hieronymus perfuſus gaudio benè geſtæ rei, ad cęnobium reuerſus eſt, vbi diuinis ſcientijs impigrè vacauit; & ſacerdotio initiatus, Concionatoris munus, ad quod feruore zeli, & vbertate

vbertate eruditionis ferebatur, alacritèr ſuſcepit. Magni Oratoris nomen breui in celebribus ſuggeſtis adeptus eſt, & maius etiàm meruiſſet, niſi laudatos labores diuturnus morbus intercepiſſet. Hanc malam affectionem corporis tanta longanimitate ſuſtinuit per annos duos, vt nullam ab ore querimoniam fuderit; imò magìs lætabatur, cùm meminiſſet paternarum opum, & illas incommodis auſteræ vitæ compararet; qua præſentium malorum cum futuris bonis collatione, pęnæ in delicias vertebantur. Erat tùnc extrà muros Ciuitatis Capuccinorum Domus, Medicis ob hyemis rigores, & cęnoſam viam, perdifficilis. Proptereà Thomas miſertus ęrumnarum filij, permiſſione Vicarij Prouincialis impetrata, eum apud ſe in Vrbem deferri mandauerat, vt moleſtiſſimę ęgritudinis pericula Mędicornm ope præcaueret. Cum autèm Hieronymus ab affluentia paternæ domus abhorreret, & vnicè Regularem paupertatem diligeret, voluntati Parentis conſtanter obſtitit, nec in alias ędes, quàm in Orphanotrophium comportari paſſus eſt. Hùc ad languentem inuiſendum ſæpiùs optimates conueniebant; alij vt illùm in mæſtitia annoſi, & incurabilis morbi recrearent; alij vt ab eius ore perfectionis documenta acciperent; & plerique vt illius tolerantiam in diuturna fatiſcentis naturæ luctatione mirarentur. Sic verbis, & exemplis, inſtitutis conciuibus quotquot ad eum confluebant, poſtquàm ſuperaſſet nouiſſimos conatus Tentatoris, dùm ſereno vultu concineret hymnum — *Laudate Dominum de Cęlis* -- in finali verſiculo -- *Omnis Spiritus laudet Dominum*, VIII. Idus Maij anno 1571., vt piè creditur, ad ęterna Gaudia tranſiuit.

Multa

Multa de præſtantia virtutum Hieronymi, quin etiam non pauca miranda referuntur (1) in Annalibus Ordinis apud Zachariam Bouerium, in Compilationibus latinis, & in Vita typis Cimattiorum impreſſa, auctore Iulio Loranico è Societate Ieſu, quæ propterea ſilentur.

FRANCISCVS VRSELLVS.

FRANCISCVS VRSELLVS, Franciſci filius, genere illuſtri, quod in illa ætate dynaſtiæ decus auitis honoribus coniunxit. Ex hoc quippè Antonius eques clariſſimus à Senatu Liuienſi obtinuit anno 1557. Ditionem Petræ Appiæ, Arcis Elmicis, & Flumanæ; (2) ac poſt eum Guido, eques Ordinis S. Stephani, qui tandèm reſtituturus Patriæ dominium, ſe caſtris abdicauit anno 1593. (3) Ex hac ſtirpe Franciſcus vitam inijt IV. Nonas Octobris anno 1540., aſſumpto ad Baptiſmatis aquas Bernardini nomine, quod in paternum, Prædicatorum Familiæ adſcriptus immutauit. Hauſit à natiuitate dotes paucis datas ſublimis ingenij, raræ manſuetudinis, & comitatis, quas ornamentis angelici

(1) *Zachar. Bouerius in Analibus Capucc. tom. 1. pag. 649. - Ex Compilat. latin. MSS. in Bibliotb. Capucc. Bononię tom. 2. pag. 62. - Iulius Loranicus in Vit. Hieronymi, impr. Typis Cimattior. an: 1654.*

(2) *Ex rogit: Siluij à Naui 17. Martij an: 1557.*

(3) *Ex rogit: Fabij Marcianeſij 29. Nouembris an: 1593.*

candoris, & ſummæ humilitatis ſociauit. Ità ſuauiſſimis moribus, & magnitudine Virtutum ſibi conciliauit beneuolentiam hominum, & multò magis Dei, poſtquàm Clauſtra ingreſſus, ad Chriſtianam perfectionem totis animi ſtudijs aſpirauit. Erat enim primus omnium cùm ad chorum graderetur, poſtremus cùm ad cellam remearet, ac inſomnem vt plurimùm ducebat noctem in pſalmis, & contemplatione diuinarum rerum. Tàm miras viuiuendi leges diutiſſimè adimpleuit vigil, & orans antè Saluatoris effigiem (quam nunc Guido Vrſellus Archidiaconus, & Vicarius Generalis Foroliuij venerabundus ſeruat), vt multi tradiderunt cum eo ſermocinantem humanis accentibus. Cęterùm varijs pęnis in ſemetipſum ſeuerè animaduertit, & plectendo funiculis, & ieiunijs coercendo mortalis naturæ inſtinctum pronum ad mala. Diebus feſtis lautiùs epulabatur, quamuis modicis, & ſinè condimento cibis, vt neceſſarium vitæ alimentum traderet, & debilitatas vires ad pęnas ferendas inſtauraret. Sub induſio lanæ, cilicia geſtabat, quibus velùt ſtimulis ad laceſſendum corporis torporem fungebatur, ſpiritus velocitatem remorantis. Hæc fuerunt rigidæ vitæ exercitia; mitiora autèm per diem, & noctem preces, & ſtudia, quibus ſic horas diſtribuerat, vt ferè nullæ cibo ſomnoque ſupereſſent. Sæpè etiàm meditando exibat à ſenſibus, & humanam deſpectans, totus diuina ſapientia imbuebatur. At licèt ſacram Theologiam, in qua præſtantiſſimus erat, edoceret; viliora tamèn exercere miniſteria, & in coquina infimis famulari non erubuit. Pòſt erectam ab Alexandro de Franciſcis, Epiſcopo Foroliuij, Theologalem

galem Cathedram [in qua nùnc Doctor ex Canonicorum cętu Geneſim exponit] ipſe etſi Regularis, nouum & vetus teſtamentum magna eruditione, & animarum progreſſu interpretatus eſt. Tandèm inſonti traducta vita, quæ illi perennis eſſe ob vehemens deſiderium cęleſtis Gloriæ videbatur, anno ætatis ſuæ ſexageſimo quinto, XI. Cal. Octobris anno 1605. ad Deum euolauit. (1) Erat ſtatura parua, facie exili, fronte alta, & ſerena, oculis exiguis, è quibus ſincerus quidam ſplendor circùm irradiabat fulgetra ſanctitatis, barba rara, & corona capitis, qua tempora vergunt in ſinciput à caluitie interrupta. Audita morte populus ad Templum properauit, vt in obtutu venerabilis vultus ſatiaretur, & ſanctimoniam vitæ prædicaret. Peractis iuſtis in ſepulcro communi Cadauer conditum eſt; ſed haud diù poſt erutum, cùm plerique fide digniſſimi iureiurando teſtimonium perhibuerint, ſe eo Patrono, ac Tutelari à grauibus morbis conualuiſſe. [2] His prodigijs, ea qua ſolet diligentia ponderatis, Sacra Rituum Congregatio demandauit, vt tumulatum Corpus Venerabilis Franciſci exhumaretur; nèc corruptum ex vitio miſeræ mortalitatis, ſed cęleſtem odorem exhalare compertum eſt, ſenſus, & animos cunctorum recreantem. In Sacello B. Iacobi de Salòmonijs Veneti ad lęuum latus, diù requieuit. At cum IV.

(1) *Ferdinand. Vghellus in Ital. Sacr. tom. 2. in Epiſcop. Forol. - Hieronymus Ghilinus in Theatr. Viror. Liter. pag. 295.*

[2] *Ex rogit: Tiberij Blondini 2. Nouemb. anno 1617.*

Idus Martij an: 1625. Vrbanus VIII. Pontifex Maximus celebri ſanctione interdixiſſet eorum cultum, qui in Domino antè lapſum ſęculi obdormierunt, pictura deleta eſt, & Vota argentea, quæ à parietibus circùm pendebant in firmiſſima capſa ſub tribus ſeris clauſa ſunt, vbì adhùc aſſeruantur. Facto enim Votorum cenſu, capita biſcentum quinquaginta ſeptem, manus vnam & nonaginta, crura vnum & quadraginta, oculos vnum & ſeptuaginta, vbera quatuordecim, pectora decem, dentes ſexdecim, corda vnum & triginta, ac totidèm ferè cereos, ac tabellas Paulus Camillus Romanellus Scriba ſupputauit. (1) Demùm veteri demolito Templo, & in hanc, quam videmus molem reędificato, Thomas Taurellus Patriæ Antiſtes colendos cineres, & oſſa inuiſit anno 1720., & ſub B. Iacobi monumento intrà Arcam cupreſſinam deponi iuſſit. Ibi venerandum corpus diem nouiſſimum expectat, vt ad conſortium ęternæ fęlicitatis euocetur, qua fruitur ſpiritus ſodalis meritorum.

HIERONYMVS PAVLVCCIVS

HIERONYMVS PAVLVCCIVS ex nobiliſſimis Comitibus Caibuli, Franciſci, & Ludouicæ Pungettæ filius, anno 1552. ad Sanctimoniam natus eſt. Is egregiam indolem, & quibuſcumque exercitijs aptam, ad ſtudia liberalium artium, & equeſtrium conuertit;

(1) *Ex rogit: Pauli Camilli Romanelli* 12. *Martij anno* 1725.

ſed

ſed aùt moderaretur equos, aùt enſe luderet, irrequietus ſempèr exæſtuabat animus, præfixa nondùm electione ſtatus. Satìs literis politioribus, & amęnis inſtitutus, ſeuerioribus philoſophiæ, & legum ſtudijs indefeſſam operam nauauit, laureamque Bononiæ accepit; ſed ſtrenuis, & eruditis diſciplinis, pia integritatis munera, & miſericordiæ ergà egenos intermiſcuit. His meritis plenus ſalutis callem ingreſſus eſt XIV. Cal. Martij año 1571.; nàm ſęculares abiecit curas, & in clauſtris Capuccinorum, etiàm tùm quæſitam, ſed nunquàm agnitam, veram pacem adinuenit. Ibi diuinis rebus adeò ſe mancipauit, & ad accuratiſſimam virtutis normam ſic omne tempus exigebat, vt non imitabile exemplar ſodales admirarentur. Ipſe ſummus Præfectus Ordinis Iacobus à Foro Saraceno, ingentium virtutum Vir, non habita quidèm annorum ratione, ſed maturitate prudentiæ, & religionis, quibus iàm ſenex videbatur, eum ſibi ſocium, intet alios licèt prouectos ætate, & geſtarum rerum expertiſſimos delegit. Haud diù tamèn Generalem ſectatus eſt, occulto ſpiritu vocatus ad obeundum Concionatoris miniſterium. Vix aſcendentem ſacra ſuggeſta viderunt populi, cùm plurimam eruditionem, & maximum Dei Zelum admirati ſunt; quippè intèr illius æui Oratores alter fortaſſè non fuit, qui & dicendi copia, & rationum pondere, ac in flectendis quò vellet Auditorum animis illi æquaretur. Itaque verbis, & operibus commoti alij deterrimos mores immutarunt; alij ad obſequium Deiparæ ſuccenſi, eam toto animi niſu coluerunt. Quamobrèm intèr Populos, in quibus Virginis cultum propagauit, Mariæ Apoſtolus vocatus eſt; &

hac quidem appellitatione, magis quàm nomine ſuo innotuit. Quantæ facundiæ, & auctoritatis fuerit, ex rebus fęlicitèr perfectis in varijs Italiæ Vrbibus iàm ſatis conſtat. Dùm conciones Cremonæ haberet anno 1596. in ſummam populi, & procerum opinionem deuenit, vt tanquàm à cęlo miſſus ab omnibus reſpiceretur. Ibi Sodalitium inſtituit S. Mariæ Populi, cui Optimates ciuitatis dederunt nomen, & ad comprimendos, qui inualeſcebant, eius virtutum plauſus, clàm exceſſit. Cum Venetijs magno conatu oratoriæ artis celebraſſet immenſam Dei Genitricis dignitatem, & audientes panegyricum, ad pium opus illius glorię deſtinatum impuliſſet, facto quęſtuationis cenſu ſex millia ducatorum collegiſſe in crumenis nactus eſt. Parmæ autèm vbi corona præcingere caput S. Mariæ Steccatæ conſtituerat, tanta vi eloquentiæ eorum qui adſtabant animos accendit, vt omnes offerre argenti, auri, & gemmarum pondera Deiparæ certarent. Ipſe in primis Raynutius Farneſius Dux Parmenſis, vt verè ſubditis eſſet ad pietatem dux, & exemplar torquem adamantibus viginti, & totidem margaritis ingentis pretij ornatum ſupplex obtulit, quo Sacra Imago æterno monumento religioſi ſui cordis corruſcaret. Diù in oppido Finalis Mutinenſis agri moratus eſt, in quo vaſti ſinus Monaſterium condidit, mirandis potiùs [vt Marcellinus à Maſcon in Annalibus Ordinis enarrat] rebus, quàm nummis excitatum, vbi ſexaginta Virgines initiantur. At quamuìs Hieronymus irreprehenſibilem vitam intèr Finalenſes traduxiſſet, obtrectationes malorum hominum nequaquàm declinauit, ab illis nefariè inſimulatus,

quòd

quòd eleemoſynas, auaritia Religionis prætextu fucata, ab Oppidanis extorqueret. Hac licèt impetitus contumelia obmutuit, Chriſtique, & plurimorum Sanctorum exempla ſecutus, nihil attulit in defenſionem ſui. Hinc cum ſingularis eius Integritatis fama, nonnihil detrimenti apud Incolas loci paſſa eſſet, Generalis iuſſu Finali exceſſit, & Cymaclum petijt, vbi anno *1619.*, eius morti proximo, ſolemnem Coronationem Beatiſſimæ Virginis indixit. Hanc celebritatem pompa, & ritus inibì non antè viſus decorauit, in qua contigiſſe mirabilia ab ijſdem Chronicis præfati Auctoris memorantur. Sic cunctos ferè dies in extollenda Diuinæ Matris potentia, & ſanctitate impendit. Dùm itaquè per horrendum nemus iter faceret, in turbam graſſatorum inopinatò offendit, & ex illis nequiori, blaſphemiam in puritatem Mariæ improbis labijs euomenti, alapham zelo percitus inflixit, nec defuturas per ęternitatem pęnas denunciauit. Ad ictum percutientis manus, terribileſque minas latro reſipuit & flagitium nouit. Tum Hieronymus, ex vultu, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, illum ſceleris pęnituiſſe certior factus, humi proſtratus in genua, & arrepto fune, quo lumbos pręcinctos habebat, ac ad collum impoſito, veniam iniuriæ à graſſatore flagitauit; & vt ſumeret debitam, & quam de ſe mallet, vltionem obteſtatus eſt. Hoc chriſtianæ virtutis argumento contriti Latrones, profuſis lacrymis ſe reliquum vitæ in præterita iniquitate purganda collocaturos promiſerunt. Alia alibì Vir probitate inſignis geſſit. A Cardinali Friderico Borromeo Mediolanum acceſſitus, exorciſmis Eccleſiæ, dęmones, qui diſſi-

dia in

dia in Cęnobio Sanctimonialiũ ſparſerant, & confouebant, deturbauit. Cùm demùm Diuo Ioſepho ſe ab ineunte adoleſcentia in clientelam tradidiſſet, in cuius feſta die Capuccinam Familiam introiuerat, in eadem celebritate moriens ad Cęlum, vt piè credendum, emigrauit XIV. Calendas Martij anno 1620., ętatis ſuæ ſexageſimo octauo. Poſtquàm igitùr Parmæ lethalis morbi angores mira conſtantia toleraſſet, intèr dulciſſima colloquia Ieſus, Mariæ, Ioſeph in Domino requieuit. Huic morti interfuit ipſe Raynutius Farneſius, qui priùs Filio in mandatis dederat, vt antè lectulum in extremis laborantis Serui Dei humilitèr procumbens, benedictionem tanquàm ab infortunijs munimentum, & futuræ fęlicitatis pignus impetraret; eumque extinctum effuſis lacrymis plorauit. [1].

ALij in Domino diem obierunt, relicta inter mortales, quorum conſortium habuerant in terris, magna caſtigatiſſimæ, & innocentis vitæ fama.

LEONARDA ORDELAPHA fuit Integritate morum ſplendidior, quàm genere, licèt ex Principibus Foroliuij nata. Cęnobium Corporis Chriſti Ferrariæ rexit anno 1456., & velut conſcia futurarum rerum, S. Catharinæ de Nigris, nùnc de Bononia appellatæ Sanctimoniam pręnouit. Hæc autèm illam religioſa viuendi norma ce-

[1] *Marcellinus à Maſcon in Annal. Capucc. tom. 3. à pag. 624. vſque ad p. 650. - Benedictus Mazzara in Legendario Franciſcano tom. 12. pag. 184.*

lebrem

lebrem, Regularis perfectionis inſtitutis erudita ſempèr reſpexit vt Matrem; & vt Magiſtram quamuis diſiuncta corpore, cum Bononiam incoleret, venerata eſt. [1]

LAVINIA DE ALICORNIS, Foroliuienſis ſtirpe, ſed à Mediolano oriundà, ex ſanguine Triuultio. Hæc anniuerſaria nocte, qua Mundi Saluator inter nos prodijt, natale ſuum ſortita eſt, vitamque omnem in Dominicæ Paſſionis meditatione collocauit. Tandèm poſt moleſtam, & diuturnam ęgritudinem, ſumma longanimitate, & miris exemplis chriſtianæ virtutis toleratam, dies octo antequàm ab hominibus digrederetur, velo Monialium Ordinis Benedictini initiata, ſedens puriſſimum ſpiritum emiſit. (2)

SAMVEL VALERIVS, terreſtribus abiectis curis, in Saltum Camaldulenſem abijt, vt animum à ſęculi vanitatibus abductum, inter nemorum ſilentia, ac ſolitudines, Domini voces ad cor loquentis liberiùs audiret. Ter Maioris gradu Eremum gubernauit, anno præſertim 1571., quo res miranda contigit in conſpectu ſacratę ędis; nàm cum agreſtis Florentiam proficiſcens, ſpretis dirarum eccleſiaſticarum minis, & Oſtiarij increpationibus, ſuillam carnē comediſſet, internis pęnis agitatus, haud priùs amiſſam pacem nactus eſt, quàm à Samuele expiaretur. [3]

[1] *Iacobus Graſſettus in Vita B. Catharinæ lib. 2. p. 54.*

[2] *Iſidorus Moratinus in Miſcellan. Carmin. pag. 399. & ſequen.*

[3] *Auguſt. Florentinus in Hiſt. Camald. lib. 5. cap. 21. p. 233.*

Is tandèm vitam pijſſimè traductam , præcipitatis annis clauſit .

MODESTVS A FOROLIVIO, cum optatiſſimis puellæ nuptijs inhiaret , interrumpente coniugium morte , quæ fęminam è medio ſuſtulit , in clauſtra Capuccinorum ſe recepit , vbi tàm rigidas & tàm feruentes ſeruauit vitæ leges , vt nedùm deperditum tempus velle redimere , ſed eiuſdem terminum , horamque inſtare , ac propè eſſe certè dignoſcere videretur . Reipſa intrà annum occubuit , & conſumatus in breui expleuit tempora multa . Mira perfecti Iuuenis exitum glorioſum reddidiſſe an: 1568. Añales Ordinis teſtantur . (1)

IOANNES A FOROLIVIO Sacerdos, & Magiſter Tyronum eiuſdem Familiæ, cum moram Fauentiæ traheret, ab hac vita demigrauit anno 1580., poſtquàm multa ſpecimina virtutum inter ſodales ſuos edidiſſet . Scribit Bouerius eum fuiſſe ſupernis donis illuſtratum . [2]

ANGELVS A FOROLIVIO, eo verè nomine ob irreprępenſibiles mores dignus. Hic in Mauritaniam Cęſarienſem, vbì captiuos à Turcarum ſeruituto redimeret profectus, innumera conuicia tulit, quibus afficere Infideles ſolent id genus hominum , chriſtianæ paupertati , & tolerantiæ, contemptu barbaro illudentes . A Turcarum Regionibus in Italiam redux , dum vacaret quęſtuariæ rei, quam inter Capuccinos exercent, ſinè diſcrimine gradus ,

(1) *Zacharias Bouerius in Annal. Capucc. tom. 1. pag. 677.*

[2] *Idem. tom. 1. pag. 860. - Ex Compilat. latin. tom. 2. pag. 63.*

maiores ,

maiores, & minimi, in periculum offendit virginitatis amittendæ; quippè cum angelus non ſolùm vitæ diſciplina, ſed venuſtate oris videretur, à laſciua muliere ad obſcęnos amplexus prouocatus, eam turpi amore exęſtuantem Inferni pęnis terrefecit, & ad delendum lacrymis conceptum ſcelus incitauit. Tandèm animam Creatori reſtituit anno 1585. (1)

BASILIVS A FOROLIVIO, Ordinis Capuccinorum decus, intèr inedias, & flagella vixit: infęlix quidèm vitæ genus apud ſęculi filios habitum; ſed illi apparatus æternæ pacis viſum. De hoc miranda in Compilationibus exarantur. [2]

THOMAS MARCHESIVS in Congregatione Somaſcha traduxit dies magna integritate vitæ, & ſuauitate morum. Contemptor opum, & amator incommodorum fuit, ac obedientiæ imprimis, vt præcurreret non ſolùm vocem, ſed ipſos nutus imperantis. Nondùm tricenarius occubuit, maturus virtutibus, non annis. Extant eius Imagines Romæ, & Ianuæ, vbi hæc exempla viuens dedit, & Neapoli, vbi moriens confirmauit anno *1616.*, in Templo Pietatis ingenti Procerum, & Populi concurſu tumulatus.

IVLIANVS MACCALVFFVS ex Congregatione Oratorij, de cuius excellentia virtutum multa poſſent dici. Hic quantum natalibus obſcurus fuit, tantum chriſtianis ornamentis claruit. Infimis quamuis miniſterijs Cęnobij deſtinatus, tria vota emiſit, & cumulatiſſimè ſeruauit. In eo iugitèr

(1) *Bouerius tom.* 1. *pag.* 171. *&* 172.
[2] *Ex dd. Compil. latin. tom.* 2. *pag.* 25.

pacatus, & imperturbabilis animus fulgebat, qui reddit vniformem voluntatem hominis conſilijs Dei. Tandèm humilitate, & obedientia à D. Philippo rigidis iuſſis comprobata, refertus meritis, anno nonageſimo tertio ætatis, à partu Virginis 1647. hanc vitam terminauit. [1]

FABRITIVS HASTEVS Inſtitutum Oratorij non ſolùm profeſſus eſt, ſed primus omnium Foroliuium inuexit. Anno 1642. Cœnobium, & Templum excitauit, in quibus erigendis lateres, & calcem, poſthabita generis nobilitate, ac victa corporis imbecillitate baiulauit, vt cęteris ad perfectionis gradus exemplo præluceret. Exarſit Dei amore, & charitate Proximi; nàm ad omne facinùs audaces, proiectoſque homines quamplurimos ad moratæ vitæ rationem reuocauit, diſcordes animos ad amorem conciliauit, Virgines à libidinoſis quàm ſæpiſſimè tutatus eſt, ac alia perfectionis opera vſque ad fęlicem exitum expleuit. Mortuus eſt anno 1655. anno ætatis vndequinquageſimo: (2) quæ tamèn mors credi potuit initium immortalitatis.

TIBERIVS AVGVSTINVS, ex Canonico Foroliuij Familiæ Miſſionis nomen dedit. Neapoli vixit magis alieno commodo, quàm ſibi. Eum nimirùm populi velut parentem colebant, ipſe omnes amabat vt filios. Duo Cardinales, qui Neapolitanam Eccleſiam moderati ſunt, Innicus Caracciolus, & Iacobus Cantelmus ad eius conſilium

(1) *Iacobus Riccius in Addit: ad Vitam S. Philippi Nerij pag. 162.*

(2) *Ex Vita Fabritij Auctore Octauian. Petrignano, Forol. impreſſ. apud Ioſeph Syluam an: 1674.*

ſempèr

ſempèr grauiora ſpiritualis Regiminis negotia referebant. Cum itaque vixiſſet tanquàm exemplar zeli, & probitatis apud quoſcumque, præſertìm verò apud optimates, in Domino requieuit Pridie Idus Auguſti an: 1694. Ioannes Groſſus, qui conſortium viuentis habuit, & placidiſſimæ morti interfuit, hæc, & alia admirationis digna, mortalium memoriæ commendauit. (1)

IOANNES BAPTISTA ALBICINVS Luderniani Marchio, acri, & viuido ingenio non ſolùm humanas literas, ſed vtramque philoſophiam calluit; ſicùt quàm ſæpiſſimè vocatus, in Accademijs, & publicis certaminibus plaudente eruditorum cętu profeſſus eſt. Præcipuum illi ſtudium fuit abſcondere virtutes, quibus mirè animus intùs efformabatur: nàm tuta merendi arte, ſub ſericis veſtibus hirſuta cilicia, & alia pęnarum inuenta prætegebat; profundamque humilitatem, & ſocias chriſtianę perfectionis dotes, licitis ſęcularis vitæ ſolatijs vtens, occultabat. Laudes, & plauſus vehementèr odit; obtrectationes verò ſupèr huiuſmodi morum ratione, hilari, & propè immutabili corde ſuſtinuit. Flagrabat diuina gloria, & proximi ſalute; nam ſæpè impranſus delubrum petijt, vt opportuniùs pueros præceptis chriſtianæ legis erudiret; ac familiares opes in pauperum alimoniam, Virginumque, & Viduarum ſubſidium, nec non Templorum ornatum effuſiſſimè profudit. Enim verò prædiues palàm, in abſcondito pauperrimus, ornato cubili vtebatur, cum interìm ſub ſtragulis, & linteaminibus aſpera

(1) *Ex Teſtim. Ioannis Groſſi ſub die* 13. *Ianuarij anno* 1721.

ſarmenta laterent: menſę quidèm opiparè inſtructæ aſſidebat cũ cęteris, clàm autèm nùnc inſulſas, nùnc corruptas dapes comedebat, ac vinum pendulum à vilioribus ruſticorum pateris potabat. Ter in hebdomada nihil præterquàm panem, & aquam guſtare conſueuerat, & dies nocteſque in pijs operibus, & aſſiduis precibus locare. Sæpè mendiculos, & veſpillones conuiuas habuit, vt abhorrentem à teterrimo odore, & pannoſa eorum fęditate olfactum ſuum cruciaret. Antè tuguria pauperum, lignorum ſtrues nocturnis tenebris congerebat, vt opportuno igne trementes miſeros reficeret, quo ipſe etiàm rigidiori bruma abſtinuit. At quod toto animo appetebat ab humanis exceſſit, antequàm ſeniles videret annos, ætatis vndequinquageſimo, Salutis 1697. XV. Cal. Octobris, magno ploratu pauperum, bonorum, & Ciuium. (1)

DE PASCHALI II. PONT. MAXIMO CAPVT IV.

In oppidulo Bleda natus eſt PASCHALIS II. ex nobiliſſima Raijneria ſtirpe, (2) Parentibus Creſcentio, & Alfacia. Placuit Patri, vt è ſacro fonte renaſcens, ab auito cognomine Rainerij nomen referret. Erat Bledæ Caſtrum Foroliuienſis Reipublicæ,

(1) *Theodorus Rugerius è Soc. Ieſu in Oration. funebri, Forol. Typis Ioannis Zampæ an: 1697.*

[2] *Auguſtinus Oldoinus in Addit. ad Ciaconium in Vita Paſchal. II.*

quæ

quæ tùnc vſque ad Alpes prolatabat imperium ; (1) ſed Raynerię Domui iure beneficiario commendatum. Ibi Raynerius moribus inſtitutus fuit, qui ſanguinis noblitati, optimæ indoli, & futuræ ſpei reſponderent: pari enìm alacritate, ab adoleſcentia literis, & religioni ſtuduit. Intèr Canonicos Regulares à floridioribus annis adſcriptus eſt, paruamque moram in Cęnobiolo Flumanæ duxit, ſed diuturniorem in Cluniacenſi monaſterio; vbi ſub D. Vgonis Abbatis diſciplina totis conatibus ad perfectionem aſpirauit. Nec multò poſt innotuit, quantum inter alios in omni genere virtutum emineret, & præſertìm prudentia, quæ licèt ſenectutis eſſe videatur, in eo ætatis ordinem anteuertebat. Itaquè à Monachis, quos ab hoc conſilio non retardauit immatura Oratoris ætas, ad Alexandrum II. grauium negotiorum cauſa miſſus eſt. In Alma Vrbe ſe tàm ſapientèr ſanctèque geſſit apud Alexandrum, & Succeſſorem eius Gregorium VII., vt in arcta vtriuſque Pontificis familiaritate verſatus ſit. A poſtremo priùs Abbas S. Laurentij extrà muros, & poſteà Presbyter Cardinalis S. Clementis renunciatus fuit. Magnam vtilitatem Eccleſiæ peperit in Vuibertino Schiſmate, ſed longè maiorem, poſtquàm ipſe Vrbani II. locum occupauit; nam quòd potuerat agere Anteceſſorum nemo, illam ab adulterini Pontificis contumelijs liberauit. Quarè in Comitijs, apud S. Clementem actis an: 1100., Rayneriuni vna voce Clerus Pontificem Maximum ſalutauit Idibus Auguſti, eo ferè temporis, quo Chriſtiani Syria potiti, & ſa-

[1] *Flauius Blondus Decad. 2. lib. 7.*

cro Chriſti

cro Chriſti tumulo à manibus infidelium vindicato, Gottifredum Bullioneum Hieroſolymę Regem proclamarunt. Verùm ille ingenti humilitate paſtoralem ſarcinam declinans, diù cum ſuffragantium precibus colluctatus eſt, quibus tandèm ceſſit, vt publicum męrorem abſtergeret, & alienis votis inſeruiret. Raynerij proprio nomine depoſito, aſſumptoque altero Paſchalis, prout Romani Pontifices, Sergij II. exemplo conſueſcunt, (1) pontificijs veſtibus indutus, atque albo inſidens equo ad Lateranenſem ædem, poſſeſſionem initurus, profectus eſt. Poſtridiè in Vaticano Templo inauguratus, ſuſcepto de more Pallio, vtroque Regimini exordium fęlix, fauſtumque dedit. Iam Quirites ſibi ad inuicem gratulabantur ſperatam pacem, cum non ignorarent quanta conſtantia, & virtute polleret Paſchalis animus. Ferunt Albertum Epiſcopum Alatrinum eius exaltationem prænouiſſe; nàm cùm ab amico interrogaretur, quem crederet Vrbani ſedem, & dignitatem habiturum; haud ancipiti reſponſo, Raynerium affirmauit, inter Patres conſcriptos, quotquot aderant, virtutibus, & meritis principem. Neque Populi Romani ſpem primordia fęlicitèr geſtarum rerum deceperunt, quæ ad opprimendum Pſeudopontificem, vnitatem Eccleſiæ perniciofis diſſidijs euertentem dirigebantur. Paſchalis ſiquidèm delectu copiarum facto, auxilijs eorum roboratus, qui in orthodoxa communione verſabantur, & potiſſimùm Rogerij Siciliæ Comi-

(1) *Platina in Vita Sergij II. - Panuin. in Epit. Rom. Pontific. in eod. Sergio - Auguſtin. Barboſ. Iur. Eccleſ. vniuerſ. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 115.

lia Comi-

niæ Comitis, mille vncias auri in pontificium ęrarium exhauſtum referentis, ſub Alba Marſorum, in qua ſe receperat Vuibertus, caſtrametatus eſt. Verùm cum obduratus in pertinaci vſurpatione ſenex, conſcientia ſua premeretur, & acceſſione hoſtis trepidaret, clàm elapſus, vt intèr Furconenſium ſaltus deliteſceret, ſubita correptus morte, Romanæ Eccleſiæ tandiù optatam pacem, & concordiã reliquit. Eo tamen extincto non ſtatìm tranquillitas exorta eſt, cum illam Henricus Cęſar, & Riccardus Capuæ Comes perturbarent, quibus impellentibus ad ſeditionem homines malæ voluntatis, Albertus Anuerſanus, deindè quidam Theodoricus, & Maghinulphus D. Petri ſedem per ſcelus aſcendere auſi ſunt. Primus tamen tiaram, & paludamentum abijcere à ſequacibus ſuis compulſus; alter à Cauenſibus, & Præneſtinis renuntiatus, & ab ijsdem non multo poſt pęnitentibus illicitæ electionis in ſolitudinem abactus; ac tandèm alter qui ſedem Rauennæ collocauerat, in contemptum ſuorum veniens, à Rauennatibus exterminatus eſt. His ideò vel pulſis, vel populorum obſequio deſtitutis, requiem Eccleſia inuenit; qua dum ingentium curarum expers frueretur Paſchalis, Ciuitatem Caſtellanam, & Beneuentum proſperè recuperauit, ac Petrum Columnam optimatem Romanum, qui ope Riccardi Campaniæ Comitis, Cauas vſurpauerat, non ſolùm collatis ſignis profligauit, verùm recepto eodem oppido, Caſtris quoque Columnæ, & Zagaroli Columnenſis Familię, potitus eſt. Hæc fuere primordia turbulentiſſimi Pontificatus, quibus non minoris momenti curę ſucceſſerunt, nàm Philippum Galliarum Regem, qui

repudiata Vxore, in obſcenos pellicis complexus deuenerat, iàm ab Vrbano à fidelium cætu eliminatum, & poſteà pęnitentiam agentem abſolutum, & iterùm relapſum, ac interdicti pęnas ſuſtinentem, in Pictauienſi Synodo, per Legatos ſuos, nouo anathematis vinculo innodauit. Poſtquàm ad ſacrorum canonum normam in grauis ſcandali auctorem animaduertiſſet, anno 1102. in Laterano Concilium habuit, vt Henrici III. Imperatoris animum abalienatum mitigaret; verùm vbi nouit eum pollicitationes infringere, & nefariam peſtem in Eccleſiam ſubdititij Pontificis electione machinari, chriſtianæ cōmunionis expertem renuntiauit. His exemplis in Regem, & Imperatorem editis, parumpèr requieſcere à ſollicitudinibus viſus eſt; cum præſertìm Henricus filij defectione territus reſipiſcere, & in fide Paſchalis eſſe ab aduerſis caſibus, & ærumnis cogeretur. Ille autèm anno 1105. graui intèr Boios tumultu concitato, quamplurium Norici, & Franconiæ Regulorum armis fretus, Saxoniam ſui Iuris fecit. Senior Henricus deſperatione captus, in Maguntino Conuentu ſe abdicauit Regno, & Iuniori ſedem auguſtalem ceſſit. Cùm nihilominùs inſuetus ſperni, iacturam dominatus, & Legatorum Pontificis conſtantiam, qui eum ſoluere à cenſuris recuſabant, animo iniquo pateretur, Coloniam Agrippinam, & Leodium profugiens odia fouere in Romanam Eccleſiam, & inſtruere ſeditiones in ingratum filium niſus eſt. His feruentibus diſſidijs Schiſmaticorum audacia confirmata eſt, qui ſub patrocinio Vernerij, Picęni Rectoris, apud Aquinum congregati, Farſenſem Abbatem ſuperbè Pontificatum affectantem, Silueſtri II. nomine, in Solio

D. Petri

D. Petri poſuerunt. At cum populi ab vſurpatoris tyrannide abhorrerent, & ſanctimoniam Paſchalis venerarentur, haud multò poſt illum turpi contemptu eiectum dereliquerunt. Pontifex moleſtia competitoris liberatus, in inſtauranda Cleri diſciplina ſtudium collocauit, & duo Concilia in Gallijs habuit, alterum anno 1106. Guardaſtalli in Ciſalpina, vbi Rauennatum Antiſtitum potentiam, qui de Primatu contendere cum Romanis Pontificibus auſi fuerant, depreſſit; alterum apud Trecas in Tranſalpina. Annus 1107. Henricum III. è viuis abſtulit, quem ſpretus Romanæ Eccleſiæ à ſumma magnitudine, in ſummam calamitatem demerſerat. Paſchalis ab vtraque Gallia redux, Romam inteſtinis odijs fluctuantem, & pontificiam ditionem tumultibus exagitatam nactus eſt: Stephanus enim Corſus, potentiſſimus Almæ Vrbis Ciuis, non ſolùm oppida Montis Alti, & Ponticelli ſui Iuris fecerat, ſed infeſtum indè latinum Agrum, prædis, & excurſionibus reddebat. His fęlicitèr receptis in Apuliam diuertit, cuius abſentia fretæ ciuitates Præneſtis, Tuſculi, & Sabinenſis Regionis, Ptolomęo Comite Tuſculanenſi, & Petro Columna auctoribus, ab Eccleſia defecerunt; dum in Alma Vrbe dignitatem, atque imperium Pontificis Vualfridus de Raynerijs, eius ex fratre natus, Vexillifer Romanæ Eccleſiæ, & ſtirps Frangipania acerrimè tuerentur. Paſchalis peracta apud Beneuentanos Synodo, ſubſidiarijs cohortibus ſuffultus Riccardi Comitis Caietæ, inuicto animo in perduelles iuit. Illis primo congreſſu profligatis, ſeducti populi, vel metu cladis propoſitum deſtituentes, vel reuerentia ergà Pontificem optimum permoti, ad

illius obſequium redierunt, exceptis Tiburtinis in pertinacia permanentibus, qui vim experiri, quàm clementiæ fructus maluerunt. Anno, qui inſecutus eſt 1109. Pontifex inceſtuoſi coniugij certior factus inter Alphonſum Aragoniæ Regem, & Vracam Alphonſi Caſtellę filiam, niſi torum dirimerent, eccleſiaſticæ deteſtationis pęnas, & abdicationis Regni minitatus eſt. Verùm cum in ſcelere perſeuerarent, & Paſchalis mandata aſpernarentur, Vraca repentina morte interijt, & Alphonſus aduersùs Saracenos pugnans necatus eſt. His rebus optata tandiù tranquillitas ſucceſſit, quam tamèn rerum humanarum vices perturbarunt. Siquidèm cum Henricus IV. ſe tàm ſuperbum, & ſæuum in fęlici fortuna præbuiſſet, vt mutatis moribus, Patre deterior videretur, ad cæſaream coronam adſpirans, cum ferociſſimo exercitu Italiam introiuit. Nullum paſsìm crudelitatis genus prætermiſit, vt populis terrorem incuteret; quippe in alios cædibus, in alios igne animaduertit. Paſchalis, fama aduentantis Henrici percitus, ei obuios Caduceatores miſit, qui tabulas fęderis obſignarent, antequàm in Latium inferret pedem, & cum armatis agminibus progrederetur. Leges mutuæ fuerunt, vt Pontifex Henricum Imperatorem diceret; iſte autèm nullam vim S. Sedi, & Romanorum libertati faceret, nec iura Eccleſiarum vſurparet. His firmatis, an: Salut. 1111., Henrico Vrbs tota ad excipiendum eum, more triumphantis venientem, obuiã procedere viſa eſt, qui inter Proceres Populi Romani pergens, in conſpectu Vaticani Templi conſtitit. Ibi & ab equo deſiluit, & antè Paſchalem prouolutus, ſub Atrio in Pontificia ſella conſidentem, magna

ſacrato-

ſacratorum virorum corona obſeptum, ad oſculum pedum procubuit; indè ad amplexum, & oſculum oris ſurgens à Pontifice Auguſtus dictus eſt. Verùm cum ſub externa chriſtiani obſequij ſignificatione dolum occultaret, ad læuam Pontificis ingreſſus Baſilicam, antè Aram maximam eum impudentèr patefecit; nàm iureiurando confirmare pacta per Legatos iàm icta recuſauit. Ita magna contentio intèr Germanos, & Clerum fuit. Vbi Pontifex cognouit per ſummam malitiam eò Regem proceſſiſſe, nè remaneret effugio locus, Apoſtolica verè conſtantia roboratus, licèt frementes milites, & obſidentes Templum conſpiceret, in ſuſcepto conſilio non illi tradendæ cæſareæ coronæ permanſit: quam poſtquàm flectere propoſiti ſtabilitatem Henricus deſperauit, nutu dato, armatæ acies in Paſchalem, & Præſules confeſtìm irruerunt, & vinculis adſtrictos, in caſtra non ſinè ludibrijs traxerunt. Exarſit iracundia Populus Romanus ob tantam contumeliam Pontifici Maximo ſub ſuis oculis illatam, & extemplo correptis enſibus calones, & lixas, qui Almam Vrbem introierant commeatus paraturi, cæco furore trucidauit. Poſtridie aculeis iniuriæ concitatus, in vniuerſum exercitum irrupit, tàm audaci animo, vt ea die aut de Vrbe Roma, aut de Germanis actum eſſe videretur. Collatis vtrinque manibus diù anceps fuit fortuna pugnæ. At cum Henricus in primis ordinibus decertans ſaucius, & deiectus equo, à Romanis, qui eius neci inhiabant, premeretur, Germani robur, & alacritatem remiſerunt. Ille equidèm ab eorum gladijs nequaquàm euaſiſſet, niſi Otho Mediolani Comes, ſe certæ morti obijciens,

equum ſuum Regi, iàm vndique circumuento, tribuiſſet. Ità ab inimicorum poteſtate elapſus, ſuorum ſegnitiem, ac pauorem increpauit, & eos monuit, vt ſe vel ad victoriam, vel ad mortem ſequerentur. Tùnc formidantes, & inordinati milites, quos obiurgatio, & exemplum Regis rubore perfuderat, collectis animis, & ordine compoſito ad certamen redierunt. Verùm cum Romani modò vrgendo, modò retrahendo pedem diù hoſtes fatigaſſent, & eorum vires ſudore deficere nouiſſent, vi, extremo virtutis niſu, geminata, illos in fugam coniecerunt. Non tamen inſequendis profugis, ſed prædæ intenti, cum auiditatis ſit gloriam poſtponere vtilitati, non complere victoriam, ſed rapere eorum ſpolia conati ſunt; quod improuidum conſilium vt ſtupentes Germani conſpexerunt, verſa facie, & reſumpta audacia, iterùm dimicare haud dubitarunt. Tàm varium euentum, & ſortem conflictus habuit vſque ad occaſum ſolis, quo declinante, & increbreſcentibus tenebris diremptus eſt. Ferunt ingentem fuiſſe ſtragem, & ipſum Tiberim cruore imbutum decurriſſe. Henricus & dolore acceptæ cladis, & metu ſecuturæ, ſilenti agmine inter Sabinos ſe recepit, vndè per Latium rapinis deſolatum, & incendijs fumans ſæpiſſime irruebat. Pontifex qui in patientia obduruerat tetri carceris, & ærumnarum, cum inconcuſſo animo ad ſubeundam etiam mortem promptus eſſet, ſuorum lacrymas, & infortunium Almæ Vrbis ſpectans, ceſſit tandèm peruicaciæ Henrici, indulſitque vt Epiſcopis, & Abbatibus Germanis per collationem anuli, & baculi paſtoralis, Eccleſiarum poſſeſſionem dare ex priuilegio poſſet. Hæc concordia

impoſuit

impoſuit tot malis finem; nàm ille infula imperiali in Diui Petri ornatus, tanquàm legitimo iure obtinuiſſet, quæ violentia, & impietate extorſerat, lętus in Germaniam ſuam reuerſus eſt. Paſchalis, & Cardinales à diuturna, & crudeli cuſtodia liberati, ſummo gaudio à Senatu, & Quiritibus excepti ſunt; licèt alij conſilium Pontificis adſcribendum eſſe malæ temporum conditioni aſſererent, alij de infirma virtute illius obtrectarent. Hæc vbi audiuit Pontifex, quem iàm conſcientia extorti Indulti ſtimulabat, mandare cognitionem rei Synodo Lateranenſi iudicauit, in quo fuit vnanimi decreto Patrum, & priuilegium abrogatum, & Henricus Eccleſiæ execrationibus mulctatus, an: 1112. Hac Romæ habita, Paſchalis duas Beneuenti, & Cęperani abſoluit, purgandis moribus, & vitijs clericorum abolendis iugitèr intentus. Quæ Pontificis munera dùm adimpleret vigilantiſſimè, & veri Patris amore prodeſſet vniuerſis, inteſtino iterùm tumultu vexatus eſt; etenìm an: 1115. extincto Petro Romæ Præfecto, cum pars Romanorum in eius locum ſufficere adoleſcentulum filium, pars Petrum Leonem bipartitis ſtudijs niterentur, hunc Pontifex grati animi cauſa in Præfectura ſubrogauit; ſed variasꝗ indè, magnaſque iniurias à ſeditioſis ciuibus ſuſtinuit. Vicit tandèm Petrus Leo, qui optimates ampliſſimis donis, & Romanæ nobilitatis Principem Ptolomęum Comitem Tuſculani, Ariciæ caſtro ad ſuas partes traxit. Ciuili diſſenſioni fęlix tranquillitas ſucceſſit, in qua ab humanis emigrante IX. Cal. Auguſti pijſſima Mathilde [ex genere Ateſtinorum Mutinæ, & Regij Ducum], Eccleſia hæres inſtituta magni Dominatus, Ferrariam ad Padum

cum

eum feraci, latiſſimoque agro, & illum Regionis tractum, qui à Piſcia amne, & à S. Quirico Cęperanum vſque, inter Apenninum, & inferum mare prolatatur, ſeptem Ciuitates, & innumera ferè Loca complectentem adepta eſt. Hoc anno Pontifex Troiæ in Apulia Concilium, & alterum in Laterano habuit, vbi rursùs Henricum diris ſpiritualibus deuouit. Is tot aculeis cenſurarum prouocatus, vt vlciſceretur ignominiam, paratiſſimis copijs in Italiam, & Romam remeauit anno 1117., quo fortè aberat inter Apulos Paſchalis, ſempèr reſtituendæ clericali diſciplinę ſtudioſiſſimus. Verùm quid poſſet in motibus ſuis Populus Romanus, cum ſatis Henricus ab experientia didiciſſet, non eum exaſperare damnis, ſed lenitate pellicere operæ pretium duxit; ac Filia Ptolomęo Tuſculanenſi ex inclyta Octauia Gente in matrimonium data, ſibi Magnatum animos deuinxit. Cęterùm cum de legitima Imperij poſſeſſione vereretur, quam per fraudem, & vim aſciuerat, à Mauritio Archiepiſcopo Bracharenſi, Pontificis vices temerè obeunte, auguſtali corona pręcinctus, in ſuos Septentriones redijt. Paſchalis audita abalienatione Almæ Vrbis, cohortibus Guilelmi Guiſcardi, quem Ducem Apuliæ dixerat ſtipatus, perduelles compeſcere, & proſtratam dignitatem ſuam à contemptu Rebellium vindicare conſtituit. Quaproptèr Pillo, & Pullano caſtris maritimis potitus in morbum incidit lethalis naturæ, quem paruipendens Anagniam, & mox Præneſtem venit, vbi cum Oratores audijſſet Alexij Comneni Cęſaris Conſtantinopolitani, & vt eum accenderent in Saracenos monuiſſet, initio Ianuarij in Vrbem Romam repentè intrauit.

Territi

Territi hoc nuncio auctores defectionis, & de ſalute deſperantes, latebras quærebant; quibus opprimendis dum conſtantiſſimo ſpiritu Pontifex, licèt languenti corpore operam enixè daret, poſt biduum à curis glorioſi Pontificatus requieuit XV. Cal. Ianuarij 1118., anno ſui Pontificatus decimo octauo, menſe quinto, & die quarto. Obijt apud S. Mariam Tranſportinam, & in Baſilica Lateranenſi balſamis imbutum corpus in monumento è pretioſo marmore ſepultum eſt, dum magis ei plangore, quàm iuſtis populus, & clerus parentarent. Creauit decem Epiſcopos, quinquaginta Presbyteros, & triginta Diaconos Cardinales Romanæ Eccleſiæ: minoribus verò Eccleſijs præfecit nonaginta Viros abſolutæ virtutis, & munere paſtorali verè dignos. Viginti Templa inaugurauit Romę, & prę ſertim illud D. Adriani, S. Marię in Areola, & SS. Quatuor Coronatorũ, quod poſtremũ iàm à Roberto Guiſcardo Salerni Principe dirutum, à fundamentis excitauit. Paſchalem omnes Patria Bledanum, alij tamèn natione Tuſcum, alij Flaminium rati ſunt. Plerique in erratum inciderunt, cum Bledam, vel Bleram priſcam Tuſcorum Vrbem intèr Sutrium, & Tuſcaniam iacere compererint; nullius autèm aut caſtri, aut oppidi Flaminiæ, ſimile ferentis nomen, in Geographicis tabulis monumentum ſupereſſe. Hanc rem in obſcuritate poſitam, duo, qui primæ ſententiæ ſuffragantur, Auctores incautè dilucidant, & promunt. *Panuinius* vbi de Paſchali meminit, his verbis eum memorat -- *Bledenſis, Tuſcus aliàs ex Vico Prouinciæ Flaminiæ Galleata* -- *Ciaconius in eius vita* -- *In Tuſcia, ait, natus, aliàs Flaminia, quod Galliatæ Comi-*

tatus oppidum eſt : [1] Idcircò reperto ſitu originarij loci, haud reſtat dubitandum, nùm Bledæ honor eius natalium debeatur. Verùm ſententias Hetruſcis officientes conciliare *Papebrochius* ſolertèr ſtuduit. — *Dicitur* inquit, *Prouinciæ Flaminiæ*, *cum Tuſcia ſuburbicaria*, *in qua Bleda eſt*, *ad ſiniſtrum viæ Flaminiæ iaceat*. Vtrum autèm germana, an præpoſtera interpretatio fuerit, cum rerum ordinem perturbet, cuilibet æquo animo eum perpendenti facillimè innoteſcet; Sic enìm ſequeretur, vt omnia Vmbrię, & Piceni loca, quę Viam Flaminiam ſiniſtrorsùm ſpectant, demi Regionibus ſuis, & tribui alienæ poſſent. Cęterùm compertiſſimum eſt Galleatam citrà Apeñinos, non vltrà conſidere, à qua paucæ ſuperſtites, nec in veteribus ruinis tumulatæ Bledæ Domus quatuor mille paſſuum abſunt, & eius Præturæ adhùc ſupponuntur. Viget intèr habitatores loci fama paternæ Paſchalis ędis, & in Cęnobio Flumanæ, quod ille in primordijs religioſæ vitæ incoluit, regularis domicilij. Iacent veſtigia caſtri propè Rondinariam montem, quod à meridie torrenti Valbonæ, ab occaſu ſolis Bedeſo fluuio alluebatur, vndè Bledæ, vel Bedæ denominationem ſumpſit. His ideò liquet Scriptores ignotum, & paulò minùs quàm extinctum poſt euerſionem ſuam Oppiduli in Flaminia nomen, & econtrà antiquæ Ciuitatis in Hetruria claritatem decepiſſe. Quod tandèm in rerum natura extiterit Ciſapenninum Caſtrum, non ſolùm rudera ædifi-

(1) *Honuph. Panuinius in Epit. Vit. Pontif. pag.* 80. - *Alphonſus Ciaconius in Vit. Pontific., & Card. tom.* 1. *pag.* 889.

ciorum

ciorum probant, ſed obſignatæ tabulæ, quæ in Archiuio Eremi Camaldulenſis reſtant, Vgolini de Planeto, Clermontis, & Boccaccini (1). Nec prætereà deſunt probatiſſimi nominis Auctores Paſchalem Flaminium appellantes, intèr quos *Iacobus Philippus Bergomenſis* (2), *Bartholomæus Platina in Vitis* [3], *& Io: Baptiſta Cauallerius in Imaginibus Pontificum* [4], *Raphael Volaterranus in Antropologia* (5), *Marcus Antonius Sabellicus in Aeneadibus* [6], *Tracagnotta in Hiſtor. mund.* (7), *Poſſeuinus in Appar. Sacr. tom. 3., Index Propillæi Bolland. part. 1., & Epitome Chronic. impreſſa Venetijs per Io: Antonium, & fratres de Sabio, ſumptu, & requiſit. D. Melchiorris Seſſæ. Anno Domini* 1533. Cum deniquè Heroum ortus, non Caſtris, & Vicis originarijs, ſed Ciuitatibus, quæ illis dant iura, adſcribi conſueſcant, ſicut Eugenius III. Piſis, editus in Montemagno, Pius II. Senis, in Corſignano, Xyſtus IV., & Iulius II. Sauonæ, in Albitiola, & Pius V. Alexandriæ, in Buſcho; ita etiam Paſchalis II. Foroliuio, tunc Bledæ imperitanti, abſque vllius iniuria tribuetur. Verùm enim verò, pratèr ſuprà recenſita, multa

(1) *Ex rogitu Vgolini de Planeto* 2. *Iunij anno* 1264. - *Ex rogitu Clermontis* 14. *Martij* 1267. - *Ex rogitu Boccaccini* 28. *April.* 1287.
(2) *in Supplem. ad annum* 1100.
(3) *in Vita Paſchal: pag.* 143.
[4] *pag.* 162.
(5) *lib.* 22. *pag.* 253.
[6] *Aenead.* 9. *tom.* 2. *lib.* 4. [7] *part.* 2. *lib.* 12.

optimus Pontifex reliquit ſui Regiminis ęterna monumenta ; ac multas, eaſque perſanctas, & vtiles edidit Conſtitutiones, quarum tres adhùc ſuperſunt, impreſſæ *in Bullario Laertij Cherubini* [8]. Itaut nil mirum fuerit ſi quondàm apud omnes illius ſęculi homines ardentiſſimum ſui deſiderium reliquerit; nùnc autèm ſanctiſſimi, fortiſſimi, integerrimique Pontificis nomen obtineat apud Scriptores; & ſi Foroliuienſes inter maxima Patriæ ornamenta Paſchalem recenſeant, ac Conciuem vndequèque Illuſtrem ſibi ab alijs eripi non ſinant.

DE S. R. E. CARDINALIBVS.

CAP. V.

STEPHANVS NARDINVS.

ILluſtres Parentes STEPHANVS ſortitus eſt, Nardinum, & Iuljam Haſteam; fratrem, Chriſtophorum celebris memoriæ Ducem; ſororem Geſuminam, Nicolao in ampla familia Comitum Marſciani nuptam. Hic cum à celſo animo, & innata fortitudine ad quęrendum ſplendorem nominis incitaretur, militarem in iuuentute gloriam meruit, & in virilitate ſacram. Sub Franciſco Sfortia non abſque laude direxit turmas, ſed relicto deindè armorum ſtudio, rurſùs omnem operam in artibus literarijs collocauit, quas floridioribus annis intermiſerat, & acerrimo

(8) *Tom. prim. pag.* 15. & 16.

ingenio

ingenio amiſſum tempus mira fęlicitate reparauit. Satis inſtructus Oratoria, Poeſi, & Iuriſprudentia, Præſulare palliolum ſuſcepit, intèr Referendarios, Prothonotarios, & Cameræ Clericos adnumeratus. Prætèr diſciplinas, quæ induſtria, & labore mentis comparantur, Stephanum adeò exornabant circumſpecta prudentia, incomparabilis comitas, & immenſus amor temperantiæ, clementiæ, ac æquitatis, vt ipſum Calliſtus III. Flaminiæ, & Pius II., olìm in priuata fortuna ſocius, Piceno præfecerint, cum iucundiſſimam fore populis eius adminiſtrationem iudicauerint. A Pio in Germaniam Apoſtolicus Nuncius, & an: 1461. Archiepiſcopus Mediolanenſis dictus eſt, ad quam ſublimem, intèr cæteras Italiæ ſedem, tùm Caroli Patrui, ac Deceſſoris meritis, tùm proprijs conſcendit. Tantam apud Paulum II. exiſtimationem obtinuit, quantam apud Pium obtinuerat. Illum ſiquidèm Paulus Neapolitana Legatione ad Ferdinandum Regem, & Regimine Almæ Vrbis inſigniuit, vt Quiritum vota fortunaret: & ſanè nihil deſiderari viſum eſt publicæ fęlicitati, cum optimum Rectorem incorruptæ Iuſtitię, & opportunæ ſeueritatis dotes velut ad latus conſidentes decorarent, tàm in cognoſcendis cauſis, quàm in ſceleribus mulctandis; quæ optatiſſimam eius moderaminis recordationem Populo Romano reddiderunt. Egregia ſubindè monumenta poſteris reliquit, inter quę erectas à fundamentis ędes, adhùc recentium Gubernatorum Romæ domicilium. Xyſtus IV. deniquè pro tantis in Eccleſiam meritis ei dignam mercedem relaturus, in altera Cardinalium promotione habita Nonis Maij an: 1473.,

ipſum purpura & titulis S. Hadriani, ac mòx S. Mariæ Tranſtiberim, Abbatia SS. Conſtantij, & Victoris Salutienſis Diœceſis, ac tandèm Legationibus Piceni, Arimini, & Auenionis auxit. Ariminenſem præcipuè ingreſſus eſt intèr lætiſſimos obuiàm prodeuntis multitudinis clamores, & ſplendidos viarum apparatus, Roberto Malateſta Pontificij exercitus Imperatore vita functo an: 1482., vbi cum in Prætorium perrexiſſet, Pandulphum, & Troilum ex pellice Roberti natos, fiduciarios S. Sedis inſtituit, ac ad ſanguinis iura deletis maculis natalium reuocauit. Hæc, & alia munera ingenti præſtantia exercuit, & ſacros Sacerdotiorum redditus, quibus incrementum domeſticis opibus impertiri potuiſſet, in ornandis Templis, & alendis pauperibus impendit. Bona quinetiàm Noſocomio Lateranenſi largitus eſt quamplurima: & inſupèr, cum vir æquè ſapientiſſimus ac expertiſſimus probè noſſet, vtiliorem eſſe cœteris, qui multos efficeret idoneos adminiſtrandæ reipublicæ, quàm qui ipſe rectè gubernaret, in ſuis nouiſſimis tabulis, confectis die 4. Octobris anni 1684. (1) Collegium, deindè poſt eius mortem, anno videlicèt 1488. erectum, (2) & abſolutum, fundauit, dotauitque, & Conſtitutiones, ad mores, & diſciplinam degendorum inibì Scholaſticorum accommodatas edidit. Nominauit præterea, & creauit

(1) *per Acta Tiberij de Bartolis, & Antonij de Alberijs inſolidum rogat.*

(2) *Ex Camill. Fanucc. de Oper. pijs Vrbis, tradit Flau. Cherubin. in Compend. Bullar., ad Conſtit. 25. S. Pij V., Schol. 1.*

in Guber-

in Gubernatores eiuſdem Collegij, nobiles viros Cuſtodes pro tempore pij Hoſpitalis Imaginis S. Saluatoris ad Sancta Sanctorum de Vrbe. Ius verò Alumnos eligendi adiudicauit partìm Succeſſoribus in Archiepiſcopatu, partìm Nardinæ Familiæ [1]; qua tandèm deficiente, Paulus V. Pontifex Max. ſanciuit, (2) vt tres loci ad eam nouiſſima Stephani voluntate pertinentes, impoſterùm Ciuibus Foroliuij traderentur. Eccleſiam ſibi concreditam ſolertèr cuſtodiuit, & vnicè adamauit; illam nimirùm argenteis vaſis, pretioſis aulæis, & infula auro gemmiſque contexta ornatiorem fecit. Ædes duas potiùs condidit quàm reſtituit; alteram, quæ ab Archiepiſcopis inhabitatur, alteram, quæ ſpirituali Foro inſeruit, vtramque in via S. Pauli collabentem. Extrà Ticinenſem Portam conſtruxit voluptatis domum, vbi defeſſi Præſules animum à curis miniſterij relaxarent: Nequè præcipua in his ædificijs fuit eius ſollicitudo, ſed maior in expolienda Cleri diſciplina. Litanias triduanas adinuenit, & laudabilem Supplicationum vſum, olìm à D. Lazaro Archiepiſcopo Mediolanenſi repertum, & poſteà antiquatum, renouauit. Cum verò in hominibus natura inſerat quemdam familiaris gloriæ amorem, Nardinam ſtirpem emptione Oppidorum Carboniani, & Iulianelli in

(1) *Ex Conſtit. S. Pij V., incipien. Accepimus, in Bullar. Cherubin., intèr illas d. Pontificis, 25. in ordine.*

[2] *Ex Indulto, ſeu Breui Apoſtolico, dat. Romæ 22. Nouembr. 1605. impreſſo in calce Statuti Forol. pag. 241.*

latino

latino agro amplificauit . Tandèm Cardinalatus anno vndecimo, Archiepiſcopatus vigeſimo tertio, XI. Calendas Nouembris an: 1484. à vita migrauit, inter populorum, & pauperum, quorum Pater extiterat, ploratus. [1] In Vaticano ſolemnibus Iuſtis elatus, & ſepultus eſt cum hac Inſcriptione.

D. O. M.

STEPHANO NARDINO PATRIA FOROLIVIENSI -- TIT. S. MARIÆ TRANSTIBERIM PRESBYTERO CARDINALI -- ARCHIEPISCOPO MEDIOLANI, LEGATO AVENIONIS -- OBIJT ANNO SAL. MCCCCLXXXIV -- XI. CAL. NOVEMBRIS.

Hæc Gens Nardina clarioribus Flaminiæ æquiparanda, Malateſtis Arimini, ac Sfortijs Mediolani affinis, à Nardo Heroe Gallo originem Foroliuij traxit, anno ſecundo, quo Carolus Magnus imperauit (2). Ab Auctore in primordijs appellitationem Nardæ, & poſterioribus æuis à vulgo Nardinę accepit. Non tamèn in Stephano, & Criſtophoro extincta eſt, ſed in iſtius filijs Tiberio legitimi coniugij, Archiepiſcopo Sipontino, &

(1) *Pius II. in Cōmentarijs. - Card. Papienſis in Epiſtolis. - Ioan. Ripamontius in Hiſt. Eccl. Mediolan. - Cęſar Clementinus in Hiſt. Arimin. part.* 2. - *Alphonſ. Ciaconius in Vit. Cardin. tom.* 3. *p.* 48. - *Eudox. Locatellus in Vit. S. Ioan. Gualberti pag.* 283. - *Io. Ioſeph Vaglianus in Summ. Vit. Archiepiſc. Mediol. pag.* 321.

(2) *Petrus Bauarinus in Chron. Italiæ tom.* 1. *pag.* 128.

Petro

Petro Paulò nothò. Is nimia libidine dominij captus, Surianum militibus præſidij trucidatis occupauit; ſed corripientibus Oppidanis arma, in fugam actus eſt. Hac defectionis nota inuſtus, bonorum iacturam Latij, & Flaminiæ ſubijt, vbi etiam caſtro auitæ ditionis fruebatur; quod Pontifex Franciſco ab Auria Liguri, certam vim auri perſoluente, beneficiario iure dedit [1]. Ità qui aliena affectant, propria ſępè amittunt.

CHRISTOPHORVS NVMAIVS.

EXortus eſt CHRISTOPHORVS NVMAIVS, Pini filius, clariſſima è ſtirpe; quam Germanus Dynaſta Foroliuij propagauit anno ſecundo Caroli Magni, ab inita Imperatoris dignitate. (2) Hæc per anteacta ſęcula opibus ferè immenſis, dominijs Linarij, & Cineſtri, Viris belli, & pacis artibus, ornatis, ac clientelis tàm validis emicuit, vt facilè in patria Gibellinæ factionis principatum ſibi aſciuerit. Chriſtophorus non ad eorum imitationem, qui ſplendidis palàm curis inanem gloriam quæritant, ſed ad certum perfectionis inſtitutum aſpirans, in clauſtris Minorum Obſeruantiæ, ſuam obſtrinxit voluntatem Deo. Bononiæ, ingenitam facundiam perfecit oratoria facultate; mòx in Gallias tranſmiſit, vbi grauiora vtriuſque Philoſophiæ naturalis, & diuinæ ſtudia excoluit, & altiſſima cognitione abſoluit, vt

[1] *Ex Chronica Romana Anonymi MS. pag. 129.*

(2) *Petrus Bauarinus in Chron. Ital. tom. 1. pag. 126. ex Ioanne Sellino de notabilior. Mundi.*

laurea Pariſijs decorari, & ad Præceptoris ſedem efferri meruerit. Acceſſerunt literarum ornamentis, rara admodùm prudentia, & integritas, quæ omnium amorem, & plauſus traxerunt. Rex ipſe Franciſcus, eo theologo in trutinanda bellorum iuſtitia, Vxor Claudia eo miniſtro in expianda conſcientia vti voluerunt. Intèr Cęnobitas etiàm velut communis parens habebatur, quod præclarum nomen licèt nondùm gradibus geſtis ſibi peperiſſet, ſapientia, ſanctimonia, & affabilitate comparauit. Anno demùm 1512. ad munera Commiſſarij, 1514. Vicarij Ciſmontani, 1517. Miniſtri Generalis delectus fuit. Optabat Leo X. Seraphicam familiam ſub Reformationis zelo diſſidentem copulare; vt fructibus mutuæ charitatis, & vnanimitatis ſub prudenti Chriſtophori imperio frueretur. At Pontificis decretum antiquauit, & concordiam ab Alberto Pio Carporum Principe doctiſſimo viro procuratam, Turcarum bellum interrupit, quod ad maiora Leonis mentem aduocauit (1). Cùm autèm iſte Numaium, iàm ab an: 1515. officio decoratum Nuncij, & Apoſtolici Coñiſſarij ſupèr ædificium Vaticani Templi, ſumma beneuolentia reſpiceret, & familiari conſortio dignaretur, nec parùm profuturum Romanæ Eccleſiæ eius operam, ac conſilium iudicaret, Chriſtianiſſimo Rege laudandum propoſitum fouente, Cal. Iulij an: 1517. Presbyterum Cardinalem S. Bartholomęi in Inſula, & deindè S. Mariæ in Aracęli renunciauit. Tàm ſublimem gradum diù Chriſtophorus heroico hu-

(1) *Petrus Rodulphius in Hiſt. Seraphica lib. 2. pag. 195.*

manarum

manarum dignitatum contemptu renuit, nèc priùs aſcendit, quàm à Pontificijs mandatis, omnes conſtantiæ, & humilitatis ſenſus ſuperantibus, ad obedientiam coactus fuerit (1). Non tamèn ſe ſtatim regulari Imperio exauctorauit, quod permittente Leone exercuit vſque ad comitia Lugduni indicta an: 1718., nec Comiſſarij D. Petri præfectura, eidē vſque ad exitum vitæ ampliſſimis priuilegijs prorogata. Propterea ſuæ Gentis memor, natis ex illa, ac naſcituris, qui Societati Corporis Chriſti in D. Mercurialis dediſſent nomen, apoſtolica auctoritate indulſit, vt confeſſarios eligerent, quos ex vtroque Clero mallent. His poteſtatem fecit, vt illos ſemèl expiare à quibuſcumque peccatis, etiam Caſuum in Bulla Cœnæ Domini reſeruatorum, exceptis quinque; Vota, in alia pia opera immutare, præterquàm emiſſa in Regularibus familijs, & ſolemne caſtitatis, poſſent. Singulis autèm ſacri Cętus Socijs ex agnatione ſua, vt in quadrageſima, in vigilijs ab Eccleſia præſcriptis, carnibus, & lacticinijs veſci; in Paſchate Euchariſticum panem ſuſcipere à quouis presbytero, & vbicumque locorum; Altare portatile inſtar Magnatum, & Prælatorum in proprijs ædibus erigere, & ibi Sacrificia audire etiàm interdicti tempore valerent, dummodò ſpiritualis animaduerſionis Auctores non fuerint; & ſi intereà diem obijſſent chriſtiana pompa in auitis ſepulchris tumulari, diplomate, perpetuum

[1] *Alphonſ. Ciaconius in Vit. Cardin. tom. 3. pag. 394. - Ferdinand. Vghel. in Ital. Sacr. tom. 1. pag. 331., tom. 6. pag. 506. - Morery in Magn. Dictionar. hiſtor., in verbo Numai.*

robur habituro, conceſſit, ac ſanciuit [1]. Tres Chriſtophorus Eccleſias ſibi concreditas, ſanctè, & gloriosè rexit, Iſernienſem intèr Samnites, Alatrinam in Latio, ac Regienſem in Gallia Ciſalpina. Cum verò ad tantum, & triplex onus expaueſceret, & de imbeçillitate virium ſuarum vereretur, primam Antonio fratris filio commendauit, in quo nouerat conſtantiam, zelum, & alias optimi Paſtoris dotes. Nèc minus illis, quàm Romanæ profuit, cui in arduis muneribus, & potiſſimùm in Legatione Galliarum prudentèr inſeruiuit; nam cum Leo cuperet Francorum Regem, militari gloriæ inhiantem, ad pacem cum Chriſtianis Principibus ſanciendam flectere, & ad infidelium perniciem, & cladem incitare, difficilem prouinciam Numaio impoſuit, qui & potentia ſermonis, & regia amicitia tantæ rei opportunus videbatur. Extant typis monita Chriſtianiſſimo Regi facta, exametris deindè verſibus elucubrata, quæ æterna erunt eius poeticę præſtantiæ teſtimonia. Extincto Leone, cum Patres Conſcripti, merita Collegarum trutinarent, in Chriſtophorum ſuffragia conuertere, virtutem admirantes, deſtinabant, niſi Deus occulto flamine eorum mentes ergà Hadrianum VI. impuliſſet. Hadriano ſuceſſit Clemens VII., quo ſedente Sancta Vrbs polluta, & crudelitèr direpta eſt. Nàm dùm Germani in omne ſcelus palantes furerent, & Quirites ipſi abeuntes in diuerſa, aut præcipite greſſu dilaberentur, aùt gazam ſepelirent, Chriſtophorus nodoſa podagra laborans ſequi Pontificis, & Car-

(1) *Ex Priuileg. Card. Chriſtoph. dat. Lugduni 8. Iulij an:* 1518.

dinalium

dinalium veſtigia haud potuit, ſe ſe in Hadrianę Molis ſepta recipientes. Itaque à cunctis deſtitutus in poteſtatem inimicorum venit, qui nec purpuræ, nec oris maieſtatem veriti, eum pleriſque conuicijs affecerunt. In vili ſiquidèm iumento collocatum, longam manibus mulcentes barbam, in caſtra captiuum abduxerunt; dùm mali homines illuderent captiuo, boni autèm inuiſum ſpectaculum cernentes ad miſerationem mouerentur. Hæc tamen omnia mira patientia, & virtute ſuſtinuit, tanquàm nec oculis cerneret aſſultus, nec auribus improperia audiret. Demùm à cuſtodia eductus eſt, redemptionis ſponſore Cęſare Herculano Foroliuienſi, qui præclaram, & immortalem rem ſuſcipiens, carceris anguſtias tolerare, donèc iniquum redemptionis prætium ſolueretur, quàm venerabilis conciuis calamitatem maluit. Chriſtophorus nè diutiùs hæc ſcelera, & infortunia Romæ intueretur, Anconem petijt, vbi inuenit epiſtolas Franciſci I. Galliarum, & Henrici VIII. Angliæ pijſſimorum Regum, quibus magnanimi Athletæ orthodoxi cultus, facinus execrabantur, & ſcandalum, ac contemptum ægerrimè ferentes, eum cum ſacris Collegis in Narbonenſem Galliam euocabant, opportunum conſilium inituri, quo iniuria irrogata Deo, & dedecus Eccleſiæ illatum deleretur. Titulus literarum erat: *Reuerendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino, Amico noſtro chariſſimo* (1). Verùm cum Chriſtophorus poſt tantas animi, corporiſque curas,

(1) *Ex Epiſt. Franciſci Regis dat. Pariſijs 8. Cal. Iulij anno* 1527. - *Ex Epiſt. Henrici Regis dat. Vindſorræ 4. Idus Iulij an:* 1527.

requiem angoribus ſuis expectaret, à miſera hac humo exceſſit XII. Cal. Martij an: 1528. (1). Anconæ elatum, mòx balſamis imbutum cadauer, & Romam comportatũ, in Araçelitano Templo ſepultum fuit, poſtquàm Antonius Iſernienſis Antiſtes Patruo optimo, & de ſe benemerenti, ſolemni Iuſtorum ritu parentaſſet.

MARIVS THEODOLVS.

MARIVS THEODOLVS, patria Romanus, ſed patre Theodolo Marchione S. Viti, & maioribus Forolivienſis. Ab Auis enim Marij Iacobo equite S. Georgij, & Fçlice Maldentia Cçciliani Comitiſſa Theodolam ſtirpem ſatam, Hieronymus Gadium Epiſcopus in Vrbem inuexerat, magnis opibus, & affinitatibus Romanorum Principum, ac præſertìm Vrſinæ Gentis roboratam. Marius cum in adoleſcentia ſigna acris ingenij, & præclaræ indolis dediſſet, ac immenſo ſcientiarum amore teneretur, in ſtudijs humanitatis, & liberalium Artium in Collegio Romano verſatus eſt. Mox ad contemplatricem philoſophiam, & moralem ſe contulit: omnes deindè animi vires cçſareo, ac pontificio Iuri ſub Doctoribus celebris famæ adiecit. Laurea inſignitus per varios Aulæ honores, & gradus aſcendit.

(1) *Leander Albertus in Deſcript. Ital., Reg. 14. Honuph. Panuinius in Epit. Rom. Pontific. - Franciſcus Harold. in Epit. Annal. Min. tom. 2. pag. 872. - Franciſcus Gonzaga part. 2. pag. 270.*

Primùm

Primùm intèr Abbreuiatores Parci maioris, & Cameræ Clericos adſcriptus, prudentiſſimus Vir nihil curarum prætermiſit, quin incorrupta iuſtitia, ſumma moderatione, ac benignitate in muneribus ſuis fungeretur : quod largiùs præſtitit in Præfectura Annonæ, cum nemini licèt ex infima plebe nato acceſſum denegaret, & vbertatem rerum omnium, publicæ fęlicitatis zelo procuraret. Dum communi plauſu hæc munia perageret, ad ampliſſimam dignitatem Auditoris Generalis Apoſtolicæ Cameræ promotus eſt, qua, & ſibi ſuffragantibus meritis ad ſacram purpuram peruenit. Cum ideò virtutes, & res geſtas attentè perluſtraſſet Vrbanus VIII. Pontifex Maximus, illum de Republica, & de Romana Eccleſia apprimè benemeritum, in poſtrema Cardinalium creatione inter excelſos, & ſacratos Patres cooptauit III. Idus Quintilis an: 1643., eique Titulum Presbyteralem contulit S. Alexij in Auentino monte. Refulſerunt adeò in purpura Marij virtutes, vt Francorum Natio, in locum Alexandri Bichij Cardinalis, & Galliarum Protectoris, gauiſa fuerit eum videre à Rege ſubrogatum. Hoc munus, quamdam regiæ maieſtatis imaginem referens, Ludouici XIII. probationem expleuit, quam populorum laus conſecuta eſt, omniumque eorum, qui eximios mores, dexteritatem, & in agendo robur tanti viri admirabantur. Sublato è viuis Vrbano, cum Innocentius X. è Pamphilia Gente ad ſummum Sacerdotium aſcendiſſet, & præclara ergà ſe Marij merita, & officia intueretur, eum Epiſcopum Imolenſem renunciauit. At quam ſperabant fęlicem adminiſtrationem Corneliani, quod præſidium Liuienſes, patùm duraturum nacti ſunt,

aeris tenuitate, illius inualidæ ſaluti aduerſa. Eâ ſiquidèm Marius profligatus, ſpiritualem ſarcinam depoſuit; & poſt añum ab inito Epiſcopatu Romam reuerſus eſt, vbi craſſiori natura latini cęli prauos corporis affectus remoueret. Verùm damno magis publico, quàm ſuo in tabem paulatim incidit, & lenta febri confectus occubuit, anno ętatis ſuæ vndequadrageſimo, Reparationis humanæ 1650., Cardinalatus ſeptimo, VI. Cal. Iulij (1). In Templo S. Alexij poſt inſigne funus, ſicut eius natalia, & dignitates flagitabant tumulatus eſt. Foroliuiani tamen tanti Conciuis nomen, & merita in Aula, & Proſpectu Apoſtolicarum ædium, cum ſimulacro è marmore, vt perennitèr viuerent in mentibus poſteritatis, inciſa, poſuerunt.

FRANCISCVS PAVLVTIVS.

IN lucem hanc prodijt FRANCISCVS, Ioañe ex Co: Calbuli, & Bernardina Maſeria Parentibus vetuſtæ nobilitatis, IX. Cal. Auguſti an: 1581. Innatam docilitatem ſortitus, & memoriæ vim, ijs tanto progreſſu, & fęlicitate in literis addiſcendis vſus eſt, vt ingentem ſpem daret futuræ ſortis; & elegantia morum, modeſtia, & vrbanitate communem amorem alliceret. Adoleſcentia in diſciplinis liberalibus traducta, Romam apud Fabritium Patruum profectus eſt. Erat ille Vir celebris, & eruditione ſacra, &

(1) *Alphonſ. Ciaconius in Vitis Cardinalium tom. 4. pag. 626.*

integritate

integritate vitæ, ob quas fuerat poſt erectam Plebanam Sedem, primus Antiſtes in ea collocatus. Comperta Adoleſcentis indole, nè inter otia, & delicias contabeſcens, pręclaris dotibus abuteretur, prouidè curauit; quippè ſapientiſſimus vir ille non ignorabat, perpetuum laxitatis diſcrimen à domus illecebris imminere iuuentuti, niſi maturè caueatur. In Collegio Romano expletis ſtudijs politioris eloquentiæ, Cęſari Baronio adhęſit, fama ingentis literaturæ tunc florenti, & apud Clementem *VIII.* Pontificem Maximum gratioſo, à quo tandèm ad purpuram elatus eſt. Iſte in diſcipulo acumen mentis, indefeſſam induſtriam, & ſacræ ſcientiæ cognitionem cernens, illum vnicè dilexit, eò libentiùs, quò arctori amicitiæ nexu Fabritio obſtringebatur. Nèc ſemèl amatiſſimum tyronem duxit ad oſcula Clementis pedum, à quo poſt paternos amplexus benignè monitus eſt, vt alacriùs inchoatos labores proſequeretur, & præmium reſpondens meritis indè ſperaret. Verùm Pontifice dies ſuos obeunte, à ſacris litteris, quas impensè coluerat, ad Iuris prudentiam acri ſtudio ſe conuertit. Laurea doctorali ornatus, & in Romanæ Curiæ praxi ſatis ſuperque inſtructus, forenſes cauſas tueri cępit, eo ęquitatis, & ſinceritatis conſilio, vt illos clientès nollet, quibus defendendis dubium patrocinium, minùſque licitum prębere oporteret. Hęc laus omnes Italiæ, quinimò longinquos Germaniæ fines peragrauit; nàm plerique in ea Principes, non modò controuerſias, cauſaſque ſuas propugnandas com̄endarunt, ſed magni quoque ponderis negotia apud S. Sedem, quę fide integra ſemper abſoluit. Tiaras Epiſcopales pluriès

L renuit,

renuit, à Gregorio XV. exhibitas ; quamquàm tamen paſtorale onus recuſans, inuidiam, & calumnias competitorum ſubiuit, quos timor angebat, ne ſi fortè Curiam diutiùs coluiſſet ad maiora exaltaretur. Id autèm infracto animo Franciſcus pertulit, nequè cum ſecùs iniuriarum iniquitatem delere poſſe animaduerteret, enixiùs Fori laboribus vacauit, vt gloriæ propriæ, & alieno commodo inſeruiret. Vicit tandèm conſtantia ęmulationes, etenim ſub Vrbano VIII. anno 1626. inter Referendarios Signaturæ, & Prælatos domeſticos adnumeratus, à Secretis Congregationis Concilij, & ſuper Controuerſias Iuriſdictionis dictus eſt. His Pręfecturis in longeuo Regno, alij acceſſerunt gradus Examinatoris Epiſcoporum, & Conſultoris SS. Inquiſitionis, & altiores proclamabantur, niſi mors Vrbani ei ſpectatiſſimum dignitatis locum, & ſequentibus Curiam gaudium intercepiſſet. Poſterus Pontificatus aduerſas vices, & rerum commutationem tulit ; illi ſiquidèm velùt neglecti iacuerunt, qui in præterita adminiſtratione laboribus ſuis egregiè conſumatis, iuſtiſſima omnium obſequia merebantur. Ità Franciſcus cum inimica ſorte colluctatus eſt, donèc regnauit Innocentius X. Hoc à viuis diſcedente, D. Petri Sedem occupauit Alexander VII., qui reuocata memoria meritorum, ſtrenuęque Franciſci vitæ, vſque ad pręcipitatos ſenectutis annos actæ, ipſum in altera Cardinalium promotione V. Idus Aprilis an. 1657. Presbyterum S. Ioannis antè Portam Latinam declarauit, & Congregationis Tridentini Concilij Præfectum : quod quidèm munus, à Secretis per annos triginta, ingenuo candore, circumſpecta prudentia, & inſigni doctrina promeruerat.

promeruerat. Hæc merces licèt ſerò tradita tàm digno viro, in Curia deſudantes inenarrabili iucunditate, & Foroliuianos immenſa lętitia affecit, qui externo publicæ ędis parieti Franciſci marmoream effigiem, cum inſcriptione compegerunt. Accepto ſtatìm Pileo, pia ſtudia poſuit in inſtaurando titulari Templo, ob vetuſtatem collabente, ibique pingi iuſſit hiſtoriam martyrij Diui Ioannis. Cùm tandèm Romanæ Eccleſiæ, & Reipublicæ Chriſtianæ forti conſilio, & opera tandiù profuiſſet, VII. Idus Quintilis an: 1661., quarto Cardinalatus, octogeſimo primo ætatis à laboribus ſuis requieuit, magno Vrbis, nè dicam orbis deſiderio (1). Erat ſtatura humili, ſed celſo animo, facie oblonga, & gracili, oculis, & capillis nigris, qui tamen per ſenectam canuenerant, fronte, naſo, cęteriſque oris partibus in rubicunda cuti ad numeros naturæ appoſitis. Pleroſque libros exarauit de grauiſſimis S. Sedis rebus, quæ velut pretioſa pignora, nàm ab erudita eius mente elaborata, ab hæredibus ſuis aſſeruantur. Sub Tolo Vallicellano ſolutis de more parentalibus humatus eſt, cum hoc Epitaphio.

D. O. M.

FRANCISCO PAVLVTIO EX COMITIBVS -- CALBVLI FOROLIVIENSI, ET S. R. E. CARD. -- TIT. S. IOANNIS ANTE PORTAM LATI:-- NAM, QVI ANNORVM XXX. SPA-

(1) *Sfortia Pallauicinus in Hiſt. Concil. Triden.- Antonius Merenda in Controu. vol. 2. lib. 12. pag. 50.- Alphonſ. Ciaconius in Vit. Cardinalium tom. 4. pag.* 732.

TIO A'-- SECRETIS SAC. CONGR. CONCI-
LIJ , SIMVLQVE -- SAC. CONGREG. SVPER
CONTROV. IVRISDIC. -- ET TRIBVNALIS
FIDEI CONSVLTOR OB -- INGENVITA-
TEM , DOCTRINAM , PRVDEN: -- TIAM
SEMPER AVLÆ ROMANÆ PRO: -- BATVS,
A' PRINCIPIBVS CVLTVS , A' -- SVMMIS
PONTIFICIBVS GRAVISSIMIS QVI: -- BVS-
CVMQVE NEGOTIJS ADMOTVS , ATQVE
AB -- ALEXANDRO *VII.* IN TESTIMONI-
VM VIR: -- TVTIS OPTIMÆ MERITÆ OR-
NATVS PVRPVRA, CVM EIVSDEM CONG.
CONC. PRÆ: -- FECTVRA, OBIJT OCTO-
GENARIO MAIOR -- DIE IX. M. IVLIJ
ANNO SAL. MDCLXI. -- CAROLVS PAV-
LVTIVS EX CO: CALBVLI , SIGNATV: --
RÆ IVSTITIÆ DECANVS -- PATRVO BE-
NEMERENTI -- P.

STEPHANVS AVGVSTINVS

INclytæ nobilitatis Genitores habuit STEPHANVS Bonamentem , & Lucretiam Paulutiam ex Comitibus Calbuli . Adoleſcens inter Canonicos Patriæ adſcriptus eſt , ſed breui vt ſtudijs tribueret florentes annos, in egregiam de ſe ſpem vocantes , petiôit Romam, vbi creſcentibus cum ætate meritis æquior merces manebat. Ibi tota animi contentione vtroque Iuri addictus , adeò profecit , vt fungi egregijs muneribus non ingloriè potuerit. Siquidèm Bononiam

miſſus

miſſus ad ſubeundum in ea Legatione Auditoris onus, & doctrinà in cognoſcendis cauſis, & prudentià in rebus pertractandis multum valuit; Mòx Vicarius Generalis Firmanæ Eccleſiæ declaratus eſt, vndè recedere cogebàtur Carolus Cardinalis Gualterius Archiepiſcopus, & Princeps, vt morboſos affectus, quos noxius aer ſanitati ſuæ attulerat, opportunè declinaret. Hanc adminiſtrationem Stephanus coniuncta grauitati dulcedine, & iuſtitia clementiæ perfecit, ad æternum omnium, vt præſertim ordinis patritij laudem, à quo cum poſteris Auguſtinæ Proſapiæ in album nobilium relatus eſt. Exacto officio ob Caroli Cardinalis mortem, quam immaturam appellat *Io: Baptiſta de Luca* celeberrimi nominis Cardinalis, ei coniunctiſſimus, (1) reditum ad Almam Vrbem fecit, plauſus, & amores Firmanorum ſecum ferens, quibus velut deductus ad gradum Collateralis Capitolini aſcendit an: *1661.*, & honeſtiſſimum ſibi nomen inter Quirites comparauit. Sìc ornamentis animi ſui palàm factis vniuerſæ Aulæ, & potiſſimùm Alexandro *VII.*, virtutes Franciſci Cardinalis Paulutij, in eo tanquàm renatas inſpectanti, Stephanum an: *1666.* Eleemoſynarium, & Cubicularium intimum creauit, in quatuor Congregationibus, quæ coràm ſe habebantur intromiſit, alijs Ædificij Vaticanæ Baſilicæ, & Viſitationis Apoſtolicæ eadem munificentia adſcripſit, nec non Canonicatu D. Petri decorauit. Clemens IX. poſt Alexandrum Pontifex, qui in Stephano firmum, ac virile conſilium,

(1) *Card. de Luca in Relat. Rom. Curiæ diſc. 46. num.* 82.

& inexpli-

& inexplebilem amorem Iuſtitiæ ex familiaribus colloquijs dignouerat, illum à Secretis ſupplicum libellorum, Prælatum domeſticum, Secretarium Luſitanicæ Congregationis, Archiepiſcopum Heracleenſem, & Conſultorem S. Officij renuntiauit. Neque hic abrupta eſt virtutis eueſtio, etiam per obitum Clementis X. Nono ſuffecti, qui Stephanum impensè amauit: Etenim Innocentius XI. illi in Regno ſucceſſor, ſcrutatorque meritorum optimus, eundem reſpexit, & ità in eius integritate ſibi complacuit, vt an: 1676. Datarium conſtituerit, & demùm in prima Creatione Purpuratorum Patrum an: 1681. Presbyterum Cardinalem declarauerit, eique Titulum S. Ioannis antè Portam Latinam attribuerit, quaſi reſtauraturus Auunculi memoriam, & dignitatem. At breuis fuit Reipublicæ Chriſtianæ vtilitas, & Ciuium lętitia, quę foris prominuerat effuſiſſimè intèr communis gaudij ſignificationes; nàm octodecimo Cardinalatus menſe, anno ętatis ſuæ ſeptuageſimo, à partu Virginis 1683., XII. Cal. Martij vitam cum morte commutauit. Elatus eſt in S. Mariæ Vallicellanæ, & propè cineres Cardinalis Paulutij tumulatus, ſimili pauimenti ornatu, varietate marmorum nitentis, ſub Tolo Fani, cum ſequenti Elogio.

D. O. M.

STEPHANO DE AVGVSTINIS PATRITIO FOROLIVIENSI -- TIT. S. IOANNIS ANTE PORTAM LATINAM S. R. E. PRESBYTERO CARD. -- QVI A' FRANCISCO CARD. PAVLVTIO AVVNCVLO ROMAM ACCERSITVS -- INTEGRITATIS, DOCTRINÆ, PRVDEN-

DENTIÆ, ET MODERATIONIS MAGNAM BREVI FAMAM ADEPTVS-- AB ALEXANDRO *VII.* PRIMVM, MOX AB VTROQVE CLEMENTE *IX.*, ET X. INTIMIS AVLÆ MINISTRIS ADNVMERATVS-- IN PRÆCIPVIS VRBIS CONGREGATIONIBVS, ET ARDVIS QVIBVSCVMQVE NEGOTIJS ADHIBITVS-- DEMVM INNOCENTIJ XI. MVNIFICENTIA DATARIVS-- AB EODEM PVRPVRAM IVSTE' ET VIGILANTER ADMINISTRATI MVNERIS PRÆMIVM TVLIT-- OBIJT XX*I.* MART*IJ* MDCLXXX*III.* ÆTATIS SVÆ LXX. CARD. *II.*-- ABBAS BONAMENTES DE AVGVSTINIS EX FRATRE NEPOS SS. VATICANÆ BASILICÆ CANON.-- SINGVLARIS IN SE AMORIS, ET BENEFICENTIÆ MEMOR POSVIT.

Cum verò Liuienſium conſilia ad ſempiternam memoriam clariſſimi, amatiſſimique Ciuis reſpicerent, Proſpectum Gottoniæ Portæ, qui Romanæ viæ occurrit, albis marmoribus indutum excitarunt, vbi ſimulacra Innocentij Pontificis, & Stephani cum inſcriptionibus ad vtrumque latus ſculptis collocarunt. Hæc paritèr indicia vel grati, vel obſeruantis animi Canonici edituri, ſupèr oſtium maius Cathedralis, olìm digniſſimo Collegæ; & Mathęus Fachineus Vir Camillæ Fulphiæ eius neptis, in exteriori muro paternarum ædium, marmoreas Imagines cum elogijs erexerunt. Fuit Stephanus multa corporis proceritate, vultu tereti, naſo prę longo, recedentibus oculis, ac nigris, quos crebra, & magna ſupercilia vallabant, colore carnis albo: Barbula autèm, alæ narium, & comę

ingra-

ingraueſcentibus annis canæ, ſed à fuſco naſcentes illi collatam à Natura maieſtatem geminabant.

FABRITIVS PAVLVTIVS.

GRande Patriæ, & Paulutiæ Genti ornamentum allaturus FABRITIVS in lucem venit *III.* Nonas Aprilis an: 1651., clariſſimis Parentibus Coſmo ex Comitibus Calbuli, & Luciana Albicini ex Marchionibus Luderniani genitus. Nondùm adoleſcentiam prætergreſſus Romam vocatus eſt à patruo magno Cardinali Franciſco, vbi creſcente cum annis ſciendi cupiditate in Collegio Romano indefeſsè humanioribus literis vacauit; neque per obitum Cardinalis intermiſit ſtudia, ſed altiora naturalis, & diuinę philoſophiæ, ac vtriuſque iuris mira alacritate perfecit. Poſt hæc placuit eccleſiaſticam diſciplinam profiteri, ad quam iamdiù inſtitutus ab optimis moribus videbatur; Pietas nempè, Religionis zelus, cętereque virtutes Clerici prototypum referentes, foris adèo prominebant, vt earum audiens famam Innocentius *XII.* rectiſſimus meritorum ſcrutator, ſtatìm Abbatia Montis Sarcij decorauerit; exindè verò ea omnia perpendens, quę egregium Paſtorem conſtituunt, Fabritium trigeſimum, & quartum annum agentem ad Maceratenſem, & Tolentinatem Eccleſias promouit. Conſecratione more Epiſcoporum in Vallicellano Templo à Gaſpare Cardinali Carpineo ſuſcepta, ad ſedem ſuam feſtinauit, vbi Clericorum mores iteratis edictis compoſuit, totamque induſtriam, & animum

animum in promouenda pietate impendit. Studio ſiquidèm & opera Presbyteris Miſſionis Maceratam accerſitis adfuit, Noſocomium inualidorum condidit, & Tolentini collabens Epiſcopium inſtaurauit. Coſmum *III.* Magnum Hetruriæ Ducem, cum Lauretanam Domum inuiſeret, ea qua par erat magnificentia excepit, & elegantia obſequiorum ſibi perenni beneuolentia aſtrinxit. Orbata Præſule, & Principe Firmana Eccleſia per obitum Ioannis Cardinalis Ginetti, ampliſſimæ Diçceſis adminiſtrationem aſſumpſit; illamque ſalubribus inſtitutis, & diligentia paſtorali perluſtrauit, vt morum coruptelis impenſiùs conſuleret. Quæ merita Innocentius *XII.*, & velut in Fabritio ſuperſtites Ferdinandi fratris nupèr extincti dotes dimenſus, ad altiora eleuandas, Romam euocauit. Miſſus mox Coloniam Agrippinam Apoſtolicus Nuntius, ea prudentia, religione, & ſapientia munus geſſit, vt non modò ab obſequentibus, firmiſque in Eccleſiæ Romanæ fide præconia vndique audirentur, ſed etiàm plurimi hçretica labe inquinati, eius monitorum potentia, ac dulcedine deuincti, errorum contumaciam execrati fuerint; nçc pauci Germaniæ Principes, & Sacri Imperij Electores tàm raras virtutes, & irreprehenſibile viuendi genus intuentes, ei plurimum amoris, & exiſtimationis tribuerint. Legatione ad Tractum Rheni glorioſè exacta, Sarmaticam glorioſiùs fecit, extrà ordinem Nuntius declaratus ad componendas ciuiles diſſenſiones; quibus inteſtinis Reipublicæ fluctuantis malis mirabilitèr ſedatis, pulcherrimum nomen Angeli pacis reportauit. Ibi, quod æternum apud futuras ætates erit, Auguſtum Saxoniç

M Ducem,

Ducem, à Polonis Ioanni Subieſcko immortalis recordationis Regi ſubrogatum, ad Catholicam Communionem venientem expiauit, & regia corona cinxit. Hic autèm ingenitæ liberalitatis, & grati animi ſui monumenta Pontificio Legato relicturus, eum adamantina cruce, quæ Regem decebat, & tantum Præſulem, donauit. Re tam vtili vniuerſæ Eccleſiæ facta, illum Pontifex ad ſedem Ferrarienſem interitu Dominici Cardinalis Tauruſij vacuam promouit; deindè in Italiam reducem, & iàm in pectore Cardinalem reſeruatum, XI. Cal. Iulij an: 1697. Presbyterum SS. Ioannis, & Pauli promulgauit (1). Pileo ſuſcepto nouum Epiſcopatum adijt, quem inſigni vigilantia, & zelo vſque ad exitum Innocentiani Pontificatus tenuit. Clemente ſiquidèm an: 1700. ſuffecto, cui ſatìs proſpectæ fuerant Fabritij dotes, omnium animos amore, & reuerentia deuincientes, ipſum à Secretis Status, Sac. Conſultæ Præfectum, & deindè poſt exceſſum ab hac mortali vita Leandri Cardinalis Coloredi, Summum Pęnitentiarium renuntiauit. Primam Dignitatem per annos viginti, intèr difficiles temporum conditiones incredibili omnium laude adminiſtrauit, vt alij diligere ſuauiſſimam indolem, alij mirari prudentiam, æquitatem, & conſtantiam in ſedandis turbinibus arduarum rerum cogerentur. Hos in Republica laudatiſſimos labores conſequuti fuerunt identidèm priuatæ viciſſitudines; dolenda nempè trium fratrum funera, & totidèm fratris filiorum immaturos omninò exitus,

(1) *Philippus Rondanini de Baſil. SS. Ioan. & Pauli cap. 15. p. 233.*

inconcuſſo

inconcuſſo animi robore paſſus eſt, vt tot aduerſis diuina conſilia heroicam ęquanimitatem comprobarent. Poſt longum Clementis regnum Collegarum ſuffragia in eo conſtiterant, & comunia populorum vota illum Patrem, & Principem conclamabant, cum virtus Altiſſimi ſuffragantium mentes in Innocentium XIII. compulit, vt forti daret tolerantiæ meritum, infirmis exemplum. Quamobrèm idem Pontifex miratus virtutem, Fabritio attribuit Vicariam poteſtatem in Vrbe Roma, quo ab humanis recedente, Benedictus XIII. Succeſſor, eidem adiecit, modeſtè detrectanti, magnum iterùm onus à Secretis, cum ad vtramque Dignitatem ſimul ſuppetere vires, & experientiam iudicauerit. Rexit etiàm Epiſcopus Cardinalis Eccleſias tres, Albanenſem, Portuenſem, & Oſtienſem, qua ſupremi Ordinis Decanus, nupèr extincto Franciſco Cardinali de Iudice potitur. Huic ſanè locus intèr Heroes dandus eſt, ob res eximiè, ſtrenuèque geſtas, & ob ingentia, quæ venturis ſęculis reliquit religioſi, & ſplendidiſſimi animi argumenta: Opes etenìm ſacrorum prouentuum, non in augendo familiæ luxu, ſed in alendis egenis, & exornandis templis profudit. Romæ Baſilicam titularem SS. Ioannis, & Pauli ſeruata venerandæ antiquitatis ſtructura, illique addita recentis elegantiæ forma, magnis ſumptibus condecorauit. Albanenſis Cathedralis Proſpectum conſtruxit, & marmorum opere omninò perfecit; demùm in Foroliuienſi, Aram, medianos parietes, & pauimentum Sacelli S. Mariæ ab Igne Ciuitatis Patronæ verſicolori lapide veſtiuit, & Deiparę Imaginem circumcluſit ſepimento ęreo, quod

ſuperliniuit auro præſtans artifex , & lapillis laxulis diſcriminauit. Magnificam Miſſionis Domum immenſis planè expenſis erexit , omnium iudicio cuncta Flaminiæ ædificia ſuperantem , vbi Sacerdotibus animarum ſaluti intentis dotem conſtituit, & celebrem bibliothecam parat ſtudioſę Iuuentuti . Alias dilectiſſimæ Congregationis ædes vel auxit , vel inſtaurauit , cum in diuina gloria vbique propaganda, omni conatu animi elaboret . Foroliuienſes, vt commune obſequium teſtarentur, molem ex albo marmore circà , & ſuper oſtium publici Palatij ,nobiliſſimo, meritiſſimoque Ciui adhùc viuenti erexerunt , & dicarunt .

IVLIVS PIAZZA .

EDitus eſt in vitam IVLIVS PIAZZA ex Comitibus Ricetti claris Parentibus Franciſco , & Franciſca de Sauorellis, Idibus Aprilis, anno 1663. Illi prædiues ingenium , animumque natura indidit vltrà nobilis viri fortunam , vt in ipſis ætatis primordijs , quid de eo ſperari poſſet , noſceretur . Romæ apud Camillum patruum S. Officij Aſſeſſorem morum tyrocinia accepit; mòx eruditionem ad bonas Artes , & demùm cognitionem Sacrarum Literarum , ne deeſſet vllum vel docto Viro , vel digno Præſuli ornamentum. Quæ cum innotuiſſent vniuerſæ Aulæ , ab Alexandro VIII. Abbas S. Angeli , & Belgij Internuncius promulgatus , munus ingenti ſplendore in difficillima tempeſtate exercuit , qua Bruxellarum Vrbs à potenti Gallorum exercitu bellicis

tormentis

tormentis impetita graue damnum ſubijt. Innocentius XII. ſummam in agendo ſolertiam, dexteritatem, & prudentiam admiratus, Iulium ad Clericatum Apoſtolicæ Cameræ accerſiuit, vbi propiùs raræ eius virtutes patuerunt; quas Pontifex ſupèr candelabrum poſiturus, vt cunctis prælucerent, eum Archiepiſcopum Rhodienſem, & Nuntium ad Helueticos Pagos dixit. Poſtquàm diù in Heluetia permanſiſſet, ibidèmque iuribus Catholicorum ſuſtinendis enixè ſtuduiſſet, ad Colonienſem Legationem inter Vbios translatus eſt, vbi primum Archiepiſcopatus titulum, in Nazarenum commutauit. Hìc ad neceſſitudinem multorum Germaniæ Principum acceſſit, & intèr cęteros Guillelmi Electoris Palatini, ac Chriſtiani Auguſti ex Ducibus Saxoniæ, poſteà Cardinalis, & Primatis Hungariæ. Oratoris munere ad Rhenum terminato, Polonicum iniuit apud Auguſtum Regem, quo egreglè functus, ad exercendum gradum à Secretis Supplicum Libellorum, Romam venit. Clemens XI., qui participem conſiliorum Iulium fecerat, cum eum pertractandis negotijs aptiſſimum vidiſſet, in Aulam Auſtriacam legauit. Ibi Ioſephi Cęſaris gratiam, quantam nemo ex Legatis Principum, adeptus eſt, quæ maximam Eccleſiæ vtilitatem attulit: etenim ſuſpicionibus exortis intèr Romanum Regimen, & Viennenſe, cum Germanorum copiæ hybernis in Flaminia, & Picęno collocatis, eas Regiones diuexarent, Iulius mirabili prudentia abalienatum Cęſaris animum leniuit. Hac turbulentia extincta, & confirmata firmiori nexu Pontificis, & Imperatoris amicitia, Germani, Auguſti iuſſibus obtemperantes, citiùs quàm par erat ſtationi, receſſerunt,

runt, & populos inſuetis curis laborantes in veteri tranquillitate reliquerunt. Re tàm difficili prçter ſpem omnium ſedata, Iulius vſque eò Viennç conſtitit, dum Ioſeph à viuis abeuntem in nouiſſima colluctatione ſpiritus ſacris expiationibus communiuit. Apud Carolum VI. nùnc feliciſſimè imperantem commoratus eſt, & intèr alios Oratores Regum, & Principum in Conuentu Francofordienſi ſolemni ceremoniç interfuit Cçſareæ inaugurationis. His officijs ſtrenuè exantlatis, ſucceſſit præmium Epiſcopatus Fauentini, & Vaticanæ purpuræ, quorum alterum accepit morte Marcelli Cardinalis Duratij, alterum XIV. Idus Maij anno 1712. titulo Presbyteri Cardinalis S. Laurentij in Paniſperna. Fuit ingens Patriæ lçtitia duplici cardine Romanæ Eccleſiæ roborata, ſed eam minæ per Auſtriam graſſantis luis minuerunt. Soſpes in eo diſcrimine, dante Deo Iulius euaſit, & Romæ galero ſumpto ad moderamen Ferrarienſis Ducatùs progreſſus eſt, paulò ante Legatus à Latere in Pontificio Conſiſtorio declaratus. Hoc munus incomparabili humanitate, iuſtitia, clementia, ac liberalitate abſoluit, vt populi fçlicis adminiſtrationis memoriam adhùc reuereantur. Sìc ſe gerendo, maiorum beneuolentia, & æqualium exiſtimatione comparata, in poſtremis Comitijs Vaticanis, ex omnibus Canditatis propior ſummæ in terris Dignitati viſus eſt, vt Collegarum ſuffragia, vnanimis Chriſtianorum Regum fauor, & communia ſpondebant vota, cum æterna Dei conſilia Pontificem Maximum Benedictum XIII. voluerunt. Iulius autèm ſe ipſo maior, Prouidentiam hanc ingenti corde veneratus, ad Fauentinam Sedem redijt,

dijt , vbi magnis expenſis ab initio regiminis Epiſcopium auxerat, & luſtrata Diœceſi, Synodum tanta magnificentia celebrauit , vt ſeniores parem ſe non vidiſſe fateantur. Liuienſes tàm inclyti Ciuis memoriam ad poſteros demandaturi , monumentum ex marmore ſuper faciem Senatoriæ Baſilicæ iàm parant. Gens Piazza priſcam originem à Germania ducit, vt Carolus V. Cæſar ampliſſima pagina teſtatur , qua Ioannem Baptiſtam Equitem, Comitemque inſtituit, illuſtrium Progenitorum Chriſtophori Copini filij, & Chriſtophori ſenioris nepotis , qui pro Rogerio Siciliæ Rege fortitèr præliatus eſt , meminit , & ſymbolum gentilitij Stemmatis ab Othonibus primo , & quarto eos ſuſcepiſſe affirmat (1). Quare permoti Comites de Plazza in Norico florentes, ad Ditionum auitarum iura , proprijs ſtirpibus extinctis , poſteritatem Comitis Ludouici, Iulij fratris, Foroliuianum genus , & Vincentij equitis S. Stephani Parmenſe propagantes , tabulis obſignatis euocarunt , vt in progenies olìm à communi ſtipite traductas , hæc monumenta nobilitatis deriuarent. (2)

[1] *Ex Priuilegio Cęſareo Dat. Bononiæ* 22. *Martij anno* 1530.

(2) *Ex autentica Declarat. Co: Maximiliani , Franciſci, Ioſeph, Guidobaldi , Polycarpi de Plazza Dat. Clangefurti* 22. *Iunij an:* 1714.

In ſupremo

IN ſupremo Cardinalium Ordine, quo Romanæ Eccleſiæ dignitas, & potentia fulcitur, alij quoque Foroliuienſes remotioribus ſęculis, ampliſſimum locum obtinere virtutum ſuarum commendatione meruerunt.

AZZO ORGOLIOSVS in primis iuuentutis annis maiorum exemplo bella ſecutus eſt; in virilibus multa argumenta pietatis dedit, Familiæ Vallumbroſanæ adſcriptus. Sub Vrbano II. traiecit in Syriam, vbi aduersùs hoſtes Chriſtiani cultus quieſcentem quidèm, at non extinctam ſub monaſtica cuculla ſtrenuitatem excitauit; neque ibi vllam laborum, periculorumque mercedem reſpexit, niſi diuinæ gloriæ propagandæ opportunitatem. Rebus prætereà in Infideles pręſtantèr geſtis, in ſolitudinem ſuam ſe recepit. Hanc tamèn relinquere. à Paſchali II. coactus eſt, qui Viri meritis, & auita Orgolioſi generis nobilitate, ac etiàm vrgenti D. Bernardi de Vbertis Epiſcopi Parmenſis teſtimonio de præclaris eius virtutibus, ſæpiſſimè permotus, illum Presbyterum Cardinalem titulo, vel S. Balbinæ, vt *Eudoxius Locatellus*, vel S. Georgij in Velo aureo, vt *Valerianus Salainus*, variè ſentiunt, inaugurauit [1]. Extabant penicillo expreſſæ Azzonis Imagines in cęnobijs Foroliuij, & Flumanæ, rubro ſupèr galeam galero, bre-

[1] *Ex vita Azzonis in lib. Stellæ in Archiuio S. Mercurialis, exſcript. à Bernardino de Albicinis. Monac. Vallumb. - Valerianus Salainus in Vir. Illuſtr. Ord. Valliſumbroſæ.*

uiori

mori veſte monachali, ac euaginato enſe, antequàm muris emarginatis deperirent; ad pedes autèm hæc verba legebantur D. AZZO ORGOLIOSVS CARDINALIS SANCTÆ ECCLESIÆ.

ALBERTVS THEODOLVS ab Honorio II. Diaconus S. Theodori in Suburra renuntiatus eſt; at per quos gradus aſcenderit ad Cardinalatus dignitatem, nemo ad poſteros tranſmiſit. Anno 1131. in tabula pontificiæ donationis ab Honorio factæ Marco Antonio Comiti Montiſmartis, Ornani, & Lugani in Hetruria B. Petri, vbi Cardinalium Agnomina, & Patriæ exarantur, ipſe etiàm ſubſcriptus reperitur (1). Innocentium II. Honorio ſuffectum forti animo tutatus eſt ab inſidijs competitoris Anacleti, ſibi ſummum Sacerdotium aſciſcentis. Signauit Innocentianum Diploma Eccleſiæ Agathenſi datum anno 1135.; quibus, & alijs poſt ſe relictis monumentis, à mortali vita exceſſit [2].

GREGORIVS THEODOLVS vir inſignis ſapientiæ, cum vnicè iuſtitiam diligeret, vt grauiſſimis in officijs comprobauerat, ab Innocentio III. Presbyter Cardinalis S. Anaſtaſiæ dictus eſt. Sub Honorio II. Iudicis munus exercuit in cauſa Rauennati contrà Rectorem S. Saluatoris de Cupellis Almæ Vrbis; & poſteà Legationem Anagniæ, & Hernicorum. Sè varijs Apoſtolicis literis ſubſcripſit, quarum primæ an: 1216. ad Baſilicam La-

(1) *Ex tabulà donationis Honorij II. ſub an: 1131.*

(2) *Petrus Baccarinus in Chron. Ital. tom. 1. p. 128. Alphonſ. Ciaconius in Vitis Cardinal. tom. 1. p. 967.*

teranenſem, poſtremæ anno 1224. ad Eccleſiam Lucenſem, & Epiſcopos Raynaldum Firmanum, & Monaldum Foroſempronienſem, miſſæ ſunt. Cum tandèm adhùc Honorius in pontificio ſolio conſideret, & ipſe Legatione Anagnina fungeretur, XII. Cal. Iulij, ſed quo anno incompertum eſt, Præfecturam, & dies terminauit. [1]

DE EPISCOPIS

CAP. VI.

FRANCISCVS CALBVLVS.

EX potenti Comitum Calbulenſium ſtirpe FRANCISCVS ortum traxit, Parentibus Ioanne, & Catharina Ordelapha, à quibus, & à fumoſis imaginibus maiorum, ad appetendam militarem gloriam accenſus eſt. Cum autèm inter Agnatos ſuos, alios bellicæ artis famà, alios togatæ virtutis celebres intueretur, vtramque conſequi, & copulare conſtituit Bellator, & Prætor. Anno 1307. per varios militiæ gradus ſibi aſcenſum ad Florentini exercitus imperium aperuit; cui dum prçeſſet, Cardinalem Neapoleonem Vrſinum, Pontificium Italię Legatum, Aretij repentè obſedit, & in ſuam poteſtatem procul dubio redegiſſet, niſi oppoſitæ ſtudentes ſectæ coniunctis viribus, & armis eum ceſſare ab in-

(1) *Baccarinus tom.* 1. *p.* 128. - *Ciaconius tom.* 2. *p.* 33.

cæpto

cæpto coegiſſent. Hoc munere abſoluto, honeſtiſſima officia ſuæ tempeſtatis geſſit, anno 1308. ad Taruiſij prẹturam, & 1315. ad Patauinam accerſitus. At cùm sè pigeret militaris, politicẹque vitæ, & terrena deſpiciens ſupernis inhiaret, initiari voluit, & intèr Canonicos Cardinales Rauennæ cooptari nequaquàm detrectauit. Haud multò poſt Paſtore, ac Principe Eccleſia Sarſinatenſi orbata, cuius amplæ ditioni finitimi Dynaſtæ inſidiabantur, Nerius Faxola in Feretranis, & Franciſcus Ordelaphus in Flaminia latè imperitantes, vt eorum impetus propulſarentur, Calbulenſis ad hanc ſedem euocatus eſt an: 1327., in quo multæ artes eximiæ, militaris virtutis comites, & adminiſtræ ſummoperè eminebant. Erant Epiſcoporum dominio obnoxia, non ſolùm Sarſina, ſed centum, ac vndecim montana oppidula, à pia munificentia Conradi, & Friderici Cẹſarum B. Vicini Succeſſoribus conceſſa. Franciſcus Tiara accepta conſcripſit copias, & Arces validè muniuit, nè à formidandis hoſtibus impeterentur, proſpera fortuna confirmatus Bertrandi è Podietto in Æmilia Legati, qui omnia negotia belli, non alteriùs quàm eiuſdem conſilijs moderabatur, ac agebat. Cum autèm mutato rerum aſpectu, funeſti euentus fẹlicitatem inuertiſſent, & magna Flaminiæ parte à Pontificis obſequio abalienata, ſola Arx Cẹſenẹ in Eccleſiæ fide, licèt tumultibus Ciuium circumſæpta remaneret, Franciſcus Epiſcopus, & Gherardus à Caſtronouo pari poteſtate Imperij, ſex mille peditum, & duo equitum ducentes, ad eam ab imminenti lapſu liberandam miſſi ſunt. Verùm cùm præſentaneo ferendo auxilio, nullum patere locum reperijſſent, ſpe

deiecti, vaſtatis vbicumque agris ad Legatum redierunt. Hic tàm diuerſus fortunæ vultus, quæ Principi Foroliuiano aduerſa, Ordelapham Gentem cohibuerat, tandèm amica in ingentem ſuperbiam extulit. Quarè prudens, & prouidus Antiſtes inſeruire vicibus humanis operæ precium duxit, & Franciſco Ordelapho, quo cum, deſpecto cognationis vinculo, præualente zelo propriæ defendendæ Eccleſiæ priùs atrocitèr contenderat, reſtituere decreuit caſtra Lugariæ, Teſſelli, Montis Saraceni, Reblancanæ, & Montis Caballi, nè in ſummum diſcrimen reliqua ditio veniret. His furibundo victori redditis, militaris æſtus extingui in eo viſus eſt. At cum cęca regnandi libido ſæpe mortales vrgeat ad infringendas ſanctiores conſanguinitatis leges, Ordelaphus inducias, vel pacem rupit, & caſtra Montis Abbatis, & Linarij Eccleſiæ Sarſinatenſi rapuit. Sìc noui motus armorum exorti ſunt intèr auunculum, & nepotem, qui mirà conſtantià, modò Epiſcopatus iura defendit, modò impar virium iacturas tulit, donèc Ordelaphorum opes floruerunt, quibus demùm cadentibus reſumpto enſe, quæcumque amiſerat, recuperauit. Fuit ille non ſolùm Sarſinatis ſedis defenſor acerrimus, ſed etiàm Romanę vindex; apud Ægidium Albernotium, & Arduinum Abbatem Cluniacenſem, Pontificios Legatos, fidus Conſiliarius, & Comiſſarius Generalis belli. Rexit etiam ad tempus Æmilię partem, quę Eccleſię obtemperabat, ſempèr in belli, & pacis rebus memorandus. Erat enìm in fęlici fortuna non immodeſtus, & in iniqua tàm ſolidę virtutis, vt nec temperantia maior in continenti viro, nec firmitas animi in ſtrenuo reperiri

periri poſſet. Tandèm ad ſuum candorem reuocata Cleri diſciplina, & dominio ab iniurijs Tyrannorum ſolertèr vindicato, Sarſinę glorioſos dies clauſit anno Repar. noſtræ 1360., Epiſcopatus trigeſimo tertio, apud poſteritatem immortalis extiturus (1). Beneficiarios dixiſſe compertiſſimum eſt Ioannem de Ducibus, seù de Honeſtis Rauennatem, ex regali genere D. Romualdi, in oppidulis Maſtrij, Montis Saxi, Taibi, Piaię, Collonatę, & Montis Spellani: Salbaticum è familia Comitum Valbonę Foroliuienſem, Caſtri Acti: Maiolum ex nobilibus Montis Abietis, Careſti (2). Humatus eſt in ſua Cathedrali ſub hoc Epitaphio.

VENERANDÆ MEMORIÆ -- REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS -- DOMINI FRANCISCI EX COMITIBVS -- DE CALBVLO FOROLIVIENSIS -- S. SAXENATENSIS ECCLESIÆ EPISCOPI -- COMITISQVE BOBIENSIS, QVI FVIT ELECTVS -- ANNO MCCCXXVII. -- PRÆFVIT GLORIOSE HVIC CATHEDRÆ -- ANNOS XXXIII. -- DEMVM OBDORMIVIT IN DOMINO -- ANNO REDEMPTIONIS HVMANÆ -- MCCCLX. -- IN PACE QVIESCAT.

(1) *Hieron. Rubeus in Hiſt. Rauen. lib. 6. pag. 556. - Scipio Claramontius in Hiſt. Cęſen. lib. 13. - Ferdin. Vghellus in Ital. Sacr. tom. 2., in Epiſc. Sarſinat. num. 26. - Hieron. Fabrius in Mem. ſacr. Rauen. part. 1., pag. 34.*

(2) *Ex Libris antiqu. M. SS. Archiu. Ceulæ, ſub ann.* 1355. 1357. & 1359.

PONTI-

PONTIFICVM SPLENDOR, CALBVLÆ GLORIA GENTIS -- FORMIDANDE ARMIS, SACRA VENERANDE TIARA -- NOBILIS ECCLESIÆ TREPIDANTIA IVRA TVERIS -- ATQVE VSVRPANTES COMPESCIS MARTE TYRANNOS, -- FRATERNA METVENDVS OPE, NON VLLA VERERIS -- BOBBIA RESTITVIS, GLADIVM TIBI CEDIT VTRVMQVE -- HINC TIBI PERPETVOS SOLVIT GENS CALBVLA HONORES, -- SAXINA ET AD MÆSTVM PLORAT VIDVATA SEPVLCRVM.

LVDOVICVS PIRANNVS.

Hic ab alijs PIRANNVS, ab alijs de Piranno nuncupatus, licèt in tenui fortuna illuſtre nomen comparauit, & altiſſimæ ſapientiæ famà, & dignitatibus, rebuſque geſtis. Eum ſiquidèm à prima adoleſcentia literæ non parùm delectarunt: Verùm poſtquàm Franciſcanam familiam ingreſſus eſt, alacriori animo, ſè ſtudijs eloquentiæ, ac vtriuſque Philoſophiæ dedit. Pluribus inſupèr virtutibus præſtitit; etenim doctrinam comitabantur iñocentia morum, rara pietas, & regularis obſeruantiæ ſtudium, quo Seraphicæ Inſtitutionis leges, elapſis annis obſoletas, ad priſtinam cuſtodiam, in varijs cęnobijs, vbì vixerat, exemplo ſuo reuocauit. Eius animi imaginem, & virtutum præſtantiam ad vnguem deſcribit celeberrimus Vir Franciſcus Philelphus in Epiſtola ad Ambroſium monacum; huic nempè commendat

mendat Ludouicum Foroliuienſem Sacræ Theologiæ Profeſſorem, cum quo ſibi vetus neceſſitudo intercedebat, & cum beneuolentia, ac charitate ſumma conſenſio: aſſerit, eum eſſe egregiè doctum, nèc id, vt multi ſolent, ſed & latinè, & grecè vetuſtatem plurimùm ſapere, & his prætereà moribus præditum, de quibus Ambroſius præclaram haberet exiſtimationem. Quarè optimum factu rebatur, vt quàm amiciſſimi efficerentur, nàm quemadmodùm in veteri Adagio eſt, pares cum paribus vera ſocietate coniunguntur. Pergratum ſcribenti fore, ſi ei fauorem, conſilium, ac præſidium preſtaret; & ſi fortè Ludouicus pecunijs caruiſſet, ſibi per litteras ſignificaret, vt conſulere eiuſdem neceſſitati poſſet; cum homo tàm verecundus eſſet, vt mallet, vel incommodiſſimè indigere, quàm petere [1]: hæc Philelphus. His ideò meritis caſtigatiſſimæ vitæ, profundæque doctrinæ, ſibi aditum ad eas Eccleſiæ dignitates patefecit, à quibus magìs abhorrebat: nàm quamuìs inuitus ad Epiſcopatum Signienſem intèr Liburnos aſſumptus eſt an: 1433. iuuenis adhùc annis, vt abundè teſtatur Ambroſius Trauerſarius Camalduenſis Ordinis Generalis, & decus, qui ſecum Venetijs arctam amicitiam pepigerat, ob morum, literaturæ, & Patriæ affinitatem. Ex his, alijſque Epiſtolis, quas doctiſſimus Vir Petrus Cannetus Cremonenſis, eiuſdem familiæ Abbas, nō paruo ſumptu, & induſtria collectas, à varijs Italiæ Vrbi-

(1) *Ex Epiſt. Philelphi ad Ambroſium Camaldulen. lib. 24. Epiſt. 34. Dat. Bonon. Kal. Quintil. an: 1428.*

bus

bus accerſijt, eas in lucem quamprimùm editurus, non pauca excerpſi, quibus contexere tanti herois vitam in obſcuro latentem fuſiùs potui, & res planè memoria dignas ad futuras ætates demandare. Ex quatuor earum Baſilea, ſcriptis ad Chriſtophorum Epiſcopum Ariminenſem Eugenio Pont. Max. acceptiſſimum, conſtat Ludouicum cum Nicolao Germano procere anno 1435. ad Baſileenſe Concilium Legationem pro Sigiſmundo Imperatore exercuiſſe, ibique publicè oraſſe multum copiosè & elegantèr: colligitur præthereà vehemens commendatio, vt virum hunc Sanctitatis ſuæ fidelem famulum, & vitę probitate præſtantem, apud Eugenium pro virili parte ſuſtineret: æſtus ſibi ſuos familiari colloquio contuliſſet, & quid ab eo flagitaret: moram in Aula Cęſaris non modò non diligere, verùm & auuerſari, velùt inutilem, & periculis multis circumſeptam: optare ab his vinculis abſolui, & liberiori corde viuere, ſed extricari non poſſe, cum iniqua rerum conditione prohiberetur; nàm ſi iniuſſu Auguſti ad Epiſcopatum perexiſſet iure vereri, nè in grauem illius iram incideret, quæ perennes curas ſpiritui ſuo peperiſſet; hoc vnum eſſe in tantis anguſtijs remedium, vt à Pontifice Maximo acciretur: ad eius itaquè validiſſimam interceſſionem confugere, per quam ſe ſperabat indè euaſurum, & vel ad Eccleſiam ſuam reuerſurum, vel à munificentia Pontificis commodiùs ad aliam promoturum, vbi & quietiùs dies traducere, & bonæ voluntatis inſtitutum exequi faciliùs poſſet: tandèm Ludouici bonitatem extollit, à quo vberrimus populis illi concreditis,

ope

ope diuina fructus oriretur [1] . Ità Pirannus Legatione perfunctus, vt Sigiſmundo exponeret, quę ipſe obierat, & in Concilio peracta fuerant, Baſileà menſe Nouembri eiuſdem anni digreſſus eſt, & Scafuſam veniens, itineris ſocio Ambroſio Camaldulenſi, qui ad defendendam Pontificis auctoritatem illùc acceſſerat, per Alſatiam, terreſtri ſemita Vlmam peruenit, indè fluuiali via Cęſareum conſpectum aditurus [2] . In Italiam deindè redux Ambroſius, quamquàm diſiunctus corpore, animo tamèn præſens nunquàm deſtitit, quin & apud Epiſcopum Ariminenſem, & Placidum Eugenij Cubicularium eius negotia enixè procuraret. Hunc etenìm ex ſacra Eremo ſcribens, obſecrabat, vt meritiſſimo Viro ſeù ditiorem Eccleſiam, ſeù honeſtum Romanæ Curiæ munus impetraret, vndè poſſet pro dignitate gradus ali, præſertìm cum à Signienſi Epiſcopatu ferè nihil perciperet [3] . His inceſſantibus à Generali Camaldulenſi ſtudijs, Pontifex ſolari Ludouici vota conſtituit, & eum ad Sedem Foroliuianam promouere, vt ex Chriſtophori Epiſtola innoteſcit, cui reſpondens Ambroſius ait, reuerà illum diligere ex animo, dignumque planè eſſe, qui à Pontifice Romano,

(1) *Ex Epiſt. Ambroſij lib.* 3. *Epiſt.* 42. *Dat. Baſileę ann.* 1435., *Epiſt.* 44. *Dat.* 8. *Idus Octobris* 1435., *Epiſt.* 45. *Dat.* 13. *Kal. Decembris* 1435., *Epiſt.* 48. *Dat.* 8. *Idus Nouemb. ann.* 1435.

[2] *Ex Epiſt. Ambroſij lib.* 3. *Epiſt.* 49. *Dat. Scafuſæ* 3. *Idus Nouembris ann.* 1435.

[3] *Ex eiſdem Epiſtol. lib.* 4. *Epiſt.* 16. *Dat. ex S. Eremo V. Cal. April. ann.* 1436.

boniſque omnibus diligeretur: literas nupèr ipſius legiſſe plenas humanitatis, & ſuauitèr expoſtulantes, cùr ſe deſtituiſſet, & rem ſuam contrà promiſſi fidem neglixiſſet; verùm has nebulas ſuſpicionis, Eugenij prouidentiam, & liberalitatem diſſipaſſe (1). Quomodò autèm promotionis origo contigerit, vt altiùs repetatur neceſſe eſt. Carebat iàm quatuor ab annis Foroliuium legitimo Paſtore, ac Patre; per atrocem ſcilicèt tumultum bacchantis populi, capto, & eiecto Thoma Epiſcopo Traguriensi, Ciuitatis Moderatore, accerſito ad dominium Antonio Ordelapho, ac Ioanne Caffarello Antiſtite à ſeditioſę plebis manibus elapſo, Guilelmus Beuilaqua Foroliuienſis, cleri, ciuiumque ſuffragijs in Epiſcopali Cathedra locatus eſt. Ac demùm inita pace intèr S. Sedem, & Philippum Mariam Mediolani Ducem, qui in clientelam Antónium ſuſceperat, cum Pontifex ratam habere ſubdititij Præſulis electionem detrectaret, & nihilominùs indulgere Liuienſium precibus Ciuem expetentium vellet, eis Ludouicum Paſtorem dedit (2). Is tantùm poſteriore anno 1437. XIII. Cal. Februarij in Flaminiam ad optatiſſimum Patrię regimen aduenit. Verùm ferè in conſpectu Vrbis, nec procùl à męnibus, exinopinatò prolapſus ſub reſupino in lęuam Mulæ latere, tibiam ſuppoſiti cruris belluæ pondus confregit. Hoc infortu-

(1) *Ex eiſdem Epiſtol. lib. 3. Epiſt. 58. Dat. VI. Kal. Auguſt. ann.* 1436.

(2) *Lucas Vuadingus in Annal. Min. tom.* 5.- *Franciſcus Harold. in Epiſt. Annal. Min. tom.* 7. *pag.* 7.

nium

nium procedentis obuiam cleri pompam abrupit, & effuſi paſsim populi gaudia. Semianimis porrò Antiſtes præ nimio dolore gemens, intèr vniuerſorum luctus in Epiſcopium deuectus eſt. Ibi poſtquàm diù iacuiſſet, & cum primùm, oſſium compage ſolidata, ſurgere è cubili potuit, concionem habuit diſertiſſimam; eoque facundiæ robore diuinitùs indito concutiebat animos, vt & admirationem excitauerit, & audientes Eugenij IV. prouidentiam in tanti Paſtoris electione prædicauerint [1]. Cum autèm anno 1438. Ferrarienſe Concilium œcumenicum fœlix initium accepiſſet, vices Pontificis gerente Card. Nicolao Albergato Bononienſi, intèr venerandos Patres Ludouicus, vel Aloyſius Foroliuienſis Epiſcopus conſedit. Is IV. Idus Ianuarij poſt Miſſarum ſolemnia pontificalibus indumentis, & alba tiara ornatus Sanctæ Synodi mandato ſuggeſtum aſcendens, Decretum vnanimi conſenſu firmatum alta voce perlegit: ſumma ſanctionis erat, Baſileæ concilium auctoritate Apoſtolica Ferrariam legitimè translatum declarari, ob iuſtas, & vrgentes cauſas acri cenſura penſatas, vt impedimenta quæ obſtruere potuiſſent vnionem Occidentalis, & Orientalis Eccleſiarum opportunè tollerentur, ac ſciſſura quæ in Eccleſia Dei iàm imminebat, euitaretur: omnia quaproptèr, & ſingula, quæ aùt ibi, aùt alibi à tempore translationis agi, & attentari contigiſſet, irrita, & caſſa pronuntiari (2). Verùm cum Prælati Conuentus

(1) *Ioañes Dipintor. in Chron. Forol. M. S. p. 33.*

(2) *Ex Actis Concil. Florent. collectis ab Horatio Iuſtiniano part. 1. pag. 50.*

Baſileenſis in tantam ſuperbiam, & arrogantiam peruenisſent, vt pęnam ſuſpenſionis minitari Pont. Maximo auſi eſſent, niſi translationem Concilij reuocaſſet: Eugenius, XV. Cal. Martij in eos, Apoſtolicam Auctoritatem contemnentes, grauitèr animaduertit: nàm ſpiritualibus diris deuouit, & quibuſcumque ſacerdotijs, ac dignitatibus priuauit: quod Decretum iterùm Ludouicus Pontificis iuſſu, ex ſuggeſto promulgauit (1). Dùm hæc Ferrariæ agerentur Ioannes Paleologhus Bizantinus Cęſar, cum Patriarchis, & Pręſulibus Eccleſię Grecę Venetijs appulit, à ſupremo Senatu regia, qua par erat, pompa exceptus: mox Ferrariam ſe contulit, quam magno equitum comitatu ingreſſus eſt, prodeuntibus obuiàm Cardinalibus, Prælatis & Nicolao Eſtenſi Ciuitatis Marchione, ac ſub vmbello auri textilis ad Pontificem perrexit, eum omni honoris ſignificatione complectentem. His actibus humanitatis expediti, cuncti in Concilium deſcenderunt, vbi in trutina diſceptationum locarentur, quæ à Catholicæ doctrinæ dogmatibus, & tyrocinijs abhorrebant. Sex vtrinque Viri inſignis ſapientiæ ad Theologicum conflictum excerpti ſunt: ex latinis verò Iulianus Cęſarinus Romanus Card. S. Angeli, Andreas Archiepiſcopus Coloſſenſis, Ludouicus, vel Aloyſius Epiſcopus Foroliuienſis, Fr. Ioannes à Ferraria Prouincialis Ciſalpinæ Galliæ Ord. Pręedicatorum, Fr. Petrus Perquerij Magiſter in S. Pagina Ord. Minorum, & Fr. Ioannes à S. Thoma Ord. Eremitarum [2]. In ſeſſione

[1] *Ex eiſdem Actis part. 1. pag. 63.*
(2) *Ex Actis Conc. Floren. par. 2. Collat. 2. p. 84.*

nona

nona VI. Idus Nouembris habita, *Additionem, Filiòque, non eſſe verè, & propriè additionem, neque eſſe prohibitum*, Ludouicus ea virtute verborum, ac potentia rationum tutatus eſt, atque errata Gręcorum ex ſacris paginis tàm clarè oſtendit, vt qui lucem veritatis aſpicere recuſabant, in tenebris nati eſſe viderentur [1]. In Decima autem III. Idus eiuſdem menſis celebrata *Additionem, Filioque, eſſe declarationem; & prohibitionem de non addendo, intelligendam eſſe de non addendo contraria, non autèm declaratoria*. Dum Patres auditâ nupèr diſceptantis Ludouici eloquentià, ac doctrinę pondere, collectis animis adſtarent, ipſe breuem, & luculentum ſermonem habuit; quippè cum Græci pertinacitèr negarent Spiritum Sanctum procedere à Patre, & à Filio, illos ſapiens Antiſtes egregiè redarguit, ſumptis argumentis ab Euangelijs, Epiſtolis Pauli benè intellectis, & declaratis, ac ab alijs Scripturæ partibus. Hæc tàm iucundà, & accomodatà concione protulit, vt lætum murmur plaudentis Conſeſſus Aloyſij ſilentium ſecutum ſit (2). Cęterùm coorta per autumnum lue, quæ intèr Ferrarienſes ſensìm graſſari cęperat, Eugenius vt ſuæ, & quotquot Concilio intererant, incolumitati præcaueret, illud Florentiam, annuentibus Græcis, transferri decreuit IV. Idus Februarij an. 1438. [3]. Ibi feſtinantèr conuenerunt Pontifex, & Cęſar, Latini,

(1) *Ex eiſdem Actis part. 2. Collat. 9. pag. 109.*

[2] *Ex Act. Concil. Florent. part. 2. collat. 10. pag.* 120.

(3) *Ex eiſdem Act. part. 2. collat.* 14.

Græci-

Græcique Antiſtites, ſummà munificentia, à pia ac liberali Republica ſuſcepti. Cum autèm in examine quæſtionum Ferrariæ inchoatarum diù Græci contendiſſent, ſed non ampliùs reſiſtere veritati poſſent, in ſeſſione vigeſima ſecunda, Prid. Non. Iulij habita, ad pedes Romani Pontificis procubuerunt, ac fimbrias veſtium oſculantes, eum velut Chriſti in terris Vicarium coluerunt [1]. In Actis Synodi Florentiæ celebrati nulla Ludouici memoria occurrit, licèt *Marcus Battaglinus* Epiſcopus Nucerinus in Hiſtorijs Conciliorum, eum, quem Trauerſarium vocat, fortè per errorem vſurpans Ambroſij Camaldulenſis cognomentum, ibi etiam ſtrenuè diſſeruiſſe commemoret, ac ſcribat (2). Quod compertiſſimum eſt, non interfuit Concilij termino; nàm intèr Epiſcoporum, & Patrum ſubſcriptiones, ſua nequaquàm reperitur. Vtcumque fuerit, eius nomen in æuum viuet ob glorioſam operam pro fęlici concordia, & vnanimitate Eccleſiæ nauatam. At poſtquàm annos decem ſapientiſſimè, ęquè ac pijſſimè Patriam rexiſſet, reliquum vitæ ſpatium, quam animarum ſaluti dederat, ſuæ dumtaxàt traditurus, Epiſcopatu sè sè abdicauit, eamque ſanctè perfecit. Scripſit & reliquit *Feriales ſermones per totum annum*, *Commune Sanctorum* & alia opera, vt *Gonzaga*, & *Poſſeuinus* tradunt; licèt eos fallat Lirani cognomentum. Multi Scriptores Ludouici ſapientiam

(1) *Ex eiſdem Actis part. 2. collat. 22. pag.* 316.

(2) *Marcus Battaglin. in Hiſt. Concil. tom. 2. pag.* 408.

celebrant,

celebrant, in quibus *Flauius Blondus* coętaneus, illum intèr Heroes Foroliuianos ponit; philoſophorum, & theologorum ſuæ ætatis principem appellat; & diem obijſſe paulò antè editionem Italiæ illuſtratæ affirmat (1).

NICOLAVS HASTEVS.

GEnitore Cecco optimate Foroliuienſi natus eſt. Subſidijs naturæ, & ſuauiſſima indole cunctorum amorem meruit. Sublimioribus ſcientijs, & rerum geſtarum gloria ſatis celebris euaſit. Nequè ſolùm in primis literarum diſciplinis ſedulò verſatus fuit, ſed in procreatrice laudandarum artium philoſophia, & ſacrę Geneſis cognitione plurimùm profecit. Erat affinis Blondo Flauio Eugenij IV. à Secretis, quo cum non modicum tempus degere placuit, vt notior fieret Romanæ Aulæ, & pręſertìm Pontifici, vnicè, & antè alios ſpectatæ fidei adminiſtrùm Blondum diligenti. Itaque Eugenius Nicolaum familiari vſu adhibuit, quo raràs dotes inſpicere doctrinę, prudentiæ, & religionis potuit Iuuenem exornantes: & in argumentum egregiæ voluntatis, qua illum munificè proſequebatur, Archidiaconum Condrocij Leodienſis Eccleſiæ, & Subdiaconum Pontificij Sacelli declarauit [1]. Iſte dùm Florentino Concilio intereſſet, & obſequijs Romanæ Ec-

(1) *Flauius Blondus in Ital. Illuſtrat., Reg. 6.*
(2) *Pompeius Compagnon. in Regia Picęni part. 1. lib. 7.*

cleſiæ

cleſiæ non inglorié vacaret, ab Eugenio, VI. Idus Octobris an. 1440. ad Cathedras Recinetenſem, & Maceratenſem elatus eſt, non, vt nonnulli erranti calamo ſcripſerunt, ex Galliarum Nuncio. Pontifex, cui erat cordi & abundiùs remunerari Nicolai virtutes, & fortunare ſubditos, illi contulit vtrumque regimen Recinetenſis Ciuitatis, quo & Epiſcopus, & vnà Rector fungeretur (1). Prima deincèps ipſius ſtudia in augendo cultu Nazarenæ Domus à Reparatore humani generis inhabitatæ conuerſa ſunt, quæ ab oppoſitis Illyricorum oris in Italiam Angelorum miniſterio tranſuecta anno ſalutis 1297., & depoſita in Lauretano colle celebatur. Mox in emendanda clericorum diſciplina, & ornamentis Cathedralis Recineti amplificandis omnem curam, diligentiamque collocauit, nullis parcens laboribus, & expenſis. Ibi Chori ſedilia, Epiſcopalem ſpeculam, & anaglyptici, præſtantiſſimi operis bracteatam Aram addidit; ex argento thenſam ponderis librarum ſeptemdecim, quæ Caput exciperet S. Margaritæ; Pluuiale ex ſerico, & auro textili pictum, diſcriminato circùm vnionibus limbo Eccleſiæ largitus eſt. Extrà muros Recineti in ameno, & voluptuario ſitu Fanum, & Cenobium S. Mariæ de Varano Minorum Obſeruantiæ à fundamentis excitauit, intèr Picentina conſpicuum, tùm Alumnorum numero, qui theologicam facultatem profitentur, tùm Cuſtodis priuilegio retinentis vnam ex tribus clauibus Gazophylacij S. Domus. In interiori Templo hæc

[1] *Ex Chron. Albertina M.S. ſub die 13. Aprilis ann.* 1431.

regun-

leguntur REVERENDISSIMVS PATER D. NICOLAVS DE HASTIS DE FOROLIVIO EPISCOPVS RECANATENSIS , ET MACERATENSIS FECIT FIERI ISTVM LOCVM AD LAVDEM DEI ANNO MCCCCL. His ſumptibus nec exhauſta , nec feſſa piiſſimi Antiſtitis liberalitate , duodecim Altariſtas inſtituit , qui pſalmos in choro concinerent , & ſacris ceremonijs intereſſent ; quod onus, ex antiquæ conſuetudinis immunitate , Canonicis non incumbebat , niſi cum Epiſcopus ſolemnia perageret . Lauretanam ędem primus omnium , quorum vigeat memoria , prædijs , & agris Morlongi locupletauit [1] . Foroliuij B. Marcolini corpus , quem præcipuum Tutelarem habuit , in Arcam è marmore , opus dimidię frontis tranſtulit , & Ciuium , ac poſterorum venerationi expoſuit. Tandèm pro virili diuini nominis honore propagato , & ſalute amatiſſimi gregis procurata , optimus Paſtor à ſancta villicatione Recineti requieuit anno Virginei Partus 1470. , D. Nicolai Myrenſis Epiſcopi , cui ſe dederat in clientelam , morum , & profusę ergà pauperes largitatis imitator (2). Hanc pietatem, quam in hac corporis compage incluſus glorioſis operibus oſtenderat, demùm egrediens non minoribus certè con-

(1) *Balthaſ. Bartolus de Sanctuar. Lauretano cap.* 10. *pag.* 67.

(2) *Ioan. Dipintor. in Chron. M.S. Forol. pag.* 93., & 297. - *Vuadingus in Annal. Min. tom.* 8. *num.* 48. - *Vghellus in Ital. Sacr. tom.* 2., *in Epiſc. Macerat. num.* 17. - *Torſellinus in Hiſt. Domus Lauret.*

firmauit. In teſtamentarijs nimirùm tabulis, obſi-
gnatis Pridie Nonas Octobris ſuperioris anni, intèr
cętera legata, illud eminet Sacerdotijs Altariſta-
rum factum, octo millia aureorum, quæ Ceccus
pater quàm opulentiſſimus, & à Michaele Zeno Se-
natus Principe Veneta Ciuitate cum gęnere ſuo de-
coratus, congeſta in Monte Veteri ſeruabat. Vt
deniquè perpetuum ſignum religioſę, & liberali
vitæ apponeret, duodecim mille ſcutorum (tùnc
magna num̃orum vis) Societati S. Luciæ adſcri-
pſit, quæ in Monte Ianuæ ex iuribus paternis ob-
tinebat, quorum redditibus morbo laborantes ſa-
nari poſſent, & verecundis puellis dotes erogari.
Sepultus eſt magno vtriuſque Cleri luctu in ſublimi
Cenotaphio, quod Societas beneficiorum memor
poſuit, his ſupèr lapidem inciſis verbis

SEPVLCRVM OLIM REVERENDISSIMI D.
NICOLAI -- EPISCOPI RECANAT., ET MA-
CER. QVOD FIERI FECIT -- FRATERNI-
TAS SANCTÆ LVCIÆ MCCCCLXX.

IOANNES RVFFVS THEODOLVS.

IOANNES RVFFVS THEODO-
LVS Antonij, & Violantis Numa-
iæ filius ex inclyta, & inſigni ſtir-
pe, quam Theodolus è Comitibus
Rheni aſſecla Caroli Magni Impe-
ratoris, Foroliuij domicilio ſuæ poſteritati collo-
cato

cato olim propagauerat (1). Ineunte adoleſcentia maiorum ſimultates, quæ iuxtà illius temporis infęlicem conditionem, iure quaſi hæreditario in nepotes deſcendebant, factioſo ſpiritu profeſſus eſt; poſtquàm verò maturioris ætatis conſilio depræhendit, quàm malè florentes annos profuderat, abiectis armis, & memorià ciuilium odiorum, ſe ad humanam, & ſacram literaturam conuertit. Hac properè, & proſperè potitus, cum indolis illuſtris dotes in tumultibus Patriæ inquinatas, probitatis laude, & doctrinæ ornamentis honeſtaſſet, annos triginta natus, ſalutiferæ Incarnationis 1505. à Iulio II. euectus eſt ad Bretinorienſem ſedem; nec diù poſt ad Archiepiſcopalem Conſentinam. Apud hunc Pontificem, & Leonem X. magnam de ſe ſuſtinuit exiſtimationem per ſuas virtutes partam; ſic porrò in Hiſpaniam Legatus, morum ſuauitate, & nobilitatę animi, adeò Carolum V. Cęſarem deuicit, vt ille ſpectatiſſimę fidei, & nunquàm labanti eius conſilio grauiora negotia ſępè concrediderit. Ipſum prætereà in ſingularis amoris argumentum Regalis Sacelli Præfectum dixit, plurimis deindè honoribus, & muneribus Hiſpanicæ Nationis inſigniuit, ac demùm celebri Epiſcopatu Gadium decorauit. Cum verò Ioannes Ruffus repetendæ Italiæ deſiderio teneretur, Gaditana tiara, permiſſu regnantis Caroli, Hieronymo conſobrino, quem eximij Paſtoris decora commendabant, in Almam Vrbem reuerſus eſt. Nec Procerum Hiſpanorum cultus eius

(1) *Petrus Baccarinus in Chron. Ital. tom. 1. pag. 126. ex auctorit. Ioan. Sellini de Notabil. Mundi.*

amicitiam certatìm conquirentium, nec ſplendidæ clientelæ, etiam literatorum, à quibus ſempèr ſtipabatur, illum amouere à propoſito relinquendæ Hiſpaniæ potuerunt; ſiquidèm intèr ſapientiæ ſectatores, alij ſtudia eo patrono alacriùs ſecuti ſunt, alij libros ediderunt, & in his Nicolaus de Pax, Vitæ Raymundi Lulli ſcriptor, opus glorioſo nomini Ioannis Ruffi inſcripſit. Poſtquàm in Italiam ſe contulit, Pontificatum obtinente Hadriano VI., ampliſſima munera peregit Theſaurarij Generalis, ac Moderatoris Romæ, & à Secretis Status. Sola Cardinalatus dignitas deeſſe videbatur, quam importuna Hadriani mors, & inexpectata Clementis VII. indignatio ademit. Cum enìm Ruffum veterum iniuriarum recordationem reſumpſiſſe, & in hoſtes aduerſæ ſectæ, qui nupèr magnificas Theodolorum ædes in platea D. Dominici telluri ęquauerant, & ad capeſſendam vltionem conſanguineos ſuos incitaſſe diceretur; commotus ob id Pontifex, qui extinguere, non fouere diſſidia, Antiſtitis, & ſenis eſſe conclamabat, illi paratum munus, in tot laborum, & officiorum præmium, denegauit. Ità contigit, immodeſtià obtrectantium æmulorum, vt Ruffo locus intèr Patres Conſcriptos demeretur. Cęterùm direpta à Germanis Roma, & Clemente à militari cuſtodia liberato, ille Caietam ad ſanciendas leges pacis miſſus eſt, cum tribui nequiret difficilis prouincia vlli Romanæ Curiæ Pręſuli, qui & rerum geſtarum vſu, & Caroli V. gratia eum ſuperaret. Dum tamèn Caietæ conuentu habito intèr Cardinalem Capuanum, & Neapolis Proregem, de pactis diuturnam concordiam firmaturis ageretur, lethali morbo ſublatus eſt,

anno

anno ſeptuageſimo ætatis, ſalutis 1527. XVII. Cal. Auguſti, poſt sè relicta magna æquanimitatis fama (1). Fertur ſcilicèt Cardinalem, illum ad exitum ſuum aduentantem monuiſſe, vt ditiſſima ſacerdotia ad Agnatos transferret; ſed eum, moderationis rectitudinem, & manſura per æternitatem bona vnicè reſpicientem, omnia in Clementis arbitrio reponere, quàm ſanguinis affectibus indulgere maluiſſe. Extincto Ruffo, apertæ ſunt tabulæ teſtamentariæ coràm Petro Andrea Gambara Brixienſi, Pontificis Vicario, & Sacræ Rotæ Auditore, qui datus illi fuerat conſors Legationis. Iuſtis in D. Franciſci perſolutis, pontificali pompa Caietæ humatus eſt: ex quo patet eorum æquiuocatio, qui Ruffum Romæ clauſiſſe dies tradiderunt. Dùm ideò immutato fortunæ aſpectu, ipſe debitum laboribus, meritiſque ſuis prçmium expectaret, præreptus morte, cuncta diſſolui, cum vita, conſpexit.

IN Venerabilem Epiſcoporum cçtum alij prætereà ex Liuienſibus cooptati ſunt, qui gradu non minùs, quàm ſcientia, & rerum actarum claritate, Patriæ ornamentum attulerunt.

RICCIARDELLVS Raynaldi Caminatenſis,

(1) *Leand. Albertus in Ital. Illuſtr. Reg. 13. - Ferdinand. Vghellus in Ital. Sacr. tom. 2., in Epiſc. Bretinor. - Petrus Valerianus in Carmin. impreſſ. p. 110. - Bolland. in Act. Sanctor. tom. vltim. die 30. Iunij. - Ex Epiſt. Petri Ioan. Aleotti ad Card. Numaii, Executor. teſtament., Dat. Caietç 24. Auguſt. an. 1527.*

& Lucre-

& Lucretiæ Borboniæ ex Marchionibus Montis filius, ſuis id petentibus meritis, ab Honorio II. ann. 1225. ad Sedem Foroliuianam euectus eſt (1). Spirituali ditione potitùs noluit ſuæ Domus viribus abuti, quibus profectò libertatem opprimere potuiſſet, & Belmontium Genus in Principatu collocare. Itaque vt bonus paſtor, & pater conciues gubernauit, & ſua ſorte contentus, illis reliquit ſempiternum miræ æquabilitatis deſiderium.

RICHELMVS A' FOROLIVIO, ex Archidiacono Antiſtes renunciatus ann. 1255. memoriam ſui nunquàm interituram poſteris æuis demandauit; nàm Epiſcopium in Vico Turris Florentinæ non ſolùm erexit, ſed pinnatis muris ad inſtar Arcis communiuit, & amęnis viridarijs exornauit. In S. Crucis verò, D. Valeriani, & Sociorum veterem vrnam coràm Pręſulibus Flaminiæ, & immenſa fęrè populorum frequentia, magnificè reſerauit, & clauſit ann. 1267. [2]

PEPPVS ORDELAPHVS Archipresbyter S. Martini ann. 1303. ad Liuienſem Epiſcopatum accitus eſt, mox ad Pompilianum; parem ſcilicèt virum oneri vterque Clerus nouerat; atque vt opportunù bellica ætate conſilium ſequeretur, ſe in prępotentis ſtirpis eius tutelam concedendi (3). Veruntamen id Bonifacio VIII., & Benedicto XI. non

(1) *Ioan. Petrus Creſcentius in Coron. Nobilit. Ital. part. 2. pag.* 373.

(2) *Ex rogit. Friderici de Podio ſub die* 30. *Maij ann.* 1267.

[3] *Matthęus Vecchiazan. in Hiſt. Pompilien. part. 1. lib.* 18.

placuit,

placuit, qui certiores facti eum Æmiliæ tumultus confouiſſe aduerſùs S. Sedem, electiones reprobarunt.

MARCVS A' FOROLIVIO ex Ordine Seruorum, Vir integerrimus, & ſapiens, in ſuggeſtis Italiæ, & Galliarum, Orator eximius, anno præſertìm 1356. inquinatam fidelium diſciplinam corripuit, & inſtaurauit. Hæc merita vitæ ſanctitati coniuncta, cum Vrbanus V. ad mentem reuocaſſet, eum Epiſcopum Vuandalenſem, & Michelburgenſem declarauit, vbi quod verbis docuerat, exemplis comprobauit [1].

IOANNES NVMAIVS non Auorum virtutibus, ſed proprijs, intèr quas prudentia, ſtrenuitas, & iuſtitia præſtabant, ex Abbate S. Mercurialis ad Cathedram Sarſinatenſem elatus eſt anno 1360.; eamque intèr tot populi ſui laudes tenuit, vt deceſſori Franciſco Calbulo non impar videretur [2]. Caſtra ob viciſſitudines temporum amiſſa, fauente Gregorio XI. Menſę reſtitituit, quorum nonnulla beneficiario iure nobilibus familijs contulit, vt defenſorum numerum augeret: Foſſam Cannam nempè Guidoni Comiti Mutilianenſi, Montem Guidonem Franciſco Tiberto Cęſenati,

(1) *Aloyſ. Garbius in Addit. Annal. Seruor. Centuria 2. lib. 2. pag. 312. & 316. - Ioan. Petrus Creſcentius in Pręſid. Rom. part. 2. lib. 3. - Placidus Maria Bonfrizerius in Diar. Sacr. pag. 206.*

[2] *Vgbellus in Ital. Sacr. tom. 2. in Epiſc. Saſſinat. num. 27.*

Careſtum,

Careſtum, & Linarium Ioanni Liſardo [1]; quem tamen pertinaci animo obſequium denegantem, exauctorauit; oppidulis Iuliano Numaio adiudicatis, cum illa paruiſſe ab ann. 1258. Guilelmo Agnato ſuo minimè ignoraret [2]. Fuit tandèm Patriæ Legatus apud Vrbanum VI.; eamque à Pontificia fide abalienatam, honeſtis pactionibus, & priuilegijs reportatis, tutamini pacis, & omnimodę fęlicitati reſtituit.

IOANNES A' FOROLIVIO ex Familia Seruorum, cum moralis, ſacręque theologiæ cognitione, ac probitate morum intèr ſocios excelleret, Epiſcopus Clodienſis in Euganeis, à Gregorio XI. conſtitutus eſt anno 1373. Oſtendit hùnc tamen magìs Dei prouidentia, quàm dedit Eccleſiæ, nàm poſt annos duos, XVII. Cal. Septembris à viuis exceſſit [3].

SCARPETTA ORDELAPHVS Franciſci Principis Foroliuiani nothus, in quo omnes patris virtutes deſcenderunt, non vitia, ſi libido Regni ſeponatur. Is cum operam pontificio iuri daret in Bononienſi Academia, ex Gymnaſij Rectore, non plus quàm annos viginti quinque natus, à Bonifacio IX. Patriæ tiara decoratus eſt ann. 1391. Verùm vt naturali

[1] *Ex rogit. Iacobi de Gayferris Forol. 29. Septembris ann. 1382. Ex Libr. Inueſtitur. in Archiuio Ceulæ pag. 30.*

(2) *Ludouicus Romanus Conſ. 70. num. 1. in fine.*

[3] *Archang. Gianeus in Annal. Ordini Seru. Placidus Maria Bonfrizerius in Diario Sacr. pag. 570.*

turali ſolertià vidit abhorrentes à fratris filijs Ciues, & ſuæ vrbanitati, ſuauiſſimiſque moribus obſequentes, ad altiora eleuauit animum, ac conſilia occupandæ Ditionis inijt. At incautis anteà Principibus inſidiæ patuerunt, qui animaduertentes ſe ſuſpicioni fidem ſerò præbuiſſe, eum contrudi in ergaſtulum iuſſerunt, vbi nimiæ auiditatis pœnam luit [1].

IOANNES NVMAIVS literis præditus, ſi quis alius id ætatis, ex Abbate S. Mercurialis, & Scarpettæ Vicario, Succeſſor inauguratus eſt ann. 1402. (2). Eius ſublimes dotes Innocentius IX., & Ioannes XXIII. ſingulari beneuolentia reſpexerunt, quorum vltimus illi Vicarium munus in ſpiritualibus Almæ Vrbis contulit. In Synodo Piſana ann. 1409. diſſenſiones auferre à Republica Chriſtiana enixè contendit; & tandèm Romæ occubuit in eminenti dignitate, propior vt omnes opinabantur purpuræ, quàm morti, VI. Idus Octobris, ann. 1411. In Liberiana Baſilica ſepultus iacet ad læuam poſterioris exitus, vbi inciſa supèr lapidem Imago, & Epitaphium conſpiciuntur.

GVILLELMVS BEVILAQVA ex Ordine S. Auguſtini, re philoſophica, diuina ſcientia, & varia literatura præſtans, quibus non defuerunt dona miræ ſagacitatis, & prudentiæ. His potuit ad amicitiam Georgij Ordelaphi Principis ſui perue-

(1) *Vghellus in Ital. Sacr. tom. 2. in Epiſc. Forol. num. 30.*

[2] *Ex libro Lioncorno in Archiuio S. Mercurialis pag. 78. - Vghellus in Ital. Sacr. tom. 2. in Epiſc. Forol. num. 31.*

nire, qui ei grauiora ditionis ſuæ negotia deferebat, ac honeſtiſſima Legatione ad Coſtantienſe Concilium, in quo certus Pontifex vniuerſali Eccleſiæ parabatur [1]. Acceſſit Regnantis fauori, cleri, populique Foroliuienſis ſtudium, nàm ann. 1433. in locum Ioannis Caffarelli Romani, Antiſtitis expulſi, ipſe tumultuarijs ſuffragijs vocatus eſt. Cum tamen Pontifex illicitam electionem improbaret, & in eum eccleſiaſticas diras minaretur, poſt annos quatuor, à ſede diſceſſit, & in clauſtris inceptam vitam terminauit.

CAROLVS NARDINVS Ioannis à Secretis Status, & Referendarij Philippi Mariæ Ducis Mediolani filius, vt inſeruiret Deo, Ciſtercienſem familiam introiuit. Ibi cum ſcientiæ, & integritatis ornamenta palàm feciſſet, quibus intèr monachos ſuos prælucebat, communi conſenſione Abbas S. Celſi dictus eſt. Hac meritorum fama Caliſtus III. Pont. Maximus permotus, eum ad ſedem Mediolanenſem, præcipuis Italiæ non ſecundam, eleuauit an. 1457., in qua repugnante humilitate, inuitus annos quatuor conſedit, & demùm ab humanis emigrans, bonos omnes perenni mæſtitia affecit (2).

(1) *Cherubin. Ghirardaccius in Hiſt. Bonon. part. 2. lib. 29. pag. 611.- Herrera in Alphabeto ſub ann.* 1404.- *Aloyſ. Taurell. in Sæcul. Auguſtin. tom. 6. anno* 1415. *num. 9., ann.* 1416. *num. 3., & ann.* 1432. *num.* 15.

(2) *Ioannes de Dipintoribus in Chron. M.S. Forol. pag.* 273.- *Ioan. Ioſeph Vaglianus in Sum. Vit. Archiepiſc. Mediolan. pag.* 320.

IACO-

IACOBVS PALATINVS ex Archidiacono Patriæ Antiſtes creatus eſt vnanimi ſuffragatione clericorum, quam ratam habuit Pius II. an. 1463., optimè conſcius eum præclara ſtirpe oxortum, virtutibus intèr alios principem, & venerandum non modò ætate, ſed magis moribus. In D. Franciſci ſplendidiſſimo ritu inauguratus, Sedem Epiſcopalem à remoto, & rudis ſtructuræ templo SS. Triadis, in frequens, & ornatius S. Crucis aſportauit, vbi adhùc ſita eſt. Tandèm confectus annis, ſeptimum agens ac ſeptuageſimum, & meritis refertus, piè requieuit an. ſalut. 1470. (1).

DAVID A' FOROLIVIO Minorita præſtantis ſcientiæ, caſtiſſimæque vitæ, à Paulo II. an. 1467., licèt nullam laborum ſuorum mercedem affectaret, Epiſcopatum Caſtrenſem comparauit (2). Varijs tamèn ſententijs Scriptores certant: *Vuadingus* in Annalibus Minorũ, qui potiſſimùm Bibliothecę Vaticanæ luminibus, in illis contexendis vſus eſt, eum à Foroliuio; *Lucentius* autèm in Epitome Italiæ Sacræ, impreſſa ſub an. 1704. à Fortebratio appellat.

TIBERTVS NARDINVS diù in Romàna Aula vixit intèr Prothonotarios adnumeratus, mox ſolium Archiepiſcopale Sipuntis obtinuit an. 1481. [3]. Ibi nec piè regendo populum ſibi commiſ-

(1) *Vghellus in Ital. Sacr. tom. 2. in Epiſc. Forol. num. 39.*

[2] *Lucas Vuadingus tom. 6. pag. 678. - Franc. Harold. in Epit. Annal. Min. ad an. 1467. pag. 404.*

(3) *Vghell. in Ital. Sacr. tom. 7. in Archiepiſc. Sipon. num. 37.*

Q 2 ſum,

ſum, nec ea præſtando quæ muneris ſui erant, inuidorum calumnias declinare potuit, ad Innocentium VIII. deferentes, illum Ferdinando Neapolis Regi, fidem, & vectigal S. Sedi deneganti, damnanda conſilia præbuiſſe. His criminationibus auditis, Pontifex eundem claudi in Hadriana Mole iuſſit an. 1489.; sìc aliquandò contingit, vt Innocentia mendacijs opprimatur.

ALEXANDER NVMAIVS, Archidiaconus Foroliuij, primam ætatem in literis egit, quæ Virum ſacris vacantem decent. Hæc animi ornamenta, ſtudio, & labore comparata, egregij mores comitabantur, incomparabilem ſolertiam, rectitudinem, & humanitatem redolentes. Quamobrèm Iacobo Palatino, cuius vices prudentèr obierat, intèr cleri, populique præconia ſucceſſit an. 1470.; nec ſe indignum acceptæ dignitatis operibus ſuis patefecit. Apud Paulum II., & Xyſtum IV. in maxima fuit gratia; à quorum altero Vmbriæ Prolegatus anno 1474., ac ab altero Prothonotarius, & Nuntius ad Fridericum Imperatorem renunciatus eſt. In Legatione Germanica tria ad exitum perduxit, quæ eius nomini immortalitatem pepererunt. Primò Coloniæ Agrippinæ Societatem SS. Roſarij, nunc vbique Terrarum inuectam, an. 1476. inſtituit; cui celeberrimo ritui non ſolùm Proceres, & Preſules Germaniæ, ſed ipſe Cęſar intereſſent. Secundò bellum apud Nuſſiam oppidum intèr Fridericum, & Carolum Burgundionum Ducem inualeſcens, ſedatis amborum contentionibus extinxit. Tertiò Pannonum, & Germanorum motus, iàm in apertam dimicationem erumpentes, ſolertèr compoſuit, Cęſaris, & Matthæi Coruini Hungariæ Regis

animis

animis conciliatis an. 1483. (1). Romam tandèm reuerſus, vt pro fęlicitèr exantlatis rebus, & muneribus exactis purpuram referret, importuno exitu ſublatus eſt ann. 1485.

THOMAS HASTEVS Vir doctus, affabilis, & prudens, quæ dotes apùd homines non minimum commendant. His plauſus populorum, & Pontificis amorem nactus eſt; illis enim ſumma æquitate pręfuit, iſtorum fęlicitatem inuariabili conſtantia, ac fide procurauit. Sub Xyſto IV. Collector Spoliorum in Neapolitano Regno, ſub Innocentio VIII. Beneuenti Rector, ſub Alexandro VI. Latij, Viterbij, & Peruſij, ſub Iulio II. Picęni fuit. Epiſcopalem Patriæ Eccleſiam per obitum Alexandri Numaij viduatam, & Abbatialem Foripompilij, (ęxiguum ſanè laboribus pręmium) adeptus eſt. Tandèm Romæ ſpiritum Deo, & mortalem carnem terræ reſtituit an. Sal. 1512., ſexageſimo quarto ætatis [2]. In D. Thomæ in Parione, vbi reſurrectionem expectat, ex Epitaphio colligitur hæc munera obijſſe.

BARTHOLOMÆVS MORATINVS ob merita Auorum ergà S. Sedem, pro qua ſæpè ſanguinem, & fortunas effuderant, ex Canonico Foroliuij à Iulio II. ad Cathedram Bretinorienſem

(1) *Iacobus Card. Papien. in Epiſt. latin. ſub ann. 1475. ad Sacramorum. - Vldericus Raynald. in Continuat. Annal. Baron. ſub an. 1483. num. 52. - Vghel. tom. 2. in Epiſc. Forol. num. 40.*

(2) *Leand. Albertus in Deſcript. Ital., Reg. 14. - Vghell. tom. 2. in Epiſc. Forol. num. 41. - Vecchiaz. in Hiſt. Pompil. part. 2. lib. 10.*

promotus

promotus eſt an. 1511. At cum requiem priuatæ vitæ amaret, in paternis ædibus obire dies, quàm in Epiſcopatu maluit; annoque altero ab inita poſſeſſione dignitatis, Alphonſo Cardinali petruccio Senenſi reliquit locum (1).

ANTONIVS NVMAIVS Chriſtophoro Patruo ſe ſe abdicante, Iſernienſem Eccleſiam adijt an. 1524., quam annos duos, & quadraginta non abſquè gloria gubernauit. In tàm longo adminiſtrationis interuallo multa peregit memoranda, & pręſertìm de nouo erexit Cathedrale templum, & reditus canonicales auxit. Tandèm depoſito munere ob longęuam, ſeneƈtutem in Patria occubuit (2). Iacet in D. Hieronymi, vbi reſtat inciſa effigies, ſed à preſſura pedum ferè abſumpta.

PHILIPPVS HERCVLANVS ex Archipresbytero Foroliuienſis Eccleſiæ ad regendam Alatrinatem aſſumptus eſt an. 1528. Verùm poſt ſeptenium paſtoralis officij, vt ſibi extremum vitæ interuallum reſeruaret, animarum regimen Cardinali Auguſtino Spinolæ Ianuenſi commendauit.

ANTONIVS HERCVLANVS Prępoſitus Foroliuienſis Cleri, antequàm Geruntinus, & Cariatenſis Præſul. Iſte quamuis Epiſcopus, Vmbriæ, & Piceno iura dedit, ibi Prolegatus Siluij Paſſarini Cardinalis Cortonenſis an. 1524., hìc Armellini Medices S. R. E. Camerarij, apud quos dùm aberant, ſtabat nudum Legati nomen, intereà

(1) *Albert. in Deſcript. Ital., Reg. 14. - Vghell. tom. 2. in Epiſc. Brettmor. num. 44.*

[2] *Vghell. tom. 9. in Epiſc. Iſernien. Col.* 705.

verò

verò ſummo iure vtebatur Antonius. In Picenati Legatione ad vniuerſæ regionis decus, & ſecuritatem Maceratenſe Propugnaculum an. 1550. à fundamentis excitauit. Deniquè æquè pro Deo, atque iuſtitia poſitus, optimus Antiſtes, & Rector interijt [1].

LVDOVICVS VANNINVS DE THEODOLIS, Canonicus Regularis S. Saluatoris, in quibuſcumque literarijs diſciplinis ità verſatus eſt, vt non ſolùm vulgares, ſed reconditas, & ſacras ſcientias perfectè calluerit. Cum proptereà Paulus III. prænouiſſet eum ingens adiumentum Chriſtianæ Reipublicæ allaturum fore, è clauſtris euocatum, priùs Scalenſem Epiſcopum, deindè Brettinorianum, nec non Moderatorem Lauretanæ Domus renunciauit. Cui Pontificis expectationi par exitus fuit: in Tridentino ſiquidèm Concilio plurimùm orthodoxæ veritati ſacra eruditione profuit, at ex inopinatò moriens, an. 1563. bonos omnes perenni mœrore confecit [2].

HIERONYMVS THEODOLVS ex Pontificiæ Cameræ Clerico, & Archimandrita Meſſanæ, ad Gaditanam Eccleſiam vocatus eſt, poſt Ioannis Ruffi conſobrini abdicationem. Ibi frequentibus paſtoralis pietatis monumentis Cathedralem ædem, & alia ſuæ Diœceſis templa pretioſis ſupellectili-

[1] *Ex Diplom. Card. Paſſarini, Dat. die 20. Aprilis ann. 1524.- Vghellus tom. 9. in Epiſc. Cariaten. Col. 705.*

(2) *Sfortia Pallauicinus in Hiſt. Concil. Triden. tom. 2. lib. 9. cap. 13.- Vghellus tom. 2. in Epiſc. Brettinor. num. 52.*

bus,

bus, & donis exornauit. In Patria ſacellum maximum D. Auguſtini, iàm à Gentilibus ſuis conditum reſtituit, ac auxit, præſcripta iàm dote duorum mille ſcutorum. Delubrum aulæis verſicolori textura confectis, argenteis vaſis, cruce ex auro fuſili, qua cęnobitæ in ſupplicationibus vtuntur, cęnobium verò ſeptem libris ſacræ Geneſis græcè, latinè, & hebraicè ſcriptis locupletauit. Nequè immemor auitę Generis ſui glorię magno nummorum pondere coemit oppida S. Viti, Cęciliani, & Piſciani in latino agro, ne Theodolæ ſtirpi iàm affinitatibus Romanorum Procerum ſuffultæ, vllum deeſſet ornamentum. Demùm cum ad inuiſenda limina SS. Apoſtolorum in Italiam rediјſſet an. 1579., de vita exiuit. Humatus eſt in S. Mariæ Populi [1].

PETRVS IOANNES ALEOTTVS ſcientià, prudentià, & integritate morum dignus quacumque dignitate. Fuit Romæ Cuſtos pontificiæ ſupellectilis, & thęſauri Hadrianæ Molis ſub Pontificum quinque regno: ſed gratioſior apud Clementem VII., Paulum IV., & Iulium III. A' primo Præfectus viuendi normæ datus eſt Catharinæ Medicęę, Francorum Reginę: à poſtremo, cui Magiſter cubiculi inſeruiuerat, Patriæ Antiſtes renunciatus an. 1551. Intèr magnifica, & maioris præſtantiæ dona Eccleſię ſuæ ſummà liberalitate tradita, rari artificij thenſa excellit, ab immortalis famę Michaele Angelo Bonarota elaborata, quę

(1) *Leander Albert. in Deſcript. Ital., Reg. 14.*

forsàn à nullis Italicarum ſuperatur (1). Menſę prouentus molendino Ripę adauxit, Collegium, & Templum Societatis Ieſu anno 1557. proprijs nummis excitauit, dote partìm ex domeſticis bonis, partìm ex ſacris procuratà; & ad imbuendam pijs moribus, & eruditis diſciplinis iuuentutem, celebres D. Ignatij Loiolę Alumnos accerſiuit. Sopitis Ciuium, qui tùnc inuicèm furebant, diſſenſionibus, corruptelis cleri, & laicorum emendatis, poſt intempeſtiuum Coadiutoris obitum ſe ſe abdicauit, & Leoni Vrſino ex Dominis Montis Rotundi ſedem reliquit [2]. Denique in Collegio vbi tranſegerat grauiores annos, ſuis diebus finem impoſuit XIII. Cal. Septembris an. 1572. Sepultus eſt in templo Ieſus, poſtquàm illi clerus, & populus lacrymabundi iuſta perſoluerunt (3).

SIMON ALEOTTVS Epiſcopus Lindinenſis, & in Foroliuiana Eccleſia Patrui ſucceſſor, à Paulo III. deſignatus eſt, ſed pręcoce, & immatura morte iunior, quàm vota omnium ferebant, occubuit anno ſuę inaugurationis quarto, Sal. 1562. & Tridenti requieſcit [4].

[1] *Ioan. Baptiſta Armeninus in lib. 1. de Præceptis Picturæ.*

(2) *Rota deciſ. 93. part. 5. recent. ſub num. 21.*

(3) *Vgbellus tom. 2. in Epiſc. Forol. – Ex antiquis M.SS. Societatis Ieſu.*

(4) *Ex rogit. Spinucij Aſpini Forol. die 24. Nouembris ann. 1560. – Ex Catalog. Epiſcopor. Concil. Tridentin. Auctore Oratio Lutio, Impreſſ. Venet. ſub anno 1586.*

ANTONIVS BALDVCCIVS cum in Ordine Prædicatorum plurimà probitate, & ſapientia Vir haberetur, vt eum minores colerent, maiores obſeruarent, varias dignitates comparauit, licèt demiſſæ admodùm humilitatis ingenio Præfecturas recuſaret. Fuit Ciſalpinæ Galliæ Prouincialis, Bononiæ Inquiſitor, & Romæ Commiſſarius Generalis, ac tandèm Treuicanus Antiſtes an. 1575. Compoſuit Tractatus duos, alterum *De Auctoritate Romani Pontificis*, alterum *de Fide* [1].

FABRITIVS PAVLVTIVS Foroliuij Primicerius, gradum, & patriam reliquit, vt Almam Vrbem peteret, legalibus, ſacriſque ſcientijs vacaturus. Cum autèm in iis valdè excelleret, & nemine inferior ſui temporis iudicaretur, primus Plebanus Epiſcopus à Clemente VIII. creatus eſt, poſt inſtitutam eam Sedem, & Pontificius Reſidens apùd Archiduces Auſtriacæ Domus Æneponti nis imperantes. Deniquè ſeptuagenario minor ſibi immortalitate typis conquiſita, mortalitati ceſſit anno 1625. (2). Extant - *Commentarij in quatuor Euangelia, In Actus, & Epiſtolas Pauli, & aliorum Apoſtolorum, ac Apocalypſim, In Pentateuchum libros hiſtoricos, & omnes tàm maiores, quàm minores Prophetas. Romæ ex Typographia*

(1) *Vghellus tom. 7. in Epiſc. Treuican. num. 21. - Andreas Riuetta in Biblioth. Cronol. Cent. 4. pag. 134. - Ioan. Michael Plodius de Viris Illuſtr. Ordin. Prædic. lib. 4. pag. 2.*

(2) *Alphonſ. Ciacon. in Vit. Card. tom. 4. pag. 732. - Vghellus in Append. Ciuit. Plebis pag. 622. - Cobell. ad Bull. Bon. Regim. cap. 34. artic. 5. n. 1. versùs finem.*

Guillel-

Guillelmi Facciotti anno 1619., & 1625.

FRANCISCVS MARIA MERLINVS iis dotibus ornatus, paſtoralis zeli, manſuetudinis, & pietatis, quæ in digniſſimo Pręſule deſiderantur, haud diù Ceruienſem Cathedram obtinuit; nàm ab inclementià grauis Cęli abſumptus poſt annos nouem vitam perfecit, & munera an. 1644. (1).

GVILLELMVS GADDIVS pari laude prudentiæ, & æquitatis vtramque adminiſtrationem geſſit. Temporalem Rector Septempedæ, Interamnę, Narniæ, Reatis, Tuderti, & Arimini; ac demùm ſpiritualem Epiſcopus Vigilienſis an. 1642. Verùm cum ad Parmenſem ab Odoardo Farneſio, ſuis, & maiorum meritis euocaretur, an. 1652. intempeſtiuè deceſſit (2).

IACOBVS THEODOLVS ex Marchionibus S. Viti præſulare Palliolum aſſumpſit, & tulit ſub Paulo V., & Gregorio XV. intèr Referendarios vtriuſque Signaturæ adnumeratus. Ab Vrbano VIII. Archiepiſcopus Amalphitanus dictus eſt; ſed non multò poſt eam Eccleſiam, in Foroliuienſem ſibi cariorem, vt Patriam Auorum, commutauit. Hic poſtquàm, velut amabilis Parens, diù Foroliuianis præfuiſſet, ſenectà grauis ſe exauctorauit, & Romæ debitum naturæ perſoluit [3].

CAMILLVS PIAZZA cum optimam viuendi artem prudentiam à natura ſuſcepiſſet, & profundam à ſtudio eruditionem, an. 1657. Epiſco-

[1] *Vghellus tom. 2. in Epiſc. Ceruien. num.* 50.

(2) *Vghellus tom. 7. in Epiſc. Vigilen. num.* 33.

(3) *Vghellus tom. 2. in Epiſc. Foroliuien. num.* 56.

pus Draconienſis, & Inquiſitor Generalis Neapolitani Regni creatus eſt. Si tamèn parem meritis ſortem nactus eſſet, & diuturniorem vitam, purpurà Vaticanà nequaquàm caruiſſet, quam ſpectata Virtus, & glorioſi labores pollicebantur. Fuit autèm Canonicus, & Vicarius S. Lateranenſis Baſilicæ, ac Sigilli Pęnitentiariæ Cuſtos ſub Alexandro VII., Prælatus Domeſticus, & S. Officij Aſſeſſor ſub Clemente X., in quibus Præfecturis æquali rectitudine, & ſtrenuitate laborauit.

BERNARDINVS MARCHESIVS Innocentio XI. in primis gratus, cui in grauiſſimis defendendis cauſis inſeruierat, non ſolùm ob ſublimem cognitionem vtriuſque Iuris, ſed ob integritatis experimenta. Ab eo ad regimen Sarſinatis Eccleſiæ deſtinatus an. 1681., labefactatam cleri diſciplinam reſtituit, cathedrale templum quatuor Sacellis ære proprio conſtructis decorauit, & intèr Beneficiarios Epiſcopalis Menſę, Carolum Auentum, & Cęſarem Gauaſſinum Ferrarienſes, Alexandrum Ghinium, & Nicolaum Maſinium Cęſenates, Caſtri, & Comitatus Falcini, Bonifacium Martinellum Piaulæ adnumerauit [1]. Tandèm religione ergà Deum, vigilantia paſtorali, & effuſiſſima ergà pauperes liberalitate, ſatis clarus occubuit an. 1698.

PETRVS GADDIVS grauiora ciuilium textuum ſtudia iucundis humanæ eruditionis iunxit; illa videlicèt non inglorié in Sellis Iuſtitiæ, hæc in Academijs profeſſus eſt. Primùm Vtriuſque Signaturæ Votans, deindè Epiſcopus Spoletanus, &

(1) *Ex rogit. Franciſci Antonij Spezzæ Sarſinat. ſub an. 1685. 1686. 1690. & 1696.*

Aſſiſtens

Aſſiſtens fuit ſolio Innocentij XII., qui cum muneribus quibuſcumque aptum, illuſtri Tiara decorault. Demùm acceptus cunctis Ordinibus Romanæ Aulæ ob ornamenta doctrinæ, & affabilitatis, diem ſupremum clauſit an. 1713.

SIMON PAVLVS ALEOTTVS Legum ſcientia conſultiſſimus, ex Vicario Generali Foroliuienſis, & poſteà Maceratenſis Eccleſiæ, ad Cathedram Ciuitatis Caſtellanæ, & Hortæ promotus eſt. Cum verò immatura morte pręoccupatus fuerit anno ætatis vndequadrageſimo, Epiſcopatus ſexto, Salut. 1704. paſtoralem zelum explere non potuit, ſed ingens virtutum ſuarum deſiderium reliquit.

FABRITIVS AVGVSTINVS ex Marchionibus Altemburgi, Patriæ Canonicatum tenuit, antequàm Romæ Vaticanum obtineret. Vir autèm factus, intèr Prælatos Domeſticos, & Ponentes Boni Regiminis collocatus eſt. Sub Clemente XI. S. Domus Lauretanæ Pręfectus, Clericus Cameræ, Viarum Pręſes, Prouiſor Stationum Germanici exercitus, dominium Eccleſiæ peragrantis, Commiſſarius Generalis Pontificiorum Armorum, Archiepiſcopus Amaſſeæ, & Nuncius Apoſtolicus ad Neapolitanam Aulam deſignatus an. 1714. Dùm verò adeſſe ampliorem fortunam iàm videret, nondùm ſenex interijt.

THOMAS TAVRELLVS ſummam vtriuſque Iuris pràxim apùd celeberrimum virum Anſaldum de Anſaldis Sacr. Rotę Auditorem fecit; quam cum probatiſſimi mores exornarent, in Luſitaniam Abbreuiatoris gradu miſſus eſt. Illi ſiquidèm in primis glorioſum conſortium contigit Michaelis Angeli de Comitibus, poſteà Innocentij XIII., tùnc

ad Vlyſſip-

ad Vlyſſipponenſem Aulam Apoſtolici Nuncij, qui arduam prouinciam Thomæ conſilio, & prudentia potiſſimùm adminiſtrauit. Clemens XI. tàm benè geſti officij certior factus, cum in Italiam reuocauit, & in Aſſiſienſis Vrbis regimine poſuit, vt intereà aditus honoribus, & præmijs panderetur, quæ virtus, & merita rerum actarum expoſcebant. Hìc claris dotibus animi palàm factis, in ſempiternum publici obſequij monumentum, cum poſteris nobiliſſimæ Taurellæ gentis intèr Patritios primi ordinis cooptatus eſt an. 1714.; quo temporis cum viduata Foroliuiana Eccleſia, ob mortem digniſſimi Præſulis Ioannis Raſponij Rauennatis, in luctu, & mœrore eſſet, auditâ ſubrogatione Thomæ, priſtinæ iucunditati reſtitui ſtatìm viſa eſt. In cœtum quoquè Aſſiſtentium Epiſcoporum Pontificio ſolio adſcriptus, & alijs ſignificationibus honorum cumulatus, Patriam ſuam introiuit, filij ſimùl, & Patris aduentu geſtientem, quam incomparabili humanitate, & ſapientia moderatur. Cum verò quæcumque genera controuerſiarum, quæ in foro exoriri poſſunt, longo ſtudio dignouerit, & prodeſſe ſequentibus curiam exoptet, Opus *de Vijs* lucubrauit, magnæ vtilitatis Reipublicæ futurum, ſi in lucem proferatur, nàm quæ ad hanc materiem ſpectant, ſolertèr congeſſit, & eruditè elucidauit.

LAVRENTIVS TARTAGNVS diù Vicarius Apoſtolicus Eccleſias Foroſempronienſem, & Ferentinatem rexit, multà commendatione iuſtitiæ, & probitatis, quæ illum ad Sedem Verulanam extulerunt an. 1714., à Ludouico Gualterio Vrbeuetano, ad Tudertinam pergente, ſùm relictam. Interfuit

fuit Concilio Romano, quod Benedictus Pontifex, vt corrigeret laxatos cleri mores, congregauit.

ANTONIVS LAGHIVS licèt Caſtrocarij natus, patre, & ſanguine Foroliuienſis, intèr Minores arctioris Obſeruantiæ Deo vitam vouit. Ibi zelo accenſus diuini cultus, in remotiſſimum, & immenſum Sinarum Imperium Euangelium deferre, ac propagare niſus eſt. Quibus meritis Clemens XI. permotus, eum Epiſcopum Lorimenſem, & Vicarium Apoſtolicum in Prouincijs Xenſi, & Xanſi renunciauit anno 1715. [1], vbi à Populis luce ſacrorum myſteriorum illuſtratis, infidelitatis caliginem diſcuſſit.

COSMVS TAVRELLVS peritiam legum, & præcepta dicendi Iuris ab R. P. D. de Mutis S. Rotæ Auditore, & alijs clariſſimis Iuris conſultis ſumpſit. Laurentio Cardinali Caſonio adhęſit Auditor Legationum Ferrariæ, & Bononiæ, in quibus pari æquitate, ac doctrina diremit cauſas. Cum autèm virtuti, & laboribus pręmia reſeruentur, à Clemente XI. ad regendam Eccleſiam, & Camertium Dięceſim ampliſſimam electus eſt, & eius Solio Epiſcopi Aſſiſtentis dignitate decoratus anno 17[illegible]; vt propterea elogium à Peregrino Maſerio illi, & Thomæ Fratri datum, vtrique abſquè aſſentatione conueniat, non ſolùm naturà, & virtute germanos extitiſſe, ſed etiam Epiſcopali miniſterio, ac gradu (2). Intèr Patres ad Sy-

[1] *Ex literis Apoſtolicis Dat. Romæ die 2., & 4. Septembris an.* 1715.

[2] *Peregr. Maſerius de Legatis, & Nunc lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 355.

nodum

nodum Lateranenſem conuocatos, ipſe quoque recenſetur.

CAMILLVS MERLINVS ex Marchionibus Fabiani, intèr ſtudia adoleuit, & honores Romanæ Aulæ, Canonicus S. Ioannis in Laterano, à *Sacro* cubiculo, & Prælatus Domeſticus Clementis XI. Poſtquàm creuit ætate, & ſcientia intèr Ponentes Boni Regiminis ſeleƈtus eſt, & à Benediƈto XIII. Secretarius Notarum Apoſtolicarum, Archiepiſcopus Iconienſis, & Aſſiſtens Pontificali Solio declaratus. Ei nempè Templum SS. XII. Apoſtolorum conſecranti, intèr quatuor Antiſtites conſortes ſolemnis ritus, miniſtrauit. Cum tandèm ad conſilia grauiſſimarum rerum accerſitus ſub Auunculo Card. Fabritio Paulutio, vtrumque Regimen habente, (vt ſuo loco relatum eſt) ad ea natus, quæcumque agat, videatur, illi maiores dignitates Curia, & Patria portendunt.

IOANNES BAPTISTA VRSIVS cum in nobilibus exercitijs feruentes annos poſuiſſet, vt facilè princeps in his Regionibus equeſtrium diſciplinarum crederetur, inani gloria huius Mundi vltrò reieƈta, intèr Sacerdotes D. Philippi ſe recepit, vbi arƈtum vitæ curriculum, quod natura mortalibus circumſcripſit, intèr exempla pietatis traducere decreuerat. Cum verò magìs ad publicum, quàm ad proprium bonum ortus eſſet, à Regnante Pontifice Cęſenatis Eccleſiæ moderamen accepit, cui olìm ille Cardinalis præfuerat, & in numerum Aſſiſtentium Epiſcoporum relatus eſt anno 1725.

DE PRÆ-

DE PRÆLATIS

CAP. VII.

CLEMENS MERLINVS.

Vitam hanc CLEMENS ingreſſus eſt anno Reparationis noſtræ 1590., parentibus Chriſtophoro, & Flaminia Roſetta, à quibùs, & à domeſticis exemplis optimè inſtitutus, in addiſcenda moderatrice omnium rerum ſapientia ſollecitudinem ſuam collocauit. Florentibus annis iàm eloquentiam naturali, & diuinę philoſphiæ coniunxerat, cum ad ciuilis doctrinæ ſtudia ſe contulit, maiorum veſtigijs inhærens, quos in textuum interpretatione laus egregia ſecuta eſt. Diù ſub Antonio Portio, Viro in æuum memorando, eam diſciplinam coluit, nec vllus vel ex conſortibus legalis ſcientiæ, vel ex ſectantibus Romanum Forum vnquàm repertus eſt, qui fęlix Clementis ingenium, & tenaciſſimam memoriam, ſatìs præ dignitate celebrare poſſet. Apùd Alexandrum Ludouiſium, tùnc *Sacræ Rotæ*, & tandèm vniuerſæ Eccleſiæ decus, Pontificem Maximum inauguratum nomine Gregorij XV., in reconditiore vtriuſque Iuris cognitione enixiùs laborauit. Fertur Alexandrum in eruditorum cętu ſæpè Clementis ornamenta memorantem, affirmare ſolitum, in varietate literarum illi nec quemquam parem vidiſſe, nec venturis forsàn ætatibus videndum. Vbi verò æquiſſimus virtutis Iudex Petri ſolium conſcendit, cum ſibi merita tanti olìm tyronis obuerſarentur,

eum trigeſimum agentem annum, pro Ferrarienſi Ducatu intèr Sacræ Rotæ Auditores cooptauit anno 1621. Aditus ad ſupremum Tribunal Romanę Aulæ, qui Flaminijs occluſus eſt, Merlino præſertìm patuit, ob priuilegium Ciuitatis, parenti, & omnibus poſteris conceſſum dùm Ferrariæ dicebat iura. Haud multò poſt Gregorius Auditoris munus, cum ſplendidiori gradu Datarij copulauit, nec inanis equidèm ſpes erat, Purpurà decorandum Clementem fore. At mors Pontificis omnia intercepit, & inexpectatas viciſſitudines inuexit: Etenim merces nulla meritorum ſubſecuta eſt in diuturno ſucceſſoris Vrbani Pontificatu, obſiſtentibus in Aula æmulatorum inuidià, & obtrectationibus. Cum demùm Clemens Sacr. Rotæ Decanus, Pęnitentiariæ Regens, Almæ Vrbis oraculum, & decus haberetur, ab hac vita diſceſſit, anno ſecundo ſuprà quinquageſimum ætatis, ſi anni numerentur intempeſtiuæ, ſin verò profundà comprehenſio ſcientiarum omnium maturæ, Salutis 1642. (1). Alexander VII. Innocentio X. ſuffectus, qui ſe in primordijs iuuentutis ſub Merlino feciſſe tyrocinia legum gloriabatur, cum non alitèr poſſet gratum animum ergà dulcem ſapientiſſimi præceptoris memoriam indicare, ſepulcrale elogium in Liberiana Baſilica, quam ille intèr Canonicos adſcriptus decorauerat, incidendum lucubrauit.

(1) *Auguſtinus Maſcardus antè Tract. de Arte Hiſtor. in Epiſtòla. - Ianus Erythræus in Pinacotheca. - Lucas Caſtellin. de Inquiſ. Miracul. in Canoniz. SS. Martyr., in Append. de Stigm. S. Catharin. Senen. pag. 221.*

D. O. M.

D. O. M. -- CLEMENTI MERLINO PATRITIO FOROLIVIENSI -- ROMANÆ ROTÆ DECANO -- SACRÆ PÆNITENTIARIÆ REGENTI -- GREGORIJ XV. PONTIFICIS MAXIMI DATARIO -- VIRO VTRIVSQVE IVRIS CONSVLTISSIMO -- INGENIO, MEMORIA, FACVNDIA, -- OMNIGENAQVE ERVDITIONE ADMIRANDO -- FRVSTRATIS AVLÆ VOTIS MAIORA DESTINANTIBVS IMMATVRE' DEFVNCTO -- SI TAMEN VEL DIVTISSIME' VIVENTI -- QVICQVAM MAIORIS GLORIÆ CONTINGERE POTVISSET -- QVAM OLIM DVM ROMÆ ESSET AVDITOR -- PRIMA ALEXANDRI VII. SVMMI PONTIFICIS IN ROMANO FORO TYROCINIA -- PERPETVO, ET FAMILIARI STVDIORVM CONSORTIO -- EXCEPISSE, ALVISSE, ET PRÆSAGIENTI ANIMO COLVISSE. -- NATVS ANNO MDXC. OBIJT ANNO MDCXLII. -- PHILIPPVS COMES MERLINVS -- PATRVO BENEMERENTI MÆRENS POSVIT.

Hanc inſcriptionem poni in monumento verſicoloris marmoris ſub ærea effigie Philippus Falcini Comes iuſſit. Erat Clemens ſtatura ingenti, cui lacertoſum corpus, lata fronte, cui animi amplitudo reſpondebant; oculis velùt ſydera micantibus, naſo craſſo, rotundo mento, colore carnis albo, barbulæ, & capillorum nigro. Reliquit Deciſiones, eius altiſſimæ ſapientiæ nunquàm interitura teſtimonia; nàm ex Auditoribus, qui antè eum Reſponſa Sacr. Rotæ tulerunt, nullus certè fuit,

qui lumine ingenij, puritate latinæ linguæ, & pondere doctrinæ illi præponi mereatur. Vt has Deciſiones Marcellus frater, ac Iuriſperitus à temporum infortunijs vindicaret, poſthumas Venetijs in duos Tomos apud Turrinum euulgauit an. 1652. in folio, quorum poſtremum obtulit Bernardino Spadę Cardinali ampliſſimo, Conciui noſtro, ex Paulo Theſaurario Flaminiæ, ac Piceni, & Daria Albicina nato. Hæc Stirps Merlina, nùnc etiàm alijs ornamentis fulget; ſcilicèt præter veterem, & recentem gloriam, ac Dynaſtias Valliſnucis, & Petrellæ, Caſtris Fabiani in Tidonis Valle, & Calbuli ad Apenninos montes in Coſmo Equite, & Peruſij Priore Ordinis S. Stephani potitur.

VArias per Aulæ Romanæ Præfecturas, quibus velut gradibus aſcenſus ad Dignitatem Cardinalatus patet, alij Foroliuienſes meritis intèr ſe certantes, inceſſerunt.

IOANNES AMELIVS Foroliuij Archidiaconus, cum ob ornamenta virtutum apud Innocentium IV. claruiſſet, in pontificiam Aulam introductus, ſinceræ fidei officijs ad eius arctam neceſſitudinem, & beneuolentiam peruenit. Quapropter Pontifex de ſe benemerentem intèr Clericos Cameræ deſcripſit, & amantiſſimè reſpexit.

GVILLELMVS DE BALETTIS multa eruditione præditus humani, & diuini Iuris, ex Patriæ Archidiacono Apoſtolici Sacelli Sacerdotium adeptus eſt. Huic dùm præeſſet, & altæ prudentiæ, & dexteritatis dona, quibus ornabatur, ſatìs pandidiſſet, à Ioanne XXII. ad regendos populos

Bene-

Beneuenti, Maritimæ, & Latij, Legati poteſtate miſſus eſt (1).

MATTHÆVS MENGHIVS ingentem laudem eloquentiæ, & liberalitatis meruit, diſertus, & ſplendidus Prælatus, Archidiaconus Foroliuij, Prothonotarius Apoſtolicus, & Abbas S. Saluatoris fuit; quod Cęnobium, cum D. Romualdi tutelæ confiſus, Familiam Camaldulenſem vnicè obſeruaret, Monaſterio SS. Apollinaris, & Seueri Rauennæ, magìs reſtituit, quàm dedit an. 1487. [2].

SINIBALDVS ORDELAPHVS Antonij Principis Foroliuiani nothus, adoleſcentulus moratæ vitæ, angelicæque formæ. Hunc Pius II. ob nobilitatem generis intèr Prothonotarios cooptauit an. 1458. [ſummus tùnc Romæ gradus], ac Præſularem Carbaſinam, & alia inſignia accepit manu Venturæ Epiſcopi Britinorienſis inſigni ritu, ac pompa. Fuit etiàm Abbas S. Ruffilli, eam tiaram deponente Andrea Beccio: Verùm adhùc Iuuenis dolendos cęteris dies terminauit (3).

ANTONIVS LATIOSVS ſacris, & theologicis literis præſertìm eruditus, nec politioris humanitatis expers, Xyſto IV. Pont. Maximo, ſumma familiaritate coniunctus fuit, cum mores illi ſimillimos haberet: quibus adductus Xyſtus, eum intèr Cameræ Clericos deſcripſit, Vaticanæ Baſilicæ

[1] *Ex ſexto Decretalium lib. 5. cap. 3.*

(2) *Ex rogit. Andrioli de Ruſſis Forol. die 30. Auguſti an. 1487.*

[3] *Leo Cobellus in Chron. Forol. M. S. part. 2. pag. 113. - Matthęus Vecchiazzan. in Hiſt. Pompil. part. 2. lib. 15.*

Cano-

Canonicum, & Altararium conſtituit an. 1482. (1); ac quidèm maiora deſtinabat, niſi mors alteri præmium, alteri vitam abſtuliſſet.

GASPAR RAVALDINVS celebris Blondi Flauij filius, ſcientias omnes egregiè nouit, quas ſolertiæ, prudentiæ, ac comitatis dotes ſociabant. Is, vt inquit *Iouius*, fuit claræ vxori Marganij ſanguinis Romanæ iunctus [2], qua primùm, deindè patre orbatus Sacerdotijs animum addixit. Pius II., cui antè oculos erat perſpecta Genitoris fides, eum intèr Prothonotarios, & Cameræ Clericos ſuſcepit. Alexander VI. Legatum Ceſenæ dixit, vt ciuilibus odijs debacchantes Ciues ad mutuam concordiam vel cogeret, vel alliceret. Ibi delecto militum præſidio ſtipatus, Bartolo Caſtellino Foroliuienſi Duce, quà ſeueritate, quà clementia, inteſtinos tumultus ſedare laborauit. Dùm autèm crederet in turbulentam Ciuitatem pacem inuexiſſe, & Almam Vrbem peteret ad recipiendum munus, apud Catholicæ Vicum, à Guidone Guerra Balnei Marchione, ab inſidijs cum ſatellitibus ſuis exeunte necatus eſt (3).

LAVRENTIVS THEODOLVS, Hieronymo ad Gaditanam ſedem eleuato, & ſibi locum relinquente, Archimandrita Meſſanæ in Sicilia fuit, Referendarius, & Abbreuiator Romæ. Verùm in

(1) *Franciſcus Maria Toriggius in Antris Vaticanis pag. 128., & 529.*

(2) *Paulus Iouius in Elogijs.*

[3] *Ioan. de Dipintor. in Chron. Forol. M. S. pag. 289. - Andreas Bernardus in Chron. Forol. M. S. pag. 234.*

incepto

Incępto honorum curriculo, acerbo exitu interruptus, ad maiores gradus non peruenit (1).

MARIANVS THEODOLVS Papæ Referendarius, Abbas Turris inter Hiſpanos, & ad Catholicum Regem Pontificius Nuncius, in qua adhùc Aula glorioſum Ioannis Ruffi nomen colebatur (2). Cęterùm è vita ex inopinatò raptus, ſpem de futuris progreſſibus conceptam Patriæ, & conſanguineis ademit.

MARCOLINVS MONSIGNANVS veterum officiorum memoriâ Xyſto V. acceptus, qui integritatem, & iuſtitiam, ſcientiæ copulatam in eo prędilexit. Fuit vtriuſque Signaturæ Referendarius [3], Sacræ Conſultæ Auditor, Montis Alti, & Prouinciæ Pręſidatus Rector, ſapiens, & ſtrenuus, vndè Graſſatores confinia Agrorum Aſculi, & Nurſiæ infeſta iugitèr reddentes ſupremâ poteſtate exterminauit.

PETRVS PAVLVS TAVRELLVS per varios, & illuſtres gradus Referendarij, Ponentis Conſultæ, & Prothonotarij ex numero Participantium, ac Prolegati Viterbij ad celſiorem ſortem gradiebatur, vt ſingularis amor Gregorij XIII., in eo mirantis doctrinam, integerrimos mores, & liberalitatem ſatìs deſpondebant. At intempeſtiuè à viuis excedens, quò meritis ſuis debuiſſet, non conſcendit;

MELCHIOR GADDIVS vir doctæ, & moratę

(1) *Ex antiquis Monumentis Theodolorum.*

(2) *Matth. Vecchiazan. in Hiſt. Pompil. part. 2. lib.* 18.

(3) Ex *rogit. Ioan. Baptiſtæ de Octauianis Not. Capitolini 26. Ianuar. an.* 1608.

vitę,

vitæ, Tranenſem Eccleſiam non abſque laude gubernauit, Apoſtolici Vicarij Præfecturà; mòx Romę ſumptis violaceis inſignibus, ornatiſſimi, & elegantis Prælati famà apùd omnes comparata, in Curia deceſſit.

BALTHASSAR GADDIVS intèr Referendarios Signaturæ adnumeratus, poſtquàm iuuenilibus annis prudentiam, quæ propria ſeneƈtutis eſſe ſolet, ac incorruptam Iuſtitiam in diſſidijs Fori probauiſſet, in Galliam Narbonenſem miſſus eſt, vbi honeſtiſſimum munus egit; & demùm ad Aulam Romanam redux, poſt noua virtutis ſuæ experimenta, à vita migrauit [1].

PETRVS MARTYR MERLINVS legali praƈtica in Tribunalibus Almæ Vrbis ſumpta, intèr Referendarios nomen dedit. Romà deindè egreſſus ad gubernandas Vrbes, Lauretum, Æſium, & Beneuentum rexit, ſed adhùc in robuſta ætate debitum, cui obnoxij mortales ſunt, naturæ perſoluit.

ANDREAS ALBICINVS ex Marchionibus Luderniani, egregijs donis naturæ ornatus, in cętum Referendariorum vtriuſque Signaturę ſuſceptus eſt anno 1643. Verùm cum & diuitijs ſuffultus, & gratià Principum, quæ extollendę virtuti valdè proſunt, ſpem intèr omnes ſecuturę ſortis excitaſſet, ſublato à viuis Ioanne Baptiſta fratre, nigram clamydem depoſuit, & cum Franciſca Lignana Bononienſi ex Regulis Montonis nuptias elegit, vt

[1] *Ex Oration. funebr. Equ. Ioan. Gaddi, Typis Ioan. Cimattij anno 1646.*

genus

genus ſuum propagaret (1).

ANDREAS MANGELLVS Iuriſconſultus in Romana Curia celebris, non minùs ob doctrinam, quàm ob integritatem. Hiſpanicę Legationis Auditor fuit, Ioanne Iacobo Pancirolo, & mòx Iulio Roſpilioſo Nuncij munus agentibus, vbi famam literaturę, & probitatis in Italia iàm ſatis latè propagatam, adhùc ſibi maximam effecit. Cum enìm Philippus IV. ei ciuilem controuerſiam Aulici apùd ſe in primis gratioſi commendaſſet, heroicum reſponſum dedit: *Inſeruiam*, inquit, *Maieſtati veſtrae intra limites iuſtitiae, & honoris Dei*. Quę verba zelo ęquitatis, rectique animi inſtinctu pronunciata, ita Catholico Regi placuerunt Iudicis candorem admiranti, vt illum impoſterùm pręcipuo amore proſecutus ſit. Hoc vt audiuit Innocentius X., & tanti Regis deſiderium, eum intèr Belgas Apoſtolicum Internuncium, & S. Angeli Abbatem declarauit, vbi cum fallax opinio inualuiſſet, quę orthodoxi cultus puritati aduerſabatur, Andreas diù, multumque elaborauit, vt illam dilueret. Ipſe Imperator precibus Leopoldi Archiducis Auſtrię permotus, virtutes Andreę diligentis, Traianum, eius fratris filium Comitem S. R. I. conſtituit, & ſplendido priuilegio auxit, quo laureà inſignire ſcientijs quibuſcùmque pręditos Conciues poſſet. Dum autèm ab Alexandro VII., conſonam glorioſis laboribus mercedem deſtinante, Romam vocaretur, antequàm Bruxellis diſce-

[1] *Ex Orat. funebri ab Octau. Petrignano habita, Typis Hęredum Zampę anno 1691.*

deret è vita migrauit Cal. Nouembris an. 1655. (1).

FRANCISCVS MANGELLVS in rebus agendis ſolers, & ſtrenuus, poſt fratris obitum Abbas S. Angeli declaratus eſt, & violacea veſte decoratus. Cum verò negotia Sereniſſimæ Farneſiæ Stirpis in Alma Vrbe procuraret an. 1660., ipſe quoquè vniuerſæ carnis viam, nondùm ſenex introiuit [2].

CAROLVS PAVLVTIVS ex Comitibus Calbuli, vir eloquentià, magnitudine animi, & affabilitate præclarus, quarum virtutum ſubſidio ad ſplendidiores Eccleſiæ dignitates ferebatur, niſi immatura mors omnium ſpei, & votis obſtitiſſet. Fuit Abbas Vernæ, Canonicus Baſilicæ Lateranenſis, Papæ Referendarius, Prothonotarius Apoſtolicus ex numero Participantium, à Secretis, & Datarius in Legatione Germanica pro fęlicitate Pacis. Dùm autèm à Secretis munere fungeretur Congregationis Sacr. Rituum, anno vndequinquageſimo ſuæ ætatis, humanæ Reparationis 1662. vitam cum morte commutauit (3).

BONAMENTES AVGVSTINVS ex Marchionibus Altemburgi, magnæ expectationis Præſul, ob aciem ingenij, & decora prudentiæ, ac libe-

[1] *Ioſeph Vrceolus Conſult. Forenſ. cap. 30. ſub num. 13. - Ex Orat. funebri habita Forol. à Frat. Cherubino Carpenſi, Typis Cimat. an. 1655. - Malateſt. Garuſſus in Ital. Academ. pag. 132.*

(2) *Ioſeph Vrceolus Conſult. Forenſ. cap. 30. num. 13.*

(3) *Philip. Rondaninus de Baſil. SS. Ioan. & Pauli cap. 15. pag. 233.*

ralitatis,

ſalitatis, ſi ad caniciem perueniſſet. Anno 1675. Canonicus Vaticanus extitit; ſequentibus verò Signaturæ Referendarius, Prolegatus Bononiæ, Septempedæ, & Fani Rector. Cùm deniquè intèr Ponentes Sacræ Conſultæ cenſeretur, an. 1693., ætatis ſeptimo ſuprà quadrageſimum, occumbens progreſſus ſuos interrupit.

IOSEPH FERDINANDVS PAVLVTIVS ex Comitibus Calbuli, veri, & perfecti Prælati typus, ſi quæ Virum initiatum decent, dotes prudentiæ, modeſtiæ, manſuetudinis, & æquitatis, in eo trutinentur. Munia non ſinè plauſu exercuit Referendarij, Prolegati Ferrariæ, Signaturæ Iuſtitiæ Votantis, Congregationis Aquarum à Secretis, Conſultæ, & Immunitatis Præſulis, ac Liberianæ Baſilicæ Vicarij. At cunctas re ſolà meruit, quas in varijs muneribus laudes cumulauerat; nàm Romam ſibi à Sacro Collegio in Comitijs Vaticanis concreditam intèr minas graſſantis luis incolumem ſeruauit. Dùm tandèm à voluptuarijs Albani locis ad Almam Vrbem remearet, & ęqui Aurigę fręna contemnentes, rhedam pręcipiti fuga traherent, Ioſeph ex ea proſiluit; ſed cadens, & capite in ſilicem offendens, plorando caſu extinctus eſt anno ętatis vndequinquageſimo, Salutis 1695.

PEREGRINVS MASERIVS, in quo quid poſſit natura palàm fecit, munerum ſuorum prodiga. Is enim acerrimo ingenio penetrauit arcana naturalis, & diuinę philoſophię; clariſſimus legum Interpres, & eruditione multà in Hiſtorijs extitit. Memoriam tenacem, tantamque habuit, vt ſępè fęlici repetitione memoraret, quę ad verbum audierat in academijs, & ſuggeſtis. Apùd Chri-

T 2 ſtinam

ſtinam Suecorum Reginam, in eo literaturę prodigium admirantem, antè alios gratioſus fuit, cum eximià potiſſimùm poęſeos arte humanos affectus, quòcumque vellet, contrectaret. Hęc verò relaxationis cauſà exercuit; cęterùm grauiora legum ſtudia impenſiſſimè coluit, vt ſibi, & reipublicæ prodeſſet. In Ditione Auenionis conſedit Auditor; in Flaminia Locumtenens ad Ciuilia, & Gubernator Rauennæ, antequàm Romæ celeberrimi Iuriſconſulti nomen compararet. Ab Innocentio XII. anno 1695. Canonicus S. Mariæ Maioris, Prælatus Domeſticus, Signaturæ Iuſtitiæ Auditor, mox vtriuſque Referendarius, & Votans creatus eſt. Illum Clemens XI. à Secretis Aquarum, & Confinium, ac Abbreuiatorem Curiæ renunciauit, qui licèt in Summo Pontificatu conſtitutus, amicitiam in minori fortuna contractam, non neglexit, ſed eam glorioſo nexu confirmauit. Dum autèm eſſet Signaturę Decanus, & ad altiora accederet, inualetudine correptus, in Patriam ſeceſſit, Canonicali ſede Liberianæ Baſilicę relicta Bernardino eius fratris filio, Iuuene peracris ingenij, & ſpecimen futuræ virtutis oſtendente. Ità Foroliuij eodem die, quo prodierat in lucem, ab eà demigrauit; natus XVI. Cal. Ianuarij anno 1648., mortuus anno 1618. Laudatus eſt à Bonauentura Barberino Ferrarienſi, Capuccinæ Familię Prouinciali.

Operum illius, quę extant hæc ſunt, *Opus de Legatis à Latere*, poſteà auctum, & in duos Tomos impreſſum *Romæ Prælo Georgij Plachi: Vota variorum generum* excuſa in Tractatibus *Paulutij*, *Palmæ*, & *Balducij*: Alia in *Tomo ſecundo notabilium*, & *Suppletionum in Bannment. General. Dition. Eccleſiaſtic.*

cleſiaſtic. Doctiſſimi Viri *Franciſci Antonij Bonfinij* Auditoris, & Conſiliarij Regiæ Domus Mediceæ (1). *De Iuribus Legationis Æmiliæ apùd Petrum Barboſam de Præſcriptione* impreſſ. Papiæ: Duo Opuſcula, alterum *De Coniugio Græcorum*, alterum *De Palio Pontificali*. Verùm *Adnotationes ad Statutum Foroliuij*, *Additamenta ad Deciſiones Gaſparis Cardinalis Carpinei*, & centum ferè *Comentarij rerum Legalium* digni vt in æuum viuant, inter alios calami ſui labores delitеſcunt.

DE ALIJS PRÆLATIS SÆCVLARIBVS, ET REGVLARIBVS &c.

CAP. VIII.

HIc memoria eorum repetetur, qui vel minores Romanæ Aulæ Dignitates, vel inſignium Eccleſiarum Sacerdotia, vel ſummas Ordinum Regularium Præfecturas meruerunt.

IOANNES à Foroliuio Archipresbyter Veronenſis, Conrado de Brancareſchis Lucenſi ſuffectus eſt anno 1336.; quæ Dignitas poſt Epiſcopalem prima, cui nequaquàm ſubeſt, intèr alias Eccleſiarum Italiæ clariſſima, ſeiunctà ab Epiſcopo Iuriſdictione potitur. Hac propterea viri ampliſſimi,

(1) *Bonfinius in Notabil.*, *& Supplet. ad Bannimenta Generalia Dittonis Eccleſ. tom. 1. cap. 3. pag. 46. & tom. 2. cap. 48. pag. 40. cap. 55. pag. 210. cap. 80. pag. 542.*

& præ-

& præſertim Petrus Cardinalis Columnæ Romanus, iàm anteà perſungi non dedignati fuerant. Poſtquàm verò Ioannes Foroliuienſis diù munus exercuit, graui ſenectæ requiem quæſiturus, illud Ioanni de Capitaneis reliquit anno 1355. Cum autèm iunior inuerſo ordine, ſenis exitum præceſſiſſet, is iterùm reſumpſit Sacerdotium, & tenuit vſque ad V. Idus Martij an. 1372., quo & ipſe debitum naturæ perſoluit (1).

BENVS NVMAIVS Abbas Commendatarius S. Mercurialis, Scarpettæ Ordelaphi Epiſcopi Foroliuiani vices geſſit anno 1394. [2]. Vir fuit variâ literatura ornatus, & præſertìm Pontificij Iuris ſcientiâ, vt intèr celebres Canonum Profeſſores æui ſui conſeretur.

BAIOCIVS PONTIROLVS ob elegantiam morum, & ſanguinis ſui claritatem, quæ à Ioanne XXIII. olim Flaminiæ Legato plurimi habebatur, in Aulam Pontificiam ſuſceptus eſt, & intèr Cubicularios Intimos adnumeratus an. 1410. Eo tamèn Pontificatu ſe ſe abdicante, Nicolao Eſtenſi Ferrariæ Marchioni acceſſit, qui magnam rei politicæ virtutem admiratus, illum ſempèr ab arcanis conſilijs adhibuit, grauiſſimis Legationibus condecorauit, & vt amicum potiùs, quam clientem reſpexit (3).

LAVRENTIVS FLORENVS Abbas S. Mercurialis, raris doctrinæ, & probitatis donis honeſtatus,

(1) *Vghellus in Ital. Sacr. tom. 5. pag.* 1014.

(2) *Ex Chron. Albertina* 9. *Ianuarij an.* 1394.

[3] *Ex eodem Annal. ſub anno* 1435. *die* 17. *Nouembris*.

illam

illam ſedem, vſquè ad præcipitatum ſenium occupauit, & octogenarius occubuit an. Salut. 1437. diù manſurà apùd poſteros ſui famà. Matthęus Blondus ſucceſſor deſignatus eſt: cum autèm à Sacerdotijs abhorreret, eam Tiaram renuit [1]: ſed poſt varios annos mutato conſilio, Rauennatem S. Mariæ Rotundę accepit.

FRANCISCVS MATTHÆIVS Abbas S. Mercurialis anno 1442. (2), non ſolùm gradu, verùm etiàm candore vitæ venerandus, quo velùt exemplar Deceſſoribus ſuis præluxit, & eam Eccleſiam egregijs monumentis illuſtrauit.

ANDREAS BECCIVS ad Abbatiam S. Ruphilli euectus eſt circà an. 1440., cui oppida Foropompilij, & Meldulæ cum finitimis Pagis tùnc parebant, antequàm in Baſilicæ Vaticanæ poteſtatem deueniret. Huic poſtquàm diù pręfuiſſet, à Catharina Rangonia, Antonij Principis Foroliuiani Vxore, & Vgone Spilimberti Comite coactus, eam Sinibaldo Antonij notho ceſſit anno 1458., qua violentèr abdicatus, reliquum vitæ ſpatium Bononiæ in luctu, & męrore tranſegit [3].

HIERONYMVS BLVNDVS Flauij Genitoris exempla ſecutus, ſcientijs indefeſſam operam nauauit; quibus potitus, ſe miniſterijs Romanæ Aulæ aptum patefecit. Conſtat fuiſſe Scriptorem Li-

[1] *Ioan. Dipintor. in Chron. M. S. Forol. anno* 1437.

(2) *Alexand. Paduan. in Chron. M. S. Forol. ad ann.* 1442.

[3] *Ioan. Dipintor. in Chron. M. S. ſub an.* 1434., *&* 1458.

terarum

terarum Apoſtolicarum ſub Caliſto III. ; nec recentiora documenta habentur (1).

PETRVS IOANNES BELLVS S. Ruphilli Abbas an. 1475. Is cum prædiues eſſet, nec minori pietate ornatus, propè Templum S. Crucis, Canonicæ ædificium excitauit [2], ſumptu librarum quadraginta trium millium (tunc magna vis pecuniæ), in quo S. Mariæ Vulneris, mirabilis Imago coleretur. Ibi adhùc pendent in conuexitate Toli eius, gentilitia Inſignia Leonis aſcendentis, Zonà dextorsùm ſecti.

PAVLVS AVGVSTINVS Raphaeli Riario Cardinali ampliſſimo apprimè charus, ad honorem Pontificij Cubicularij apùd Xyſtum IV., eo Patrono promotus eſt anno 1480. Erat enìm Raphael Pontifici proximus, quippè genitus ex ſorore; quo gradu plurima inſupèr priuilegia curauit Paulo, de ſe multùm benemerenti [3].

IVLIANVS BLONDVS Hieronymi germanus, & ſanguine, & literatura, non ſe degenerem inclyto Patre oſtendit. Hic Canonicatum in S. Mariæ Maioris Romæ adiuit, ei relinquente Sedem, honeſtiſſimumque gradum anno 1480. Ioan. Baptiſta ex inclyta Sabella Gente (4).

NICOLAVS BARTOLINVS Abbas S. Mercu-

[1] *Ex Catalog. antiquo Vir. Illuſtr. Forol. ſub an.* 1455.

(2) *Matth. Vecchiaz. in Hiſt. Pompil. part.* 2. *lib.* 15. *pag.* 178.

[3] *Ex Monum. Archiuij S. Auguſtini Forol., ſub anno* 1480.

(4) *Paulus de Angelis de Baſil. Liberiana pag.* 43.

rialis

rialis ex Commendatarijs vltimus, Monaſterium intùs, & forìs reſtaurauit. Is magna dicendi vi, magìs à naturà, quàm ab arte profectà, Principum fauorem paſsìm nactus eſt. Apud Hieronymum Riarium imprimis gratioſus, Inſulam, & Imperia ſimùl obtinuit: Cùm verò Beneuentanam Arcem Cuſtos tueretur, eamque Alphonſo Calabriæ Duci, nimià imbecillitate animi, non virium dedidiſſet, amiſit gratiam Imperantis, & munera, ac Abbatiam, quamuìs inuitus, Monacis Vallumbroſanis ceſſit an. 1482. In hoc infortunio ſe ſe contulit ad Aſcanium Sfortiam, ex Ducibus Mediolani, Cardinalem primarium, qui eloquentiſſimum virum ſumma benignitate complexatus ad Francorum Regem ablegauit, vbi Oratoris officium gerens occubuit an. 1493. (1).

MATTHÆVS A' FOROLIVIO omnium ſcientiarum cognitione, præſertìm Platonicę doctrinæ ornatus, ſe in beneuolentiam Xyſti IV. prudentià, & literis inſinuauit; à quo Pontificius Commiſſarius conſtitutus eſt anno 1484. (2).

CYPRIANVS NVMAIVS Leoni X. pergratus, non ſolùm ob propria virtutum merita, ſed ob antiquam amicitiam, qua Stirpes Medicea, & Numaia iungebantur, fuit Scriptor Literarum Apoſtolicarum an. 1518. (3).

[1] *Andreas Bernardus in Chron. Forol. M. S. pag.* 115. *ſub anno* 1487.

(2) *Marſilius Ficinus in Epiſtolis latinis lib.* 7.

(3) *Ex rogit. Africani Seueroli, Archidiaconi Fauent.* 11. *Aprilis an.* 1518.

IOANNES THEODOLVS ex Marchionibus S. Viti ad dignitates Romanæ Aulæ aſpirans, Xyſti V. Summi Pontificis obſequio addictus fuit, & inter Cubicularios Honoris cooptatus. At non multò poſt, ſepoſitis Eccleſiaſticæ vitæ miniſterijs, Lauram Caraffam Neapolitanam duxit, Paulj IV. proneptem, à qua Ioſeph illuſtris Vates, & Iacobus Epiſcopus Foroliuienſis orti ſunt [1].

FRANCISCVS GADDIVS ſatis Aulæ notus, in qua conſenuerat, Canonicus Baſilicæ Liberianæ fuit, per abdicationem Ioannis Baptiſtæ de Saxatellis Imolenſis an. 1600., & Duadulanus Abbas (2). Nemo tamèn poſt eum Infulam obtinuit, Abbatiæ redditibus Sacello Burgheſio., Pauli V. ſanctione adiudicatis.

ALEXANDER MARCHESIVS Iuriſprudentia conſultiſſimus, in Romanà Curià rara naturæ, & artis ornamenta patefecit. Apud Amedeum Sabaudiæ Ducem Internuncij Apoſtolici miniſterium geſſit an. 1602., quo, & aliorum munerum ſubſidio, ad maiorem fortunam euehebatur [3]. Cum deniquè ad Almam Vrbem redijſſet, à Clemente VIII. æquum laboribus prǽmium relaturus, nondùm ſexagenarius vitam claudens, omnium expectationem fruſtratus eſt.

Hi ſunt, qui honeſtiora Sacerdotia, quantùm mihi innotuit, vſquè ad præſentem ætatem obie-

(1) *Ex Monumentis Theodolorum.*

[2] *Paulus de Angelis de Baſil. Liberiana pag.* 48.

(3) *Ex Literis Petri Card. Aldobrandini Dat. Romæ* 3. *Octobris* 1602.

runt,

runt; qui autem Regularibus Familijs prefuerunt nouiſſimè attingentur.

GHERARDVS A FOROLIVIO innocentiæ ſpeculum, religioſa viuendi norma, & perfectionis exemplar Monacis Habitus Camaldulenſis fuit; quas cùm ſuſpicerent virtutes Prælati Ordinis, eum ex Abbate S. Michaelis Piſarum an. 1299. Generalem perpetuum dixerunt, numero Vigeſimum nonum poſt D. Romualdum. Hic precibus ad Bonifacium VIII. Pont. Maximum porrectis, qui Iubilęum ſacra Almæ Vrbis loca inuiſentibus propoſuerat, pro ſe, & Cęnobitis ſuis, licèt non petentibus Romam impetrauit. Annos non pluſquàm octo ſummà integritate præſedit. Verùm licèt non diù, ſed ſatis Ordini ſuo proficuus, V. Cal. Auguſti an. 1307. à viuis exceſſit (1).

BENEDICTVS LANCIVS Abbas SS. Iuſti, & Clementis Volaterrarum, vnanimi ſuffragia ferentium conſenſione ad ſummam Camaldulenſium Pręfecturam euectus eſt, ex perpetuis Generalibus Vndequadrageſimus. Fuit arcto nexu amicitiæ coniunctus Ioanni Franciſco Epiſcopo Aretino, qui in grati animi argumentum, Anteceſſorum Largitiones Sacræ Eremo Camaldulenſi datas ampliori indulto confirmauit. Cęterùm poſtquàm duodecim annos Regulari familiæ præfuiſſet, ab ęmulis apùd Eugenium IV. criminatus, quòd mutatis moribus, Monachalis diſciplinæ candorem inquinaſſet, trutinandum crimen Conuentui Brittinoriano datum eſt. Id autèm Foroliuiani ęgerrimè ferentes, tres No-

(1) *Auguſtinus Florentinus in Hiſtor. Camaldulen. lib. 2. pag. 223.*

biles Iuriſconſultos ad Ioannem Ceruantes Cardinalem S. Petri ad Vincula, Ordinis Patronum ablegarunt, Franciſcum Saluolum, Petrum Panſeccum, & Baptiſtam Haſteum, vt innocentis, & ſpectatiſſimi viri iura tuerentur. Secundum exitum res pollicebatur; ſed prȩualente inſimulationum grauitate, exauctoratus eſt an. 1431. (1). Ei ſucceſſit celebris famȩ Ambroſius Trauerſarius à Porticu, eruditione literarum tantà, vt Flauius Blondus intèr Foroliuij ornamenta recenſeret, hunc heroem latinis, & græcis ſcientijs præſtantiſſimum, in oppidulo olìm Patriæ ſuæ ſubiecto, prodijsse [2]. Cum tandèm Benedictus de criminibus, quibus inuſtus fuerat, sè ſatis purgauiſſet, honoribus, & famæ reſtitutus, Abbas S. Zenonis in Piſano agro occubuit.

BAPTISTA DE FOROLIVIO ex Ordine Seruorum, in agendis rebus prudentiam, in geſtis ſuis pietatem, in ſcholaſticis theſibus doctrinam comprobauit: quæ dotes non ſolùm oculos ſodalium attraxerunt, ſed & Pij II. Pont. Maximi exiſtimationem. Quamobrèm ex Prouinciali Flaminiæ, Nicolao Generali graui morbo laborante, Socius delectus eſt an. 1461. Franciſci Campani Vicarij Generalis; cui, & alijs duobus Viris ſpectatæ virtutis pari imperio fungentibus, Ordo alternatìm regebatur [3].

[1] *Ioannes Dipintor. in Chron. Forol. M.S. Rubr. 523.*

(2) *Flau. Blondus in Ital. Illuſtr. Reg. 6. - Auguſtin. Florent. in Hiſtor. Camal. lib. 2. pag. 240.*

(3) *Aloyſius Maria Garbius in Addit. ad Annal. Gianei, Cent. 3. lib. 2. pag. 508.*

Nec

Nec vlteriora occurrunt Baptiſtæ monumenta, forſàn in ea dignitate extincti.

LVDOVICVS ORLANDINVS intèr Canonicos Regulares S. Saluatoris ab ineunte adoleſcentia nomen dedit. Ibi & nobilitate indolis, & ſcientiarum, quas calluit ornatu, & integerrimæ vitæ normà, facilè omnes ſuperauit, vt tanquàm lumen ſapientiæ, & morum à cęteris reſpiceretur. Primus Fornouij Abbas fuit an. 1477. poſt acceptum, Pini Foroliuiani Principis permiſſu, ac dono, Cęnobium à Petro Dyrrhachino ędificatum. Quod dùm moderaretur, tantam ſanctimoniæ, & prudentiæ famam apùd Collegas reportauit, vt diuturnam fęlicitatem vniuerſæ Congregationis curaturi, ei deciès contulerint ſupremam Præfecturam. His meritorum teſtimonijs à Pontifice Maximo ad Epiſcopalem Patriæ ſedem promotus eſt; quam tamèn aſcendere miro humilitatis ſenſu detrectauit [1]. Vixit vſque ad tempora Tridentini Concilij; cui intèr venerandos Patres interfuit, Catholicæ Eccleſiæ operam ſuam nauaturus. Demùm nonagenarius ab hac vita migrauit.

AVRELIVS TABACINVS ex Congregatione Valliſumbroſæ, quam bis caſtigatiſſimæ, & innocentis vitæ laude adminiſtrauit, poſtquàm in Bergomati, Foroliuiano, alijſque Monaſterijs, quos mores haberet, quas virtutes excoleret, exemplis ſuis oſtendit. Dum eſſet Paſſiniani Abbas, in recens Sacellum picturis, auro, & marmoribus ornatum, ac in Vrnam porphyritis ex inferiori Templo S. Io-

[1] *Auguſtinus Mantuanus in Annal. part. 4.*

annis

annis Gualberti corpus magnificà, & inſigni pompa tranſtulit an. 1580. (1). Cùm tandèm Monachos ſuos, quibus ad perfectionem regularem orationibus, inedijs, & flagris, dux, & impulſor extiterat, erudiuiſſet, in Marathenſi cęnobio caducam carnem depoſuit an. 1607. (2).

ANGELVS MONSIGNANVS ex Ordine Carmelitarum, illis virtutum ſubſidijs conſtipatus, quæ ad dignitates euehunt. Cum ſcholaſticas ſcientias in Lycęis docuiſſet, & in celebribus Italiæ ſuggeſtis conciones habuiſſet, vt alijs pręeſſet dignus repertus eſt. Fuit in primis Prouincialis Flaminiæ, deindè à Secretis, Procurator, & denique totius Ordinis Generalis Miniſter: qua dignitate per ſexennium actà, in requiem Patriæ ſe ſe recepit, vbi anno ætatis ſexageſimo nono, Reparationis noſtræ 1697., Cal. Aprilis, debitum naturæ perſoluit.

ANGELVS MARIA CASTELLINVS Canonicus Regularis S. Saluatoris, perſpicacià ingenij, & ſubtilitate doctrinæ, præſertim ſacræ, ſecundus paucis. Eà in Cathedris doctor, in Aula Romana theologus ſatis comprobatà, vbi Conſultor Indicis, & Procurator Ordinis per ſex annos fuit, in Comitijs tandèm omnium plauſu Abbas Generalis creatus eſt anno 1697.: quibus muneribus præſtantèr abſolutis, ad ſuam Fornouij Canonicam ſeceſſit, & in confutandis erroribus Hęreti-

[1] *Eudoxius Loccatellus in Vita S. Ioan. Gualberti lib. 1. cap. 89.*

[2] *Vincentius Simius in Cathal. Vir. Illuſtr. Valliſumbroſæ pag. 34.*

corum,

corum, adhùc erudito calamo elaborat. Verùm ob nimiam ſenectutem, ſe ab adminiſtrationis curis abdicauit. Hoc illuſtre Cęnobium duo ſemper Abbates Foroliuiani moderantur, perpetuà, ſed alternatìm trienali poteſtate; & nùnc viuunt ornatiſſimi Viri Saluator Haſteus, & Laurus Antonius Marcheſius, quà dùm alter fungitur, alter ceſſat.

VALERIVS SAVORELLVS ex Ordine Eremitarum B. Petri de Piſis, per minora officia laudabilitèr contendens, ad Generalem Præfecturam progreſſus eſt anno 1703. Hanc, diù permanſurà intèr ſocios religioſæ vitæ, ſui regiminis memorià, ſpectatà prudentià, ac egregia virtute gubernauit.

IOANNES AVRELIVS CASALIVS ex Familia Valliſumbroſæ, præcipuas meruit, & comparauit Dignitates, quamuìs ob humilem ſuarum virium opinionem, omnes recuſaret. Fuit in varijs Cęnobijs Abbas, Viſitator, & demùm Generalis anno 1718. Apùd Coſmum III. Magnum Etruriæ Ducem gratià intèr primos valuit, ob pulcherrimas dotes probitatis, & religionis, quas in eo, optimus Princeps mirabatur, & amabat.

LIBER II.

DE THEOLOGIS

CAP. I.

MARCVS ANTONIVS PAGANVS.

MARCVS ANTONIVS PAGANVS ignota natalia ſortitus, obſcuritatem ſanguinis eruditione omnium diſciplinarum illuſtrauit. Superatà adoleſcentià, Franciſcanam Familiam Minorum Conuentualium ingreſſus eſt, vt ibi ſapientiam, cęterarum rerum fundamentum, compararet. Illi fuerunt ingenij motus ad noua excogitandum acres, ad declarandum fęcundos, ad memoriam tenaciſſimos, vt propterea mirà fęlicitate plura ſcientiarum genera adeptus fuerit, quamquàm breue vitæ curriculum, & ars longa videatur: Vim nempè oratoriam, & poeſim excoluit; canonicas leges, & literaturam ſacram didicit, ac vtriuſque philoſophię arcana penetrauit; quorum theſes in Lyceis Taruiſij, Venetiarum, & Patauij, diſcuſſit, & docuit inaudità ſubtilitate; cum non minùs tyrones illum præcepta tradentem admirarentur, quàm competitores, ſecum diſceptari non audentes, ſcholaſticum conflictum declinarent. Doctrinæ ornamenta, cum ſummà prudentià, & integritate coniunxit, quibus aditum ſibi ad regulares gradus aperuit. Fuit nimirùm Viſitator Pontificius Liguriæ, Pedemontis, Montisferrati, ac Ciſalpinæ Galliæ an. 1566., Inquiſitor Adriæ, & Rhodigij, Prouincialis Ianuæ, Bononiæ, Thraciæ, atque Daniæ: Bis in Comitijs Gene-

Generalibus Mediolani, & Senarum aſſedit, vbi cum Thoma Origono, ſolus, ex prębentibus ſuffragia Pater Ordinis, honoris, & cultus gratià vocatus eſt. Liquet Thomam ſummas Præfecturas obijſſe, ſed de M. Antonij muneribus clariora monumenta, ob maiorum incuriam, interierunt. Non tamèn ignoratur, eum intèr Theologos Tridentini Concilij emicuiſſe, & coràm venerando conuentu Præſulum diſertiſſimam concionem habuiſſe. Cùm autèm ſimilitudo morum alliciat, & attrahat ad amicitiam, arctum vinculum mutuæ coniunctionis iniuit cum Fęlice Peretto, tùnc Collegà, mox Generali Miniſtro, & tandèm à Vaticana purpura ad D. Petri ſedem eleuato. Is ſtatim ac conditionem, & nomen immutauit, Xyſtus V. appellatus, veteris ſodalitij, & amici virtutum optimè memor, eum participem ſuæ ſortis facere decreuit. Quamobrèm, vt Romam feſtinaret opportunè iuſſit, quemadmodùm fama eſt, vt illum proprio galero decoraret, ità reſtituturus Seraphico Ordini, in digniſſimo Viro, & ſibi vnicè iucundo decus, & Cardinalatus dignitatem. M. Antonius mandato Pontificis audito, citatum iter arripuit, ſed poſtquàm Fulgineum peruenit, inexpectato morbo affectus, quem vitium ætatis, nàm ſeptuagenarius erat, grauiorem, & lethalem fecit, finem dedit mortali vitæ XIII. Cal. Octobris, An. Virginei Partus 1585. (1). Ibi ſolutis iuſtis ſepultus eſt, cum Epitaphio à Petro Rodul-

[1] *Petrus Rodulphius in Hiſtor. Seraph. lib. 2. pag. 271. - Ioannes Stringha lib. 3. pag. 409. - Ioannes Franchinus in Biblioſophia pag. 420. - Vuadingh., & Superbus in Indic. Script. Min.*

phio, poſteà Epiſcopo Senogallienſi, qui ſecum neceſſitudinem habuit nullis limitibus comprehenſam, lucubrato. In Foroliuiano autèm D. Franciſci templo, Sebaſtianus Gherardinus lapidem muro Sacrarij compactum poſuit, hac honeſtiſſimà Inſcriptione

FR. M. ANTONIO PAGANO FOROL. VIRO INTEGERRIMO -- OLIM RHODIGIJ PRAVITATIS HÆRETICÆ INQVISITORI -- ILLVSTR. DOMORVM FRANCISCANÆ FAMILIÆ, ET TOTIVS PROV. -- BONONIÆ PLVRIES MODERATORI, LIGVRIÆ VISITATORI APOSTOLICO, -- MOX PROVINCIALI MAGISTRO, DVM A' DVLCI PATRIÆ SINV -- AD OSCVLA PEDVM XYSTI V. SVI AMANTISSIMI PRO -- PERAT, FVLGINEI IAM SEPTVAGENARIVS MORITVR -- DIE XX. OCTOBRIS MDLXXXV. FR. SEBASTIANVS -- GHERARDINVS FOROL. ALVMNVS, TANQVAM PATRI -- DE SE OPTIME' MERITO P.

Celebris Literati iacturam non solùm ſcientiarum Profeſſores, multiplicis eruditionis dona prædicantes, plorauerunt, ſed ipſemet Pontifex importunum exitum commiſeratus, effuſis lacrymis, doloris ſimùl, & amoris ſigna palàm dedit. Erat Paganus ſtaturà paruà, latà admodùm fronte, & cogitabunda, oculis minacibus, ac toruis, naſo, ore, & mento, quæ vultus naturæ conſonabant, colore cutis æneo, ſincipite autèm caluo, extrà coronam alborum crinium. Docti eius calami labores typis extant, *Summa Triumphorum pro perfecta reformatione hominis interioris*, *Venetijs ex*

Typogra-

Typographia Ioannis Variſcij an. 1539.: *Speculum veri Chriſtiani*: *Oratio de miſerijs ſui temporis*: *De Ordine*, & *Reſidentia Epiſcoporum*: *Tractatus de Pęnitentia*: *Sermo Generalis in Lege Canonica*, *Venetijs apud Bologninum Zalterium an.* 1540., & 1571.: *Epithalamia*, *Trophęa*, & *Varia Carmina in laudem Beatiſſimæ Virginis*: *Oratio de Reformatione Eccleſiæ in Concilio Tridentino*; Volumen *de Purgatorio*, & *de Indulgentijs* excuſum eſt, vt *Maraccius*, & *Ciattus* locuples teſtimonium dicunt: *Conſcientiæ Examen pro pęnitentibus*, poſt Auctoris exitum ſuperſtes, non diù poſt in lucem *Ioan. Baptiſta Somaccius* Typis ſuis vindicauit, *Venetijs an.* 1587.

HVic plerique non impares facilè extitiſſent diuinę ſcientiæ cognitione, niſi Opera, quæ elucubrarunt, in pluteis peritura reliquiſſent.

RAYNALDVS VVILDVCCIVS M.SS. exarauit, quæ in Bibliotecha S. Iacobi Bononiæ adhùc aſſeruantur, non admodùm quęſito orationis genere, ſed eruditione plurimà Scripturarum locupletata: *Tractatus de Septem Sacramentis*: *Sermones in Dominicis Anni*: *Sermones ſuper Epiſtolas*: *Sermones ad vſum Quadrageſimæ*: *Sermones de Feſtis annualibus*, & *contrà Hębreos*. Romæ etiàm extat Codex in inſigni Bibliotecha Auguſti Ghiſij Aricię Principis, ſub an. 1405. Arimini exſcriptus à Ioanne de Auſtria Familiæ Eremitanæ, cui titulus: *De Reſurrectione mortuorum*. Hic in quatuor

partes digeſtus eſt. Prima agit de Reſurrectione, & de Conditione corporum, tàm cęleſtium, quàm terreſtrium: Altera de Conditione Animæ ſeparatę: Tertia de futuro Iudicio: Poſtrema de ſtatu hominum poſt Iudicium. In his porrò quęſtionibus elucidandis totam vim theologicę facultatis effudit, vt nihil deſiderari poſſe difficilibus argumentis videatur (1).

SIGISMVNDVS A' FOROLIVIO, quem nonnulli Taurellæ Gentis crediderunt. Is Auguſtinianæ Familiæ adſcriptus, intèr alios fęlici dicendi copià, & profundà doctrina eminuit: quæ ornamenta literarum, cum illi aditum ad familiaritatem Vrbani *VI.* aperuiſſet, in ſummum amoris locum exceptus eſt. Ab eo proptereà mandatum ſubijt, vt Clementem *VII.* ex Comitibus Gebennarum, Pontificis nomen vſurpantem, ſimùl fortis, & prudens corriperet, & prauos tumultus, ac ſequentia indè diſcrimina obijciens, quorum ipſe Auctor extiterat, ad ſanum conſilium reſtituendæ tranquillitatis Chriſti Regno, & Romanæ ſedi reuocaret. Quod fruſtrà tentatum eſt; etenìm peruicacia Clementis perditè reſtitit ſalubribus Sigiſmundi monitis (2).

HIERONYMVS GIVNTINVS ex Ordine Minorum varià literaturà imbutus, & diuinà potiſſimùm philoſophià, quæ eum paucis ſecundum reddiderunt. In cathedris, & ſuggeſtis Picęni, Tuſciæ, & Ciſalpinæ Galliæ magnæ eloquentiæ, &

(1) *Ex Bibliotheca Ghiſiana num.* 1561.

(2) *Ex Collectan. Eugenij Menghij ſub anno* 1380. *M.SS.*

perſpica-

perſpicacitatis laudem nactus eſt. Cùm tandèm Cęſenæ an. 1430. temporibus graſſantis luis totus in animarum ſalute laboraret, peſtiferi morbi vitio impetitus occubuit [1].

HIERONYMVS BVRSELLVS ex Familià Pręedicatorum; ſi quiſquam alius in ſcholaſticis, ſacris, & profanis diſciplinis verſatiſſimus fuit, is profectò erat, vt preclarè labores teſtantur. Scripſit libros *Sermonum de tempore*: *De Sanctis*: *Pro Dominicis*: *Pro Quadrageſima*: *Librum Orationum*: & *Foroliuij Añales* ab an. 1397. vſque ad an. 1433. [2].

BARTHOLOMÆVS A' FOROLIVIO, in Ordine Dominicano excoluit non ſolùm politioris humanitatis, ſed diuinæ philoſophiæ diſciplinas. Exarauit opuſculum *De Septem artibus liberalibus*: & Volumen *Caſuum Conſcientiæ*, lucis, & æternitatis digna (3).

MARTINVS VVASTALLA, habitu Carmelita, eruditione literarum, & theologicæ doctrinæ omnibus Lycęis notus. Paulo III. ſedente, Tridentino Concilio interfuit, in cętum præſtantium Theologorum cooptatus. Flaminiæ cęnobia Prouincialis gradu gubernauit an. 1556.; & tandèm Senis, vbi metaphyſicam interpretabatur, intèr tyronum, & profitentium plauſus, vitæ curriculum

(1) *Ioannes Dipintor. in Chron. Forol. pag.* 43.

(2) *Ioan. Michael Plodius part.* 2. *lib.* 4. - *Ambroſius de Altamura cent.* 3. *pag.* 207. - *Andreas Riuetta cent.* 3. *pag.* 81.

[3] *Alphonſ. Fernandez in Cathal. Scriptor. Prou. Lombard. lib.* 3. *n.* 49. - *Andreas Riuetta cent.* 3. *p.* 77.

perfecit

perfecit, & huiuſmodi mors nomen eius ab interitu vindicabit [1].

HIERONYMVS, ET PHILIPPVS DE SAVORELLIS è Familia Minorum Conuentualium, oratoriâ facultate, & vtriuſque philoſophiæ ornati, quorum profectò eloquentiæ non deerant lumina ſententiarum, & verborum ſplendor. De poſtremo ſufficiet elogium doctiſſimi Viri Bartholomæi Ricci ad Ioannem Hieronymum Rauanium: Ego, inquit ille *Philippum Sauorellum Concionatorem Franciſcanum, vt alterum filium amo, eſt enim ætate adoleſcens, ſed prudentia, & integritate, atque ſtudiorum cognitione, vel natu maximus*. Auguſtinus Superbus raras Iuuenis dotes admiratus, eum celebrat magnæ literaturæ, & maioris ſpei, ſi ad caniciem perueniſſet. Reliquit immortales ingenij labores *Peripateticas quæſtiones*: & diſertiſſimas *Conciones*, in quibus contentio ſermonis flectebat mortalium animos, & mirà virtute impellebat ab æterna recogitanda (2).

FRANCISCVS ROSSANVS è Societate Ieſu facundus Orator, qui, & verbis ad audiendum iucundis, & ſententijs ad ſuadendum aptis vtebatur: Theologus etiam inſignis, qui diuinarum rerum naturam perſpicacitate mentis, & incomparabili ſtudio inueſtigabat. Is dum regeret Prouinciam

[1] *Franciſcus Siſtus in Oper. cui Tit. Teſſareeades Impreſſ. Venet. an.* 1564. *pag.* 282.

(2) *Bartbolom. Riccius in Volum.* 2. *Epiſt. latin. lib.* 4. - *Petrus Rodulphius in Hiſtor. Seraphic. lib.* 2. *pag.* 269. - *Idem in Concionibus pag.* 135.

Vene-

Venetam, interfuit Congregationi, in qua Vincentius Carafſa Neapolitanus ad ſummam Præfecturam electus eſt an. 1645., nec pauci ex illis, qui ſuffragia ferebant, in eius meritis obtutus, & deſideria collocarant. Obijt Placentiæ an. 1647. [1].

HIERONYMVS MENGHIVS ex Ordine Seraphico Conuentualium, non tàm canitie, quàm candore morum recolendus. Hic Prouinciarum Angliæ, & Bononiæ Moderator fuit an. 1650., longęuamque ætatem in ſuggeſtis, & cathedris traductam pijſſimè perfecit. Intèr alia eius vitæ geſta, celebris diſceptatio de Immaculata Conceptione memoranda venit. Cum enim ſapientiſſimi Viri Romæ in publicis theſibus circà originalem Virginis labem toto conatu differerent, mirabilibus argumentis eos confutauit, ac vt ſilentio venerarentur Diuinæ Matris priuilegium coegit (2).

FRANCISCVS SAPORETTVS ex Familia Prędicatorum theologicam facultatem profeſſus eſt, Bononienſis Gymnaſij Baccalaureus, & decus. Summam D. Thomæ Aquinatis fęlicitèr ità percepit, & in tenaci memoria repoſuit, vt omnia eiſdem verbis redderet, tanquàm ob oculos haberet. Demùm in Almam Vrbem accerſitus an. 1661., antè ſeneċtam moriens, immortale ſui deſiderium ſapientibus reliquit (3).

THOMAS MAZZA omni doctrinà, & eruditione præditus, quam ſcriptis, & typis comprobauit,

(1) *Ex Monumentis Societ. Ieſu Romæ.*

[2] *Ioannes Franchinus in Biblioſophia pag. 91.*

(3) *Ex Monumentis Cęnobij S. Iacobi Forolivij.*

fuit

fuit Inquiſitor Cremonæ, Vincentiæ, Liguriæ, Bononiæ, ac Commiſſarius Generalis Romæ. Ibi dùm, multà Ordinis ſui Prædicatorum glorià, Catholici cultus puritatem à ſcelerum inquinamentis expiaret, hęreſim Quietis ſub velamine pietatis turpis libidinis appetitus occulentem, detexit; & extinxit. At cùm par laboribus munus iàm adeſſet, non humanum in terris, ſed vt ſperatus æternum, decedens lucrifecit an. 1688. Extant ex eius operibus *Vita Claudiani Poetæ, Vincentiæ, apùd Iacobum Amedeum an. 1668.: Opuſculum Apologeticum pro Ioanne Annio Ronchi, apùd Georgium Franchi an. 1675.: Hiſtoria Gothorum: Conciones de Tempore, & de Sanctis: Panegyris D. Raymundi de Pegna: & Tractatus ſuper prohibitione mulieris ab ingreſſu Monaſteriorum* (1).

DE IVRISCONSVLTIS

CAP. II.

RAYNERIVS ARSENDVS.

TOgà, & armis præſtantes maiores habuit, Genitorem autèm Petrum varià ſcientiarum eruditione ornatum, cuius veſtigijs inhærere propoſuit, & literariam potiùs quàm militarem intèr vitæ diſcrimina gloriam com-

[1] *Vincentius Maria Fontana in Theatr. Dominic. part. 3. cap. 3. pag. 566. - Andreas Riuetta in Bibliothec. Cronologica cent. 5. pag. 195.*

parare.

parare. Itaque Iuriſprudentiam amplexatus, intèr conſortes ſtudiorum acri, & perenni æmulatione diſſerere, ac in medium afferre nouas, & inauditas quæſtiones cœpit. Cum autèm Socij vim perſpicacis ingenij mirarentur, & ſæpiùs confutati, eum prouocantem ad theſes declinarent, in Paleſtra adagium emanauit, magìs de præceptoris, quàm Raynerij victorià præſumendum. Is diù in exilio Rauennæ fuit, cum Gens Arſenda nobilitate, & opibus præclara, Guelpham factionem ſequeretur aduersùs Ordelapham, quæ tùnc in Patria regnabat, Ghibellinam ſuſtinentem. Paſsìm eunte altiſſimæ doctrinæ famà, Raynerius Romam vocatus eſt ad ampliſſimum munus Auditoris Sacri Palatij (1), quod tantà Quiritum laude exercuit, quantà Deceſſorum alter vnquàm obierit, cum facilem aditum optimatibus, & plebeijs daret, controuerſias benignè audiret, & trutinatam acerrimè iuſtitiam incorruptè adminiſtraret. Quoniàm autèm naturæ ingenio, potiùs ad Ius interpretandum, quàm ad dicendum in Tribunalibus Italiæ ferebatur, ſe ſe abdicare Romano Magiſtratu, & celebrem Matris Studiorum Bononiæ Vniuerſitatem adire decreuit, à qua magnis præmijs accerſitus fuerat. Ibi quamplures annos docuit, & peritiſſimos magiſterij ſodales nactus eſt an. 1324. Guidonem de Fulgineo, Petrum de Cernitis, Fratrem Vbertum de Cęſena, & Ceccum de Aſculo Aſtrologiam exponentem: an. 1330. Iacobum à Beluiſio, Franciſcum de Liazarijs, & Iacobum Butrigarium:

[1] *Guido Panzirolus de Claris Leg. Interpretibus cap. 62. pag. 183.*

anno autèm 1338. intèr alios Vgonem de Parma [1]. At ex multis diſcipulis, qui ſummà conſpiratione amoris inclytum magiſtrum proſecuti ſunt, & antiſtites legum euaſerunt, ſileri profectò non debet Bartolus Saxoferratenſis, Iuris lucerna, & legum apex nuncupatus. Is quamuìs tyrocinia ſuſcepiſſet etiàm à clariſſimis Doctoribus Cyno Piſtorienſi, & Oldrado Laudenſi, ſupèr omnes tamèn veneratus eſt, vtpotè cui ſe longè plùs debere fateretur, Raynerium Arſendum, & tàm enixè coluit, vt non iàm ampliùs tyro, & auditor, ſed doctor, atque aliorum preceptor, in *Queſtionibus* affirmet, ſe ſubijcere ſententiam ſuam ſpecialitèr opinioni, ſententiæ, & conſilio Dñi Raynerij de Foroliuio, Patris, Domini, & Doctoris ſui (his titulis eum appellabat), atque illius correctionem ſempèr reuereri (2). Vbique gentium igitùr, & iàm omnium ſermone celebrabatur Raynerij nomen, vt propterèa hoc temporis Carolus Bohemiæ Rex, & Cęſar, compos eiuſdem virtutum factus, illum ſupremum Conſiliarium Aulæ Cęſareæ, & Regalis declarauerit [3]. Verùm enimuerò à Bononienſi Academià ad Piſanam progreſſus, Bartolum iàm Bononiæ tyronem, hìc habuit collegam; imò & competitorem. Is nempè dùm *l. omnes populi ff. de Iuſtit., & Iur.* enodaret, materiem Statutorum fusè, & luculentèr pertractauit, eamque multis

(1) *Cherubin. Ghirardacc. in Hiſtor. Bonon. part. 2. libr. 20. pag. 56. & libr. 21. pag. 139.*

(2) *Bartolus in Queſtion. queſt. 2., & 14.*

(3) *Marcus Mantua in Epitome Viror. Illuſtr. pag. 167. num. 221.*

queſtio-

queſtionibus, & ſeptem potiſſimùm accuratè digeſſit. Raynerius econtrà, vt erat acutiſſimus, & opinionis ſuæ amator, ac tenax, ſingulas Bartoli ſententias accerſijt, & ad vnam omnes reiecit, ac damnauit in *Repetitione* per eum exaratà ſupèr memoratam *l. omnes populi*, quam poſtmodùm inſeruit *Albericus de Roſate in Tractatu Statutorum*. Ob hanc Raynerij in Bartolum nimis ſeueram cenſuram, *Iaſon*, & poſt eum *Ioan. Paulus Lancellottus* malè crediderunt, id non doctrinæ propriæ tenacitate, ſed inuidiæ, & æmulationis vitio peregiſſe; quod crimen in ingenuo Viro, & à cunctis Scriptoribus laudato ſuſpicari nefas eſt. Cęterùm dùm in Piſano Gymnaſio horum illuſtrium Iuriſconſultorum, qui de principatu contendebant, ſublimis ſcientia in omnium ore verſaretur, Raynerius ſexcentis aureis (enorme tùnc temporis ſtipendium) Patauium ad exponendum Ius ciuile vocatus eſt, quo anno ibidèm pontificium Ægidius Mandelbertus Cremonenſis interpretabatur. Magnis Ordinum cunctorum ſtudijs, & præſertìm Carrariæ Stirpis, intèr Euganeos floridum Regnum obtinentis, in magiſtrali cathedra locatus, eam vſquè ad exitum gloriosè detinuit, tantà diſcipulorum, & Principum ipſorum reuerentià, vt illius verba tanquàm ab oraculo acciperentur. Solùs dumtaxàt Signorolus de Homodeis Mediolanenſis, olìm eius tyro, dè mendà, & errore correptus, Magiſtrum paruipendere non dubitauit; vndè grauis intèr illos ſimultas prodijt, quæ in atrox tandèm odium ęſtuauit. Cùm enìm *Signorolus Conſilium* edidiſſet ſupèr Statuto Aſtenſi, quod eſt *trigeſimum ſeptimum* in ordine intèr eius conſilia Lugduni impreſſa, di-

ſcipuli ſententiam iuſtitiæ zelo, & veritatis amore improbaret, vt in *ſexageſimo octauo*, Incipiens, *Quædam mulier nomine Blandexia*, vbi auctoritatem ſenectutis, & gradus vſurpans, antiqui tyronis opinioni illuſit, vtpotè qui diſputaret de lana caprina, & aſciſceret verba ſua, licèt à ſe declarationem textus *in l. Cęſar de Publ.* Bononiæ dudùm Auditor accepiſſet. Hanc ideò nimis acerbam caſtigationem ęgrè ferens *Signorolus*, plùs ſapere ſe, quàm Præceptorem putans, alterum *Conſilium* euulgauit in eadem editione *vndeſeptuageſimum*, vbi *Contrà*, inquit, *videtur eſſe ſcriptum per D. Raynerium de Forolinio Doctorem meum in extraordinarijs, qui multùm coloratè, & quod veriùs eſt, audacè viſus fuit redarguere; ſed more Celſi excuſantis ſibi tùnc Magiſtrum ſuum, vt l. debere §. 1. ff. de Arbitr., ipſum ſi poſſem excuſarem, ſed quia eius ſententia eſt Iuri contraria, ideò totalitèr eſt ſpernenda &c.* Hæc, & alia Signorolus: quoniàm verò Raynerius ex acrimonià reſponſionis ſibi nimiùm remorderi viſus eſt, irà exarſit, & liberiori calamo ſcriptum, & Scriptorem confutauit, vt ex *Conſilio vltimo* Lugdunenſis editionis. Initium eſt, *In nomine &c. Ad confuſionem cuiuſdam noſtri Diſcipuli, qui à me monitus in iſto Conſilio, ſe, & ſuum errorem corrigere noluit, ſed potiùs in eo perſeuerans, in turpia verba prorupit, contrà l. quiſquis C. de poſtulan., & calore iracundiæ ductus, contrà l. quod calore ff. de reg. Iur. rubore confuſus, dedecus ſibi adſcribens, ſuum errorem expreſſum in ſuo conſilio renocare noluit, contrà l. Potiores &c., multiloquium, & ſui cordis arrogantia fatua fulminauit, contrà præceptum Ioannis Apoſtoli*

in ſua

in ſua Canonica dicentis , in multiloquio peccatum non deeſt , & contra l. ſtatuunt &c. ſuum etiam errorem iterando peccauit , & ideò excuſari non debet , nàm delicti veniam crimina non ſemèl commiſſa habere non debent vt l. &c. , & ideò ſuas fatuitates corrigam vrbano ſermone , non improbo . Et ſi mei diſcipuli ceſſet inſania , vigeat iuſtitia contrà eum , & per conſequens in eius perſona meus honor perpetuò perſeueret , cum honor ſit Magiſtro bonos habere diſcipulos , vt in conſtit. ff. in fine . Sequitur conſilium in quo omnia refellit Signoroli argumenta , & ſubindè illa cuiuſdam *Permagenſis* , nempè *Alberici de Roſute* , vt teſtatur *Theſaurus* [1] ; & his verbis terminatur , *Quarè ego Raynerius de Forlinio &c. ordinariè legens actu in regia Vrbe Paduæ ſub protectione , & tutela Inclytorum , & Magnificorum Dominorum meorum Iacobi , & Iacobini fratrum de Carraria , ad reuerentiam , & bonorem Omnipotentis Dei D. N. Ieſu Chriſti , eiuſque Intemeratæ Sanctiſſimæ Matris Mariæ Virginis , totiuſque Curiæ cęleſtis , & maximè B. Nicolai mei Patroni in Curia cęleſti , in cuius feſtiuitate complere expediui prædicta ad defenſionem pietatis , humanitatis , æquitatis , charitatis ordinatæ , & affectionis naturalis , iuſtitiæ , & totius Iuris ciuilis , dico , & conſulo &c. ſupplicans omnipotenti Deo , & Curiæ , & Sancto prædictis , quatenùs informet Iudicantem , & Conſultorem in rectitudine veritatis : Ità quod Iuſtitia in quæſtione præſenti per ipſos obſeruetur , ad quam mea intendit intentio : Rayne-*

(1) *Gaſpar Ant. Theſaurus Queſtion. Forenſ. lib. 1. queſt. 94. num. 3.*

rius

rius de Forliuio: Hæc verba à typis fidelitèr exſcripta afferre operæ pretium duxi, vt innoteſcat, quantùm ex feruido naturæ inſtinctu ſæpè caleret Raynerij ſanguis, & acerrimè magiſtralem dignitatem tueretur; ſempèr ſiquidèm contendit, vt eius opiniones, & vota, diſcipulorum ſententijs, & ipſius Bartoli præponerentur. Fuit & lepidiſſimi ingenij, quemadmodùm acuta, ac ſalibus aſperſa eius dicta teſtantur, quæ intèr alia ſunt, *Æſtatis tempore remiſſiùs eſſe dandam operam ſtudijs, quoniàm tùnc ſufficiet nobis viuere: Melius eſt ſilere, quàm per imperitiam malè loqui: Si ſecundùm cogitationes hominum ſuccederet eis lucrum, multum cogitarem ego, & multi alij &c.* Tradit, & affirmat *Albericus*, quamuis ipſum viua voce docentem non audierit, ſcripta eius legiſſe, ac ſibi viſa ſubtilia, vtilia, delectabilia, & realia: & in huiuſmodi verba deſcendit, *Laus eius comparatiuè infinita eſt* (1). Tandèm Legum Monarcha communi conſenſione & habitus, & nuncupatus, immortalitate ore, & calamo aqcuiſità, mortalitatem exuit anno humanæ Salutis 1358. Corpori ſolutis iuſtis, intèr elogia, & totius Gymnaſij lacrymas in altero ex periſtylijs Minorum Conuentualium Patauij ſepultus eſt (2). Eius cenotaphium decorant

(1) *Albericus de Roſate in Proem. Digeſt. noui, column. penultim.*

(2) *Iaſon in l. omnes populi. - Ioan. Paulus Lancelottus in Vit. Bartoli pag.* 15. - *Ioan. Fichardus in Tractat. Vit. Recen. I. C. C. tom.* 1. *pag.* 157. - *Castellian. Cotta in Tractat. Magn. tom.* 1. *pag.* 139. - *Baptiſta de Gazzalupis de modo ſtudendi in Iure.*

decorant effigies quaſi anaglyficæ, & adhùc auri veſtigia ſuperſunt, quo ſuperinductus paſsìm eſt tumulus. Iacent ad caput, pedeſque Simulacri cubantis, & doctorali veſte induti, librorum volumina; in tabulà autèm marmoreà, muro compactà, ſequentes verſus leguntur.

LIVIA QVEM GENVIT RAYNERIVS ALMA QVIESCIT -- HOC SAXO, LEGALIS APEX, VENERABILE LVMEN -- LEGIBVS IN MVNDO, IVRIS SVMMVSQVE MONARCA, -- FIDVM CONSILIVM DVBIJS, RATIONIS AMICVS. -- HOC PEREVNTE PERIT LEGVM VENERANDA POTESTAS: -- VIRTVS STRATA IACET ZELO VIDVATA PATERNO. -- HVC HVC VERTE OCVLOS LACRYMANS, HIC SPONTE QVERARIS -- PLEBS STVDIOSA PATREM, QVIA VIX HANC PASSA RVINAM -- HEV TANTVM SÆCLO DAMNVM RELEVARE FVTVRO -- COMPOS ERIS: NATVMQVE FLEAS ARSENDA PROPAGO.

Erat Raynerius, vt patet ex priſcis imaginibus, ſtaturà mediocri, exili vultu, lata fronte, luminibus concauis, ore paruo, acuto mento, colore ad album, & pallidum vergente, caluo capite, & raris, ac velùt ſparſis circà aures capillis: abraſà incedebat barbà, interiore veſte rubea, ſuperiore ſine manicis nigrà, prętioſis ſubſutà murium ponticorum pellibus, & penès collare duobus nodulis annexà. Reliquit filios Arſendinum, & Fridericum Iuris conſultiſſimos, ac cohęredes eius ſapientiæ, & famæ. Ab Arſendino, & Catharinà ex Do-

ex Dominis Boneldæ Andreas prodiȷt, parens Thadeæ Arſendi Generis poſtremæ, quæ Baiocio de Pontirolis nupſit. In hac defecit Raynerij ſemen, ſed eius inclytum, & perenne nomen in editis Operibus vigebit. Alia temporum ærumnis obnoxia periere, alia ab infortunijs educta, typis extant. *Lugduni excuſa eſt ſub an.* 1523. *apud Hugonem à Porta, & Antonium Vincentium, Vtilis, & ſecunda Lectura Domini Raynerij de Foroliuio in vtroque Iure Doctoris luculentiſſimi ſuper prima, & ſecunda parte ff. noui: Cum eiuſdem Raynerij, Dyni, pluriumque aliorum Doctorum Additionibus &c. & acuta Dyni Repetitione ſuper* §. *ſi plures &c.* In libro cui titulus, *Repetitionum, ſeù Commentariorum in varia Iuriſconſultorum Reſponſa, Volumen Primum:* continet eas Repetitiones, quæ ſpectant ad priorem partem primi Tomi Pandectarum, editum vt ſuprà, ad paginam ſexageſimam tertiam, incipit, *Repetitio Raynerij Foroliuienſis in l. omnes populi ff. de Iuſtitia & Iure*, diuiſa eſt in numeros centum viginti: Sequitur Tomus ſecundus; Repetitiones continet, quæ pertinent ad poſteriorem partem primi Tomi Pandectarum: Ibi ad paginam quadrageſimam quintam ſuprà centeſimam reperitur, *Repetitio Raynerij ſuper l. admonendi ff. de Iure Iurando*: Ad paginas biſcentum, & viginti octo, *Repetitio in l. qui ſe debere ff. de condict. cauſ. dat. cauſa non ſecut. Repetitio in l. ſi Procuratori, ff. de condict. cauſa data, cauſa non ſecut. Repetitio in l. dedi, quæ eſt l. fin. de condict. cauſa data, cauſa non ſecut. Repetitio in l. libertas & in l. ſi non ſortem ff. de condit. indebit. Repetitio ſuper l. interdum ff. de conditione indebit.* Ad paginam verò biſcentum

vnam,

vnam, & octoginta *Repetitio ſuper l. Auunculo ff. de condict. ſine cauſa*: deindè *Repetitio ſuper l. centum Capuæ, ff. de eo quod certo loco: Repetitio ſuper l. ſi poſt moram ff. de eo quod certo loco: Repetitio ſuper l. item ille ff. de conſtit. pecul.*, & demùm *Repetitio ſupèr l. ſi vt certo §. ſi duobus vehiculum ff. commodat.* In volumine octauo, Repetitiones complectente in varias Romanorum Principum Conſtitutiones, quæ poſteriori Iuſtinianei Codicis parti conueniunt, à pagina quadringenteſima trigeſima tertia, vſquè ad trigeſimam nonam reperitur *Repetitio ſuper l. vnicam Cod. de ſentent. quæ pro eo quod intereſt profer.* In vetuſtiori editione Tractatus *Alberti Duri*, Venetijs euulgati an. 1549. vbi, *De Statutis fęminas excludentibus* tractatur, extat Opuſculum, in quo Raynerius optimè eam materiem commentatus eſt. In ſecundo Tomo Conſiliorum ad cauſas vltimarum voluntatum, collect. per *Ioannem Baptiſtam Zilettum*, & excuſum Venetijs anno 1581., Conſilium octauum à Raynerio exaratum ſupèr articulum *An filij ſpurij poſſint ſuccedere ex teſtamento Patris*, legitur. Bononiæ in Collegio Hiſpano, M. S. tanti Doctoris aſſeruatur, publicæ, & priuatæ vtilitati profuturum ſi in lucem ederetur. *Fanuſius Campanus* eum Tractatus duos lucubraſſe, alterum *de Poteſtate Regia*, & alterum *de Tirannide* teſtatur [1], qui forsàn intèr varios poſterarum ætatum caſus perierunt.

(1) *Fanuſius Campanus de Famil. Illuſtr. lib. 5. pag.* 88.

Z Vtriuſque

ANTONIVS MERENDA

VTriuſque Iuris ſtudijs *ANTONIVS* natus eſt Cal. Octobris an. 1578., Parentibus priſcæ nobilitatis Fabritio, & Clelia Haſtea, quibus placuit indere ad lauacrum Salutis hoc nomen filio, vt Antonij ſenioris Canonici Cardinalis Rauennatis Eccleſiæ anno 1492. (1) ornatiſſimi Agnati memoriam renouarent. Intèr alias dotes, quæ in puero egregiæ indolis emicuerunt, mirabilis manſuetudo, integritatis, & literarum inſitum votum excellebant. Fuit enìm adoleſcentibus annis tàm placidus, & ab ira alienus, vt quamquàm iniurijs laceſſitus, animum ſemper compoſuerit, & indignationi pepercerit; tàm probus, caſtigatiſſimæque vitæ, vt nec de minima re corripi eius mores potuerint; tantę præter eà ſapientiæ in legali facultate, vt nemini ſuæ tempeſtatis poſtponi poſſe videretur. Satìs imbutus Rethorica, & naturalis, ac diuinæ Philoſophiæ diſciplinis, quibus ſe præſtantiſſimum oratorem in Academijs, & ſophiſtam in publicis theſibus oſtendit, Cęſareo, ac Pontificio Iuri nauare operam conſtituit. Ad id eum euocabant clara Gentilium exempla Vincentij, & Hippolyti, qui Romæ in Foro gloriosè verſabantur. Iſti enìm quamuis Cęſenæ exorti, Foroliuiano Generi originem ſuam referebant; nàm Iacobum Atauum intèr Conſiliarios Cęſenates dediſſe nomen an. 1475. haud ignorabant. Antonius

[1] *Archang. Albertin. in Chron. M. S. Forol. ſub die* 14. *Septembr.* 1492.

practicà.

practicà in Sacræ Rotæ Auditorio, & ſummis Romanæ Curiæ Tribunalibus acceptà, tueri cauſas forenſes cępit, eà doctrinæ, & probitatis famà, vt creſcente in dies clientum numero, vix ſatis eſſe tot Patrocinijs poſſet. Audierat has laudes Magnus Etrurię Dux Coſmus II. qui ad augendum Piſanę Vniuerſitatis decus, Viros doctiſſimos vndique aduocabat, Iuuenem ętate, ſed maturum ſcientià, ad munus Lectoris extraordinarij, & Pandectarum accerſiuit. Hanc ſedem annos quindecim multiplici eruditione non tàm tenuit, quàm decorauit, vt non minùs Tyrones, quàm Collegę eius aciem ingenij, & incomparabilem humanitatem certatìm admirarentur, ac laudarent. At quem putabant, diſertiſſimè exponentem legales textus, diutiùs Piſani audire, exinſperatò perdiderunt; nàm Franciſci Cardinalis Barberini ſtudio, & Sereniſſimæ Domus Mediceæ permiſſu, ad Firmanum Gymnaſium Antonius emigrauit, præcipuam Iuris Ciuilis Cathedram è matutinis horis conſcenſurus. Ibi ſexennio intèr plauſus cunctorum abſoluto, ad Ticinenſe Magiſterium progreſſus eſt, quod per longum viginti annorum interuallum obtinuit; ibique docendo, & edendo Typis Opera, ſuum nomen iàm Italiæ vniuerſæ notum, etiàm tràns Alpes amandauit. Quibus profundæ doctrinæ laudibus adducti Bononienſes, eum primum Legum Interpretem, ſeù Gymnaſij Eminentem renunciarunt. Annos octo in eodem munere conſedit; à quo cum ad Patauinum magnà Reipublicæ Venetæ expectatione vocaretur, perfecit anguſtum Vitæ curriculum, nunquàm apùd poſteros defecturus, anno Redemptionis 1655.

ętatis ſuæ ſeptuageſimo ſeptimo (1). Erat Antonio lacertoſum corpus, ſtatura non admodùm procera, plena, & rotunda facies, vbi aperiebatur lata frons, mentis amplitudinem indicans, & micabant oculi, in quibus irradiabat magiſtralis dignitas: caput autèm, & mentum crebrà, & veneranda canicie conſperſum. Quanti ſint ponderis, ſubtilitatis, & eruditionis eius doctiſſimi labores, ſi cùm cęteris coętaneorum comparentur, facillimè innoteſcet. Extant Volumina quatuor *Controuerſiarum Iuris*, quæ libros quatuor, & viginti complectuntur; *Primum Venetijs an.* 1625. *apud Hæredem Damiani Zenarij: Secundum Ticini Regij, excudebat Ioannes Andreas Magrius anno* 1638. *Tertium* eodem Impreſſore emerſit *anno* 1639., cui inſertus, & colligatus eſt *De Cambio nundinali Tractatus elaboratiſſimus Papiæ apùd Magrium anno* 1645.: Volumen verò, *Quartum* ab eiſdem typis in lucem prodijt an. 1647.: *Diſputationis de Conſilio minimè dando extrà caſus regulæ ex duobus malis, iuxtà opinionem ſpecificantem probabilitèr actum pro licito, in concurſu opinionis ſpecificantis ipſum probabilitèr pro illicito, Pars prima cum Appendicibus, Bononiæ apùd H. H. de Ducijs an.* 1655. in quarto: Suſpenſa eſt, donèc emendetur. In hoc ſiquidèm Tractatu promit, *Vſum probabilitatum, receptum eo ſęculo, aduerſari conſuetudini vniuerſali, & Canonibus Sanctæ Eccleſiæ, Scripturis intellectis iuxtà ſenſum communem, principijſque naturalibus,*

(1) *Antonius Bagatta in Add. ad Platinam in Vita Innoc. X. - Franciſcus Biragbus in tractat. Oper. equeſtr. in lib. 4. Deciſſ., deciſ.* 14.

& theolo-

& theologicis ; & adeò motiuis ſatisfit , vt defendi nō poſſint probabilitèr; defectus inſupèr grandes demon-ſtrantur doctrinarum pro eius defenſione editarum . Fertur Bartholomęū Maſtrium Imeldulenſem , Theo-logorum ęui ſui principem, dum pęrſtantiſſimum Opus in ſecundum librum Sententiarum Alexandro VII. obtuliſſet, ab eo de propriâ ſententiâ interrogatum in tantâ ſcribentium varietate , & in defendenda probabiliori Antonij pertinaciam improbante , reſ-pondiſſe: Haùd ſecùs , inquit , Beatiſſime Pater , Vir iſte mihi amicitiâ coniunctus , opinari poterat ; cùm à puriſſimæ conſcientiæ inſtinctu , quam ego arctiſſima familiaritate noui , ad probabiliorem eni-xè colendam , & fouendam moueatur . Hoc lucu-lentum de virtutibus Antonij teſtimonium Maſtrius Pontifici Maximo perhibuit. *Secunda Pars de Con-ſilio : Grande Reſponſorum Volumen : & Quintum Controuerſiarum Iuris* , ſi vnquàm excudentur , Fa-miliam , Patriam , & Typos illuſtrabunt .

IN Iure ciuili , quo intèr populos Iu-ſtitia , concordiæ mater cuſtoditur , vel operibus editis , vel magiſterijs celebres antè alios exſtiterunt .

FRIDERICVS ARSENDVS ad laudem Geni-toris Raynerij aſpirans , pro virili parte niſus eſt eam quodammodò ęmulari . Fuit peritiſſimus Anti-ſtes legum , eamque ſcientiam , Parentis laborum conſors, clàm excultam , ipſo extincto palàm do-cendo , & ſcribendo confirmauit .

ARSENDINVS ARSENDVS eximij Patris ve-

ſtigia

ſtigia tenuit, & Fratrem longè vicit ſcientià legum. Dùm anno 1340. Iura Patauij interpretaretur, à Franciſco Carrario ad Venetum Senatum miſſus eſt, vt ab eo honeſtæ pacis conditiones impetraret; & ipsà tandèm deſperatà, Bononiam petijt, ſalutarem opem à Pontificio Legato rogaturus. Ibi legalium Theſium diſſertationem publicam habuit, & inclytum Gymnaſium nunquàm interiturà doctrinæ ſuæ famà impleuit (1). Patauij deceſſit, propè paternos cineres humatus, & Vxoris tumulum, vbi hæc leguntur. HIC IACET NOBILIS, ET EGREGIA DOMINA, DOMINA CATHARINA DELLA BONELDA VXOR EXCELLENTISSIMI LEGVM DOCTORIS DOM. ARSENDINI DE ARSENDIS DE FORLIVIO.

THOMAS, ET PETRVS FOROLIVIENSES an. 1450. non ſolùm Iuris Codices in primarijs Gymnaſijs Italiæ expoſuerunt, ſed Opera ſupèr Cęſareis legibus elucubrata in lucem protulerunt. Verùm enim verò cũ temporum iniuriæ quandoque officiant etiam rebus immortalitate dignis, illa venturæ ætati occuluerunt; & nominis, Patriæque memoriam ſuſtuliſſent, niſi ipſa *Baldus* à latebris obliuionis eduxiſſet (2).

VGOLINVS VRBEVETANVS, Foroliuij Archidiaconus, & Vicarius Generalis, in pontificio iure, & re philoſophica magnoperè verſatus, addidit ſuis laudibus eam Muſices peritiam, vt ſacri cantus libri, eius mirabilis ingenij fętus, meritò cunctis huiuſce facultatis præferantur. Maximum

(1) *Panzirolus lib. 2. cap. 61. - Mantua tom. 1. pag. 160. - Gazalupus de Modo ſtuden. in Iure pag. 35.*

(2) *Baldus in l. Vſufruct. Cod. de Vſufruct. n. 4.*

tamèn

tamèn ſuarum virtutum præconium fuit, eas profundà modeſtià prætexiſſe [1].

GVILLELMVS LAMBERTELLVS legum ſcientià, muneribus, & actis rebus clariſſimus, diù Forum Cornelium rexit, illudque ab inſidijs Thadęi Manfredi, imperio inhiantis, vindicauit. Exortà finium diſſenſione intèr Communitates Imolæ, quæ Riariæ Genti; Lugi, Maſſæ, & Conſilicis, quæ Ateſtinæ obtemperabant, ei tunc temporis Hieronymi Riarij ſummo Auditori, ac Mario Aretino Ioannis Galeatij Mediolani Ducis Vicario Generali, arbitria pacis, & belli credita ſunt. Potuit enim Guillelmi prudentia futuris malis occurrere, & amicitiam intèr confines Principes arctiùs confirmare [2]. Anno 1500. in Cęſenati nupèr erecto, & 1502. in Florentino Auditorijs collocatus, forenſes controuerſias non ingloriè cognouit (3). Tandèm ad Patriam reuersùs, quam, proſtratà Ordelaphorum ſorte, Venetis obtuliſſe ferebatur, à manibus populi trucidatus eſt; alijs intereà miſerentibus infęlicem caſum, alijs ob ſuſpectam eius fidem crudelitatem probantibus.

ANDREAS FACHINEVS Eques, & Comes Palatij Lateranenſis, in quo multa dona naturæ, &

(1) *Dipintor. in Chron. M.S. Forol. pag.* 32. - *Blondus in Ital. Illuſtr. Reg.* 6. - *Albert. in Deſcript. Ital. Reg.* 14. - *Ex Hodoporico Ambroſij Camaldulen. an.* 1433. *menſe Iunio*.

(2) *Ex rogit. Alexandri de Sellis Not. Imolen.* 8. *Octobris* 1487.

(3) *Ex Archiu. Reformat. Florentiæ* 15. *Aprilis an.* 1503.

artis conuenerunt, perſpicaciam ſcilicèt mentis; altamque doctrinam, ſuauiſſimi, & humaniſſimi mores comitabantur. Edocuit Ingloſtadij (1), & Piſis, ibì nouem, hìc annos vitæ reliquos, magno vtrobìque Auditorum plauſu, quorum quiſque certabat, vt incomparabilis Præceptoris merita prędicaret. Eum plurimi fecerunt Guillelmus Elector Bauariæ, & Coſmus II. Magnus Dux Etruriæ, ob celeberrimas Controuerſias Iuris. Extat *Tomus primus* continens libros decem, *Venetijs apud ſocietatem Venetam an.* 1602.: *Tomus ſecundus* continens librum XI. XII., *&* XIII. *Venetijs apùd Bernardinum Iuntam anno* 1710. *in folio*.

ANTONIVS PORTIVS Romani fori Primas, Capitolij Collateralis, & oraculum Almæ Vrbis, quem S. Rota inſignem Iuriſperitum appellauit [2]. Huìc in Aracęlano Templo lapidem ſub eius effigie poſuerunt Dominicus Cardinalis Gymnaſius ampliſſimi Ordinis Decanus, & Clemens Merlinus Romanæ Rotæ Auditor; alter priſcæ neceſſitudinis, alter accepti tyrocinij memores. Hæc in elogio perleguntur: ILLE EST, IN QVO COMPREHENSIONEM LEGVM OMNIVM, RESPONSA NVNQVAM CVNCTABVNDA, PROMPTVM, ET IN NVMERATO SEMPER INGE-

(1) *Ex Liter. patentibus Hieronymi Ratſij Camerarij Academ. Ingloſtad.* 6. *Octobr. an.* 1597. - *Viuian. de Iurepatron. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 92. *& lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 13.

[2] *Rota coram Merlin. deciſ.* 158. *num.* 3. - *Mercurial. Merlin. de Legitim. lib.* 5. *tit.* 3. *quęſt.* 8. *num.* 17.

NIVM

NIVM EXPERTA, ET MIRATA EST ROMA. Obijt Vir memorandus apùd Quirites, Ciues, & poſteros; conſumatà ætate annorum 75. intèr legales diſciplinas, anno Reparationis noſtrę 1631.

PHILIPPVS FACHINEVS inclyti nominis Iuriſconſultus, de quo ſufficient *Antonij Merendæ* verba ad Senatum Mediolanenſem [1]: *Non poſſum Patres Ampliſſimi prętèrire Clariſſimum Anteceſſorem Philippum Fachineum, Andreæ Controuerſiarum Auctoris celeberrimi filium, in Piſano Gymnaſio manè è primo loco Ius ciuile tantà ſubtilitate, facilitate, eruditione, & eloquentia exponentem, vt qui Ius noſtrum, & ipſius virtutem benè nouere, vnanimi ſenſu pronuntient, vlli Italicorum huius temporis Iuris Profeſſorum, abſque iniuria non poſſe ſecundus exiſtimari.* Occubuit Piſis eruditiſſimus Interpres legum, niſi æmulator, affinis ſaltèm paternæ gloriæ.

MERCVRIALIS MERLINVS ſatìs apùd Italos, & Tranſalpinos clarus ob altiſſimam Iuris prudentiam, magìs typis, quam adminiſtrationibus ſuſceptis comprobatam. Extant doctiſſima, & elaborata Opera, Alterum *De Legitima, Venetijs apùd hæredem Damiani Zenarij an.* 1626.: Alterum *De Pignoribus, & Hypothecis, Venetijs apùd Iuntas, & Babam an.* 1639. in folio. Primum Volumen annum agens vigeſimum quintum lucubrauit; ſecundum quinquagenarius, diſſimili, ſed optimo iuxtà etatem pondere, ac ſtylo. Fuit priùs Auditor Rotæ Florentiæ, deindè Ferdinando II. Magno Etru-

(1) *Antonius Merenda in Epiſt. Dedic. ad Senatum Mediolan. Vol.* 2. *Dat. Ticini an.* 1638.

riæ Duci inſeruiuit Auditoris Conſultæ, & intimi Conſiliarij gradibus, ſummà ſempèr integritate, ac fide. Demùm ab humanis exceſſit an. Salut. 1657. [1].

FABRITIVS PONTIROLVS ex nobiliſſima ſtirpe procreatus, quæ mutua connubia cum Ordelaphis, & Alidoſijs Foroliuij, & Imolę Dynaſtis habuit. Thomas à Bonifacio IX., & Petrus à Ioañe XXIII. Nobiles Viri, & Domicelli Foroliuienſes appellantur. At magis proprijs, quàm ſanguinis ornamentis Fabritius nituit, tantà ſapientià, & ſubtilitate in legibus interpretandis præditus, vt ſæpè Iudices flexione textuum intercępti, ęius ſententiam ſequi cogerentur. Ad munus Auditoris Generalis Medicęi dominij electus, illud domeſticà contentus famà detrectauit; & in Patria vbi tranſegerat iuueniles annos, ſeniles clauſit, natus an. 1610., obijt an. 1669. Edidit *Reſponſum Polycleteà normà abſolutum*, *Cęſenæ ex typographia Nerij an.* 1645. in quarto; & tale nomen ſibi conſulendo comparauit, vt à Sacra Rota inſignis Iuriſconſulti elogio decoretur (2).

IOSEPH VRCEOLVS intèr legum Antiſtites ſuæ tempeſtatis claruit, graui, & eximià doctrinà Operibus impreſſis confirmatà. Nec ſolùm ingenio, ſed

(1) *Venturinus Conſ.* 42. *lib.* 1. *pag.* 770. - *Franciſcus Anſaldus Conſ.* 110. *in principio*. - *Iacob. de Comitibus tom.* 1. *Deciſ. Rotæ Senen. tit.* 2. *de Clar. Iudic. Ciuit. Florentiæ*.

(2) *Rota part.* 18. *Recen. tom.* 2. *dec.* 423., *& part.* 19 *tom.* 2. *deciſ.* 529., *ac cor.* - *Emer. Iun. tom.* 1. *deciſ.* 238.

proba-

probatiſſimâ integritate, & prudentiâ Magni Ducis Etruriæ patrocinium meruit. Eum nempè Coſmus III. ex Florentino ad Capitaneorum Partis Auditorium, Conſeruatoris Legum, & Abundantiæ, Auditoris Conſultæ, & intimi Conſiliarij euexit, ac deniquè in filios Ioannem Senenſis Rotæ Auditorem, & à Conſilijs Status, ac Petrum Paulum Equitem Ordinis S. Stephani, munificentiæ, & amoris ſui argumenta deriuauit. Quæ extant hæc ſunt *Conſultationes Forenſes rerum practicabilium, & iudicatarum, Bononiæ ex Typographia Iacobi Montij anno 1662.*: *Deciſiones inclytæ Rotæ Florentinæ continentes materias contractuum, vltimarum voluntatum, & interpretationes Statutorum, Florentiæ, Typis Ioannis Philippi Cecchi anno 1690.*: *Tractatus de Tranſactionibus, Geneuæ ſumptibus Ioannis Antonij Cramer anno* 1701. in folio. Dùm tandèm fęlici calamo, vegetique in ſenio memoriâ Tractatum lucubaret *De bona, & mala fide contrahentium*, ſurreptus importunâ morte, à laboribus ſuis requieuit Foroliuij anno Virginei partus 1698., ætatis ſexto ſuprà ſeptuageſimum [1]. In Sanctæ Mariæ Seruorum, coràm vtroque Magiſtratu laudatus eſt, & deindè poſt honeſtiſſimum funus tumulatus [2].

[1] *Iacobus de Comitibus tom. 1. Deciſ. Rotæ Senenſis tit. 2. de Clar. Iudic. Ciuitatis Florentiæ.*

(2) *Ex Orat. funebr., typis Ioſephi Syluæ anno 1698.*

DE MEDICIS

CAP. III.

IACOBVS A' TVRRI.

MAgnam IACOBVS reliquit ſui famam, ingenij ſubtilitate, eruditis Operibus, & tunc ignotis documentis partam; eam ſcilicèt ſortitus fuit mentis amplitudinem, vt mirà fęlicitate ijs diſciplinis potiri valuerit, ad quarum poſſeſſionem alij laboribus, & ſenectà confecti vix perueniunt. Cum autèm intèr alias ſcientias profiteri Medicam facultatem propoſuiſſet, Patauium petijt, vbi præclarum vigebat nomen inſignium Virorum Bartholomęi Columnæ, & Iacobi Auogadrij. Eos ſiquidèm præceptores habuit in Medicina, & Philoſophia; verùm intimo quodam naturæ lumine, & inceſſanti ſtudio, ſocios non modò, ſed & ipſos, à quibus eruditionis tyrocinia acceperat, prætergreſſus eſt. Multùm etiàm gręco ſermone polluit, per quem ad difficilis ſcientiæ olìm in Græcia florentis cognitionem, velùt per oſtium introitur. Eo nempè varia, & admodùm proficua à Gręcis ſcriptoribus excerpſit, quæ apùd noſtrates in tenebris deliteſcebant. Tandèm ad Doctoream Cathedram pròmotus, ęgregiè, & diſertè elucidauit Textus Galenici ſtudij, ad quos audiendos plærique Itali, nec pauci tranſalpini Tyrones certatìm properarunt. Erat tunc Medicina in tanta hominum exiſtimatione, vt medendi munus nullius etiam optimatis dignitatem imminuere poſſe videretur.

retur. Inualuit Mediceę facultatis cultus græcorum Codicum expoſitione; ob quam innumeros cupido inceſſit noſcendi Interpretem, & noua audiendi in Patauina Academia. Hic Iacobus ſcientias trium præcipuorum, in quos ſcripſit, Medicorum, eà perſpicacià, & nitore ſoluit, vt omnes mirari acumen, & doctrinam docentis cogerentur. Subtilitas primùm ex quæſtionibus emergit, quibus vtebantur ſcribentes ea tempeſtate Medici; illaſque interpretatione obſcuriorum locorum, & ſenſuum fęlicitèr examinauit. His diſceptationibus, quæ illi vis mentis eſſet, & quantùm reconditas ſcientias introſpiceret, ſatìs ſuperque intelligetur. Non enim quiſquàm diù facilè repertus eſt, in poſterioribus æuis, qui in hoc pertractando genere quæſtionum, aliorum quàm Iacobi veſtigia ſequi, & imitari maluerit, cum Doctor illo maior certè nullus haberetur. Scripſit quatuor Volumina, *Primum expoſitionum, & quęſtionum in Artem Medicinalem Galeni: Secundum in Hippocratis Aphoriſmos, & Galeni ſuper eiuſdem Comentarios, & Quæſtiones: Tertium Quęſtionum in primum Canonem Auicennæ*: Excuſſa ſunt, *Venetijs in Typographia Iuntarum an.* 1547. in folio: *Quartum Expoſitionum ſuper Capitulum de generatione Embrionis, cum Quæſtionibus: Venetijs apùd hæredes Octauiani Scoti an.* 1502. in folio, & forsàn alibi in alijs typis. Tradit *Vincentius Belluacenſis* Libellum etiam *De Intenſione graduum, formarum, & earum remiſſione*, compoſuiſſe (1). Pataui docuit vtraſque ſcientias Ariſtotelicam, & Hippocraticam, donèc illum

[1] *Vincent. Belluacenſis in Specul. Hiſtor.*

morta-

mortalitas conſecuta eſt, eiuſque documenta tanquàm oracula ab ipſis Collegis colebantur. Id nimirùm liquet ex Reformationibus Statutorum Almæ Vniuerſitatis Artiſtarum Patauinæ, in quibus hæc verba - *Conſtitutum fuit, vt in lectionibus Doctores ordinarij Theoricæ, non dimittant examinationem difficultatum ſecundùm ordinem queſtionum Iacobi Foroliuienſis* [1]. Demùm cum omnes ad exitum gradiamur, iàm magiſterij onere, & ætatis abſumptus, non vt putat *Trithemius* anno Chriſti 1439. ſub Sigiſmundo Imperatore, & Henrico Gallorum Rege, verùm pridiè Idus Februarij anno 1413., vt conſtat ex Inſcriptione ſepulcri, à viuentibus abijt, in Typis nunquàm moriturus (2). Intrà Templum Eremitanæ Familiæ poſt Iuſta, & gemitus diſcipulorum, in magnifico monumento, cui ſuperſtat, ſedentis inſtàr, eius Simulacrum, conditus eſt. Hoc Paulus Venetus illuſtris Philoſophus erigendum curauit, cum Epitaphio, ſequentibus numeris expreſſo.

FORLIVIVS IACET HIC IACOBVS, QVO CLARIOR ALTER -- NON FVIT IN LATIO, NEC GRÆCIA DOCTIOR ILLO :-- ALTER ARISTOTELES ITALIS, HIPPOCRAS FVIT ALTER -- OLIM QVI TERRAS FAMA, NVNC SYDERA LVSTRAT. -- QVI OBIJT ANNO

[1] *Ex Reformat. Statutorum lib. 4. cap. 18.*

(2) *Blondus in Ital. Illuſtr. Reg. 6. - Eremitanus in Supplem. Chron. lib. 6. - Albertus in Deſcrip. Ital. Reg. 14. - Vghellus in Ital. Sacr. tom. 2. in Epiſc. Forol. - Vuolph. Iuſt. in Cronol. Medicorum.*

DOMI-

DOMINI MCCCCXIII. DIE XII. FEBRVARIJ. Is licèt nullis careret ornamentis, fauore Principum, & literatorum obſequijs conſtipatus, prolem nihilominùs deſiderauit, in qua moriens ſupereſſet: Cum autèm Vir ſapiens haud ignoraret vnum ſterilitati remedium à lege commodatum inueniri, antequàm ab hominibus migraret, Franciſcũ quondã Romagnoli de Pontirolis, vel ex Sorore natum, vel affinem, quod tamèn incompertum eſt, in filium adoptauit (1). Eius tumulus patet antè Iacobi monumentum cum his Verbis
HOC EST SEPVLCRVM FRANCISCI QVONDAM FAMOXISSIMI ARTIVM, ET MEDICINÆ MONARCÆ MAGISTRI IACOBI DELLA TVRRE DE FOROLIVIO, ET HÆREDVM SVORVM (2). Iſte ob virtutes legales Patris, intèr Patritios Patauij locum an. 1430., & Conſilicis Vicariatum meruit. Sed cum infirma mortalium conſilia nequeant conſulere caducitati, cui quodcumque ortum eſt, ex immutabili naturæ lege deſtinatur, circà annum Salut. 1600. inſitum etiam Genus exaruit.

HIERONYMVS MERCVRIALIS.

Vitalem in lucem egreſſus eſt an. hum. Reparationis 1530., & Parentes Ioannem, ac Camillam Pungettam honeſtiſſimi Generis accepit. Fuit acerrimo ingenio, tenaci memorià, &

(1) *Archang. Albertin. in Chrõ. Forol. M.S. p.* 140.
(2) *Ex Inſcript. à Iacob. Salomon. Collec. p.* 214. *n.* 9.

naturali

naturali eloquentiâ præditus, vt à primæuâ etiam ætate de ſe magnũ aliquid portenderet, & iàm tùm non minùs naturâ, quàm artibus eruditus videretur. Nè tamèn iniuriam inferret indoli, grandia pollicenti, poſt ſtudia politiorum literarum, ac Medicę facultatis, in Collegio phyſicorum Veneto, non Patauij, vt plurimi perperàm tradiderunt, annos agens vigintiquinque, Salut. 1555. Lauream obtinuit intèr lęta eorum præſagia, qui ſpectatores aderant, & in Iuuene ſuboleſcentem maturioris doctrinæ fructum prænoſcebant (1). Mox ſedulam Gręci ſermonis cognitioni dedit operam, vt reconditiora eiuſdem diſciplinæ arcana faciliùs ingrederetur. Satìs Medicina imbutus, ad Patriam reuersùs eſt, & in inquirendis herbarum virtutibus, & morborum vitijs induſtriam ſuam collocauit. Verùm adhùc Iuuenis ad Pium IV. à Patribus Foroliuienſis Conſilij miſſus, in Alma Vrbe conſtitit, vbi omnigenam eruditionem, & medendi præſtantiam Ordinibus cunctis palàm fecit, & apùd Alexandrum Farneſium Cardinalem ampliſſimum, ac Literatorum Męcenatem pręcipuum locum meruit, quo in otio potuit doctos ingenij partus procreare [2]. Ob hæc virtutum ingentium ornamenta placuit Senatui Romano Hieronymũ intèr Patricios cum ſua poſteritate conſcribere, & ijs honoribus, ac indultis inſignire, quibus orti ex Quiritum progenie perfruuntur (3).

(1) *Ex Priuil. Doctor. Colleg. Philoſoph. Venet. Dat. 18. Aprilis an.* 1555.

[2] *Tuan. ad annum* 1604.

(3) *Ex rogit. Iulij Orologij Scribę S. P. Q. R. 13. Calend. Ianuar. anno.* 1563.

Poſtquàm

Poſtquàm fāma eminentis doctrinæ intèr Venetos aduenit Mercurialis, vita functo Antonio Fracantiano Vincentino, ad principem Medicinæ Practicæ interpretandæ Sedem Patauium vocatus eſt anno 1569., aucto ſtipendio per inſequentes annos vſque ad ducatos mille, & biſcentum. Eam inſignem Cathedram longo octodecim annorum ſpatio decorauit; ad magnorum intereà Principum, Regum, & Pontificum languores ſanandos accerſitus, præſertìm Gregorij XIII. & XIV. ac Maximiliani II. Imperatoris, quem graui morbo fatiſcentem, cum priſtinæ ſanitati fęlicitèr reſtituiſſet, nummis, torque aureo, generoſis equis, & Equitis, Comitiſque dignitate remuneratus eſt. Ille etenìm raris Viri dotibus permotus, cum ſocias ſapientiæ, prudentiam, & integritatem comperiſſet, non ſolùm ore coràm Proceribus Auguſtalis Aulæ, ſed præclaro Diplomate, Viennæ dato an. 1573., maiores ipſà omnium opinione prædicauit. His muneribus illuſtre Priuilegium addidit, quo poſſet idoneos ad Medicinæ Baccalaureatum promouere, Scribas Tabellionatus officio vbique terrarum honeſtare, & nothos ad iura naturæ reuocare [1]. Dùm tanti Profeſſoris nomen in Italia coleretur, & Europęi Reges ei certatìm Archiatri gradum exhiberent, quem ipſe ſemper ſingulari modeſtià detrectauit, illum Bononienſes [2] ad inſtituendos tyrones celebris Gymnaſij largiori manu, & Ciuitatis ſuo dono pellexe-

(1) *Ex Diplom. Cęſareo, Dat. Viennæ* 10. *Octobris anno* 1573.

(2) *Ex Diplom. XL. Reformator. Bononiæ, Dat.* 3. *Januar. an.* 1587.

 runt

runt anno 1587. Ibi annos duodecim commoratus, cum non minori celebritate, quàm Patauij docuiſſet, à Ferdinando, Magno Etruriæ Duce, an. 1599. Piſas conductus eſt liberaliſſimo ſtipendio, poſterioribus annis ad duo millia aureorum aucto. In his præcipuis Italiæ Academijs vſque adeò in græcorum, latinorumque cuiuſcumque generis Scriptorum interpretatione verſatus fuit, vt ex tot eius ſcriptis, nullum reperiatur, in quo eius eruditio non eluceſcat. Id ſanè quotquot Lectiones, & Artis Gymnaſticæ libros, quamuis curſim euoluerint, non ſolùm intelligent, ſed fateri compellentur, ex illis, quaſi ex perenni fonte, eruditionis flumen promanare: quippè ſeù perpendent medendi rationem, ſeù philologiam metientur, intèr ſua, & primi etiàm nominis Auctorum Opera difficilem comparationem adinuenient (1). Verùm Hieronymus ingraueſcente ætate in Patriam ſeceſſit, vbi & conſulendo, & ſcribendo omnium ſanitati prodeſſet, & animum ſuum à nimijs laboribus, & ſtudijs relaxaret. Cum autèm homines inexorabili naturæ lege ad exitum feſtinent, poſtquàm per menſem aſperrimo calculorum cruciatu laboraſſet, & à Cęſare Bartolello Epiſcopo Ciuitatis, ac à Magiſtratibus Iuſtitiæ,

(1) *Iuſtus Lypſius Epiſtol. Miſcell., Cent. 2., Epiſt. 32. & 39. - Ioannes Craton. in Conſultation. - Iacob. Philip. Tomaſin. in Elog. Vir. Illuſtr. pag. 147. - Camill. Paleottus in Epiſt. ad Latinum 1587., & 1588. - Sebaſtian. Scheffer Introduct. in Art. Medic. - Guibertus de Alchimia Impugn. lib. 2. cap. 5. - Vghellus Ital. Sacr. tom. 2. in Epiſc. Forol. - Boiſard. in Icon. - Bertgard. in Epigram. - Manutius, & Grillus in Epiſt.*

& Pacis

et Pacis teſtimonia priuati, & publici mçroris acceepiſſet, V. Idus Nouembris an. 1606. ab hac vita migrauit. Ferunt eum Medicis aſſeruiſſe duos in renibus lapillos gerere, vrinæ meatum prohibentes, & iterùm atque iterùm rogaſſe, vt ſtatimac ſpiritum emiſiſſet, id anatomica inueſtigatione cognoſcerent. Ità reſectis viſceribus compertum eſt, illum nequaquàm opinionem decepiſſe, & binos in renibus prçgrandes calculos habere ponderis drachmarum octoginta. Solutis Iuſtis ſplendidiſſimà pompà, intèr pauperum, & bonorum luctum in D. Mercurialis ſepultus eſt in eleganti Sacello à ſe nupèr condito, & auro, marmoribus, ac picturis adoperto; in quod Sancti Antiſtitis cineres, ab Ara maxima transferri curauerat. Eius Imago, tùnc longçuæ ætatis, in tabulà lçuo parieti compactà, ſub D. Grati effigie picta eſt. Erat vultu graui, caluà ceruice, fronte ampla, oculis viuacibus, ac fuſcis, naſo oblongo, acuto mento, & alijs ad conſonantiam oris partibus; cute autèm albo, & rubicundo colore obductà. Poſteriori anno, & ſuæ morti proximo ditiſſimam hæreditatem, Stirpis Mercurialis natu maioribus concredidit; & ea deficiente, ab aluo Filiarum ſubſtitutarum naſcituris, qui extracto per ſortes nomine ad ſucceſſionem bonorum vocarentur. Arctius & vinculum in ſupremà voluntate appoſuit, vt omnes in futurum hçredes nomina accipere, aùt Maximiliani in munifici Imperatoris, aut Ioannis in Patris; aùt Hieronymi in ſui memoriam, tenerentur [1]. Ingentes ſiquidèm

[1] *Ex rogit. Antonij Saſſi 25. Octobris 1605.*

opes cumulauerat, ſibi à Regum, & Principum liberalitate datas, in quibus centum viginti aureorum millia, prætèr adamantes, lapillos pretioſos, argentea vaſa, & illuſtrium Pictorum tabulas ſupputabantur; quamuìs ſatìs lautè vixiſſet, & magnam vim auri in ædificijs ſacris, & prophanis, ac eleemoſynis effusè collocaſſet. Cum verò eum iucunda Graphices cognitio delectaret, prçclaram condidit Pinacothecam, vbi præſtantiorum Artificum labores laudabili ſtudio congregauit, ad quos perluſtrandos extranei Proceres hàc prætereuntes, maximà auiditate diuertebant. Ædes etiam conſtruxit pulchras, cubicula aulçis, & ſericis veſtiuit, vbi Optimates, & Principes, quo par erat, hoſpitio exciperet. Quinque genuit filios ex Franciſca Bicia, & ex his mares duos, Ioannem paternis virtutibus, & veſtigijs inſiſtentem, in Academià Salmaticenſi immaturè defunctum, & Maximilianum. Hoc autèm à viuentibus ſublato an. 1638., ſterili thalamo vxoris Franciſcæ de Bardis nobiliſſimæ Florentinæ, poſitis in vrnà nominibus filiorum ex fçminis, Camillà Andreæ Fachineo celebri Iuriſconſulto, Octauià Valeriano Haſteo, & Margharità Hieronymo Matheio nuptis, ſors hæreditatis cecidit ſupèr Philippum Fachineum, Andreæ Patri nequaquàm degenerem, in cuius poſteris, qui immodicà bonorum parte amiſsà adhùc vigent, Mercurialis Familiæ nomen perſeuerat. At quam Hieronymus ſperabat, quantùm fert caducitas humanarum rerum, immortalitatem, ab eruditis laboribus, & ſcriptis ſuis comparauit. Extant *Nometheclaſmus, ſeù ratio lactandi infantes, Patauij an.* 1552. Anonymo Impreſſore, in octauo, ſeruatur in Biblio-

theca

theca Ioan. Baptiſtæ Morgagni: *De morbis Puerorum Tractatus*, *Venetijs apùd Iuntas an.* 1583. in quarto: *Epiſtolæ Græcæ Alexandri Tralliani de Lumbricis Verſio latina, Franchofurti apùd Hæredes And. Vuechelij anno* 1584.: *Cenſura, & Diſpoſitio Operum Hippocratis, Franchofurti apùd eundem an.* 1585. in octauo: *Scholia in Hippocratis opera*, extant *cum Græcolatina Hippocratis editione à Mercuriali emendata, Venetijs apùd Iuntas anno* 1588. in folio: *Variarum Lectionum in Medicinæ Scriptoribus, & alijs libri ſex, Venetijs apùd Iuntas anno* 1588. in quarto: *Reſponſionum, & Conſultationum Medicinalium Tomus Primus an.* 1587. *Tomus Secundus an.* 1589. *Venetijs apùd Iulitos* in folio, *Tomus Tertius, & Tomus Quartus an.* 1597. *Venetijs apùd Franciſcum de Franciſcis* in folio: *De oculorum, & aurium affectibus Prælectiones, Franchofurti apùd Ioannem Vuechelium an.* 1591. in octauo: *De Arte Gymnaſtica libri ſex, an.* 1601.: *De morbis muliebribus Prælectiones, an.* 1601.: *De morbis cutaneis Tractatus, anno* 1601.: *De Decoratione liber, anno* 1601.: *De Peſtilentia Lectiones, cum Tractatu de Maculis peſtiferis, & de Hydrophobia, anno* 1601.: *De Venenis*, & *morbis venenoſis Tractatus, anno* 1601., *Venetijs apùd Iuntas*, omnes in quarto: *Commentarij in Hippocratis Coij: Prognoſtica, Prorrethica de Victus Rat. in morbis acutis, & Epidemicas hiſtorias, Franchofurti Typis Ioannis Saurij anno* 1602. in folio: *De cognoſcendis, curandiſque humani corporis affectibus Prælectiones, Venetijs apùd Iulitos anno* 1603. in folio: *Ratio dicendi Medicinam enypaphis*, extat cum *Schenkij Enchiridio de formandis Medicinæ Studijs, Argentorati apùd*

Cour

Cour Scher an. 1607. in duodecimo. *Iacobus Gronouius* in Theſauro Antiquitatum Græcarum tradit Mercurialem lucubraſſe *de Potionibus*, & *Edulijs Antiquorum Mantiſſam*. Poſthumæ autèm ſunt *In omnes Hippocratis Aphoriſmorum libros, Prælectiones, Bononiæ an.* 1619. *apud Hieronymum Tamburinum* in folio: *In ſecundum librum Epid. Hippocratis Prælectiones, Forolíuij apud Cimattos an.* 1626. in folio; quæ poſtrema Opera poſt exitum Auctoris lucem aſpexerunt. At Rauennæ in Bibliotheca Ordinis Camaldulenſis extat ineditus Codex Hieronymi manuſcriptus, continens *Problemata quędam Plutarchi è greco in latinum ab ipſo conuerſa*: Adeſt Appendicis loco, *Conſtitutio Anni MDLVII. incipiens à Vere circà æquinoctium, vſquè ad Aprilem menſem ſequentis Anni MDLVIII. cum peſtis deſeuiret Patauij*, vbi Mercurialis conſtitutionem dietìm ſcripſit. Eum Scriptores omnes ſummis laudibus exornant: Hæc, intèr alios *Antonius Teiſſier*, tradit: *Medicinam tàm eloquentèr, quàm eruditè docuit, exiſtimationemque, & admirationem doctorum hominum innumeris præſtantibus ſcriptis à ſe compoſitis, ſibi demeruit. Sed non minùs virtute, quam eruditione ſua illuſtris fuit. Cum enim non minori ſollicitudine perfectam ſanitatem in animo ſuo ſtabilire ſatageret, quàm ægris ad ſe confugentibus valetudinem reſtituere, vitam innocentia, & pietate coruſcam egit. Merita eius ſingularia non modò magnam celebritatem ei pepererunt, ſed etiam opes immenſas. Hæredibus enìm reliquit centum, & viginti millia ſcutatorum aureorum, poſtquàm vixiſſet honeſtiſſimè, & ſplendidiſſimè, ac inſignibus liberalitatibus Amicos affeciſſet, amplaſque eleemo-*

ſynas

ſynas pauperibus erogaſſet &c.(1). Et *Ianus Erythręus* ait, *quænam tanta eſt vis ingenij, quod tantum orationis flumen, quæ tanta dicendi facultas, & copia, quę Hieronymi Mercurialis Foroliuienſis Medici, ac Philoſophi ex ęquò reſpondeat? Illud enìm vnicum ętatis noſtræ lumen, illud eximium Medicæ facultatis decus, illud maximum acumen ingenij ad rerum cauſas inueſtigandas, ad Cęli conuerſionem, & motum, ad ſyderum ortus, occaſus, adſpectus, compoſitioneſque notandas, ad intimam, & reconditam omnium diſciplinarum notitiam percipiendam ritè à naturâ profectum, illud ſummum eruditionis culmen, atque faſtigium, quis non modò laudibus efferre, verùm etiam dicendo aſſequi poſſit?* (2). His, & ſimilibus elogijs eiuſdem ſęculi Scriptores vſi ſunt, vt ſanctos, ſuauiſſimoſque mores, ſublimem, & incomparabilem doctrinam, & raras, imò admirandas dotes Viri clariſſimi, & ſingularis futuris æuis teſtarentur.

Hippocraticæ ſcientiæ, qua vitia fatiſcentis naturæ corriguntur, vel experientiâ, vel documentis, vel ſcriptis nouum decus attulerunt

BARTHOLOMÆVS LOMBARDINVS, non minùs theorices, quàm praxeos eruditus, excelſos Principes à morboſis affectibus eduxit; in Italia Hieronymum Riarium Xyſti IV. ex ſorore natum, & Cęſarem Borgiam Flaminiæ Ducem; in Germa-

(1) *Antonius Teiſſier Elog. Vir. Erudit. Gall.*
[2] *Ianus Erythręus in Pinacotheca.*

nia verò

nià verò Fridericum III. Imperatorem: qui omnes beneficia acceptæ ſanitatis honoribus, & donis remunerati ſunt. His ſatis diues factus, in D. Blaſij dotem conſtituit Altari S. Michaelis ampliſſimo prędio iugerum centum, & ſeptuaginta (1); in D. Franciſci ſcutorum mille Sacello indiuiduæ Trinitatis, quod magnis ſumptibus, auro, picturis, & figulari pauimento ornatum excitauit. Tandèm Vir inclytus plenus annis Deo, & naturæ conceſſit, octogeſimo ſecundo ætatis, Sal. verò 1512. [2]. In monumento albi marmoris requieſcit, quod illi Iugales Ioannes Monſignanus, & Ioanna filia, à quibus Saliani Comites oriuntur, poſuerunt.

HALIDEVS PADVANIVS, ex præcipuis Medicis tempeſtatis ſuæ, experientià emicuit, in Noſocomio Vitæ Bononienſi acceptà, ſed magis rudimentis Petro Foreſto, magno lumini Medicinæ, datis. Occubuit XIII. Cal. Ianuarij an. 1576., relictis ingentis famæ libris apùd Italos, & Tranſalpinos [3]. En titulus *Curationes, & Conſilia in curandis particularibus morbis, in lucem edita per Ioannem Vuitichium Armſtatenſem, Lypſiæ apùd Nicol. Nerlichium an.* 1607. in quarto: *De Febribus libellus*, exta *cum Pandectis Ioannis Georgij Schencki, Francbofurti apùd Ioannem Rbodium anno* 1607. in duodecimo: *Experimenta*, extant *cum Georgij Hieronymi Velochij Conſiliorum Medicina-*

(1) *Ex rogit. Ioannis Michelini* 5. *Octobris* 1511.

[2] *Leander Albertus in Deſcript. Ital., Reg.* 14.

(3) *Ex Vitis Melch. Adam in Vita Petri Foreſti. Aliidoſius in Doctor. Bono n. tom.* 1. *pag.* 13.

lium

lium Centurijs, *Vlmæ apùd Kuenium anno* 1676. in quarto.

FRANCISCVS GADDIVS ob raram medendi artem, quam à Balthaſſarre patre viro præſtantiſſimo ſuſcepit, Archiater Pauli III. dictus eſt. Hunc, & in minori fortunà, & in maximà pontificatus, quantùm humana remedia pollent, à mala affectione corporis protexit; quæ neceſſitudo ergà Farneſiam Gentem, eius familiam Dynaſtiæ ornamento amplificauit.

FABRITIVS PADVANIVS in re philoſophica, & medica mentis acumen, praximque palàm comprobauit doctiſſimis libris, vel editis, vel etiàm non vulgatis (1). Hi ſunt *Catena Temporis*: *Tractatus de Morbis*, *in quibus præſentaneis vti conueniat remedijs*, editus eſt *cum Brunonis Seidelij libro de Morbis incurabilibus*, *Lugduni Batauorum apùd Petrum Nackium an.* 1662. in octauo: *Tractatus duo*, *alter de Ventis*, *alter de Terremotu*, *Bononiæ apùd Ioannem Baptiſtam Bellagambam anno* 1601. in folio.

FANCISCVS PADVANIVS non prælo notus, ſed experientià remediorum celebris, qua in ſanandis languoribus Europæ Principum, mira fęlicitate vſus eſt. Intèr eos Summi Pontifices, Rodulphus Cęſar, & Tranſyluaniæ Princeps memorantur, qui Virum raris dotibus prudentiæ, pulchritudinis, & liberalitatis decoratum magno loco honoris habuerunt. Eius imaginem excudit Ægidius Sadelerius. Scripſit *Tractatum de Numeris*, in pluteis latentem.

(1) *Lipenius in Hiſt. Strenarum Ciuil. cap.* 3. *n.* 4. *Maſerius de Legatis*, *& Nunc lib.* 1. *cap.* 74. *pag.* 423.

BLASIVS BERNARDVS publica Medicinæ tyrocinia in Gymnaſijs Cęſenæ, Ferrariæ, & Bononię expoſuit, quæ tantam illi famam ſapientiæ pepererunt, vt amplis ſtipendijs accerſiri apud Coſmum II. in Tuſcia regnantem promeruerit. Fuit ei non ſolùm charus ob artis Medicæ præſtantiam, ſed ob omnigenam eruditionem, qua vltrà hominum fidem excellebat. Demùm Florentiæ à vita migrauit, dum eſſet Archiater Ducalis Domus an. 1612., religione animi ſupremis tabulis ſuis confirmatà. Hac, prætèr alia, inſigne legatum quindecim mille ſcutorum ſcripſit Societati Charitatis Foroliuij [1]. Labores autèm eius calami deſiderantur, exceptis duobus Comentarijs *De memoria naturali, & artificioſa*: *In Quintilians 2. caput ex lib. 21. de Orat. Inſtitut.* Ferrariæ lucubratis ſub an. 1582.

HIERONYMVS PERLINVS in Almà Vrbe egregiè docuit, & egregiùs ſcripſit (2), quemadmodùm teſtantur *Hiſtoriæ Medicæ duæ: De Morte causà grauiditatis*: *De Alexiterijs, & Alexipharmacis, Romæ anno* 1610. *apùd Guillelmum Facciottum*. Hæc Opuſcula in vnum congeſta rursùs prodierunt *Hannouiæ apùd hæredes Aubrij an.* 1613. in quarto. Extant quoque *Declamatio aduersùs morborum contagionem, ſeu Præludium in Auctoris tres de Contagionibus libros*: *Itèm Prælectiones vrbanæ habitę in Academia, & Cętu Medicorum, Romæ apùd Facciottam anno* 1610.

(1) *Ex rogit. Franciſci de Salicis* Not. *Florent.* 4. *Nouembris* 1612.

(2) *Ioan. Baptiſta Morgagnus in Dedicatoria Aduerſarior.* 6.

IO-

IOAN. BAPTISTA MORGAGNVS philoſophicæ rei, anatomicęque ſcientiâ facilè noſtri æui princeps. Is adhùc annum agens vigeſimum quartum Aduerſaria prima tanto plauſu doctorum edidit, vt cognitione arcanæ facultatis maturus antè ætatem videretur. Quarè ad primariam Anatomes Cathedram Patauini Gymnaſij à Venetis euocatus, honoribus, & præmijs liberalitèr auctus, magnam profundæ doctrinæ exiſtimationem etiàm apùd remotas Academias comparauit. Romæ etiàm Patricio Ordini cum poſteris ſuis, Venetijs Collegio Medicorum, & Lugduni intèr Batauos Regiæ Societati Anglicanæ dedit nomen, quod clarum documentis, & ſempiternum typis fecit (1). Extant *Aduerſaria Anatomica, Prima Bononiæ anno* 1706. *typis Ferdinandi Piſarri, Lugduni Batauorum apùd Conradum Vueſhaff. anno* 1714., *& Patauij apùd Ioſephum Cominum anno* 1719.: *Altera, & Tertia anno* 1717.: *Quarta, Quinta, & Sexta anno* 1719. *ex Typographia Comini* in quarto, quæ iterùm Opera nupèr edidit *Ioannes Arnoldus Langerat Lugduni*, vt ſuprà: *Noua Inſtitutionum Medicarum Idea Patauij anno* 1712. *apùd Ioſephum Coronam* in quarto: *Epiſtola de Lumbricis*, extat, *cum Conſidera-*

(1) *Philip. Verheyen. in libr. Anatom. Corp. human. tract.* 2. *cap.* 24. - *Ioan. Iacobus Mangetus in Theat. Anatom. tom.* 2. *pag.* 196. *&c.* - *Fridericus Ruyſchius in Theſau. Anatom.* X. *pag.* 48. - *Laurentius Neiſterus in Dedic. Compend. Anatom.* - *Ioan. Maria Lanciſius in Diſſert. de Vena ſine pari pag.* 84. - *Antonius Valliſnerius in Conſiderat. pag.* 72. *&c.*

tionibus Valliſnerij, Patauij in Seminario an. 1710., & cum Operibus Lanciſij, Geneu. an. 1718. apud Perachon.: Epiſtola de Anatomicis Euſtachij tabulis, extat cum Tabulis Lanciſij, Romæ an. 1714. apud Franciſcum Gonzagam, & Geneuæ cum Theatro Anatomico Mangeti anno 1717. apud Cramer.: De Vita Dominici Guillelmini Commentariolum, extat cum Centuria quarta Ephimeridis Academiæ Norimbergenſis anno 1715. apud Vuolphangum Michelem, & Geneuæ cum operibus Guillelmini anno 1719. apud Cramer.: Obſeruationes Anatomico Medicæ, extant cum Centuria quinta Academiæ Norimbergen. an. 1717. apud Michelem.: Epiſtola de Veneni genere, quo Cleopatra extincta eſt, extat cum Appendice ad Metallothecam Vaticanam anno 1719. typis Ioannis Mariæ Saluioni: Epiſtolæ in Aur. Cornelium Celſum, & Q. Serenum Samonicum anno 1721., Patauij apud Cominum.

DE ORATORIBVS, ET HISTORICIS

CAP. IV.

BLONDVS FLAVIVS.

BLONDVS FLAVIVS Antonij filius ortus eſt an. 1385. ab inclytà Raualdinorum ſtirpe, quæ originem, & cognomentum à Raualdino Caſtro olim ſuæ ditionis traxit [1]. Illi enim poſtremò imperitauit Bonifa-

[1] *Andreas Bernardus in Chron. Forol. M.S. p. 234.*

cius

cius Comitis Lamberti filius anno 1158., qui cęleſtia, non humana reſpiciens, haùd ſolùm priſcam Maiorum ſedem, ſed domus, & prædia, quibus in Ciuitate, & Agro Foroliuij potiebatur, in ſempiternum pietatis ſuæ teſtimonium, Anſelmo Archiepiſcopo, & Raueñati Eccleſiæ dono dedit. Hoc licèt dominio carentes poſteri, ex alio traduce familiæ promanantes, varijs honoribus inclaruerunt, & cum ipſis Ordelaphis affinitatem pepigerunt: nàm Emma Raualdina Raynerio nata, Philippo nupſit. Verùm omnem maiorum gloriam Blondus Flauius ſuperauit, non rebus belli geſtis, vt Blaſino, & Galeottus, ſed literarum ſcientià, qui nouum agnomen à Blondo Auo ſumptum filijs, ac Nepotibus reliquit. Tradiderat natura adoleſcenti peracre ingenium, & nobiliſſimam indolem à ſtrepitu armorum abhorrentem: quapropt̀er eam ſecuturus, Ioanni Baliſtario Cremonenſi acceſſit [1], vt oratoriæ artis præceptis imbueretur, & ſi fas eſſet peculiari ſtudio vigentem tùnc barbariem reſtitueret. Rudimentis artificioſæ eloquentiæ auditis, in Inſubriam profectus eſt publicarum rerum causà, vbi reperto Ciceronis opere, Brutum videlicèt de Claris Oratoribus, quod à typis deindè prodijt, magna ſedulitate exſcripſit, nè Magiſtri latinæ eloquentiæ labor imortalitate dignus, interiret. Dum Mediolani moram duceret vidit, & allocutus eſt Fratrem Ioannem à Capiſtrano, intèr Diuos poſterioribus ſęculis adſcriptum, quem Virum religioſiſſimum, ac certè ſanctum vocat (2). Vix initis

[1] *Blond. Flau. in Ital. Illuſtrat. Reg. 7.*

(2) *Blondus Flauius in Ital. Illuſtrat. Reg. 5.*

virili-

virilitatis annis, cum inteſtinis diſſidijs, & motibus armorum premeretur, qui Patriæ requiem ſubuertebant, priuatæ pacis cupidus, colendis ſtudijs inprimis opportunæ, Venetias ſe recepit. Ibi ociùs potuit ſe in arctam Patricij Ordinis neceſſitudinem inſinuare, cum alij prudentiam, alij integritatem, alij literaturam mirarentur. Eum propterea Franciſcus Fuſcarus Senatus Princeps, communibus ſuffragijs Venetà Ciuitate donauit, intèr Reipublicę Adminiſtros retulit, & creſcentibus in dies meritis, pingi in Aula magni Conſilij à celebri penniciłlo Ioannis Bellini iuſſit. Dum ideò Flauius Veneti Regiminis fęlicitatem toto animi niſu procuraret, ab Eugenio IV., qui ſpectatiſſimi Viri conſilium, fidem, & doctrinam in minori fortunà longo vſu cognouerat, Cancellarius, & à Secretis dictus eſt. Hoc pondus intèr varias difficilis tempeſtatis vices mirà ſtrenuitate ſuſtinuit, omnium belli, & pacis, rerum compos: Nec licèt diſiunctus corpore, vnquàm animo abfuit, quìn amatiſſimæ Reipublicæ ſe memorem, & ſtudioſum verbis, & geſtis comprobaret. Graues etiam Legationes geſſit, præſertim Venetam, & Florentinam, cum Nicolao Haſteo Epiſcopo Recinetenſi, Collegà muneris, ac negociorum, in quibus illa Dominia ad Pontificium fędus, ac amicitiam in Philippum Mariam Ducem Mediolani illexit. Nunquàm abuti præclaro gradu voluit, quo congerére ingentes opes potuiſſet; ſed mediocri ſorte contentus, veteris frugalitatis laudem, ſordidæ auaritiæ illecebris præponens, ab illicitis quæſtibus ſempèr inſigni abſtinentià temperauit. Multa ab Antonio Ordelapho perpeſſus eſt, qui cum per Legatos Petrum Panſeccum, & Petrum

Baldra-

Baldracanum nobiles Iuriſconſultos, ad Eugenium miſſos, impetrare Vicariam Temporalis Imperij poteſtatem nequiuiſſet, & hoc ipſe referret Flauij obtrectationibus, ac ſimultati, non diutiùs comprimere furorem potuit. Quippè vbi vidit Paulam Blondi Vxorem cum liberis ſuis, quos velùt obſides paternæ fidelitatis Foroliuij detinebat, Amicorum operà clàm euaſiſſe, Iacobum Michelinum eius genitorem in Arce claudi, & ad ſeueriora pœnarum genera progreſſus, ſtabilia bona publicari, ac copioſam ſupellectilem in Prætorium deuehi mandauit [1]. Hanc Patriæ iacturam ægriùs tulit quàm bonorum optimus Ciuis, vt ipſe ait in Roma inſtaurata *Hinc magis angimur animo, quod omnium Flaminiæ Vrbium ſpecioſiſſima Forumliuij nos genuit, aluitque, & fortè nunc ab eadem in Vrbe Roma, ſub Citatorum monte Flaminiam incolemus viam* (2). Tandèm ſedatis procellis belli, intèr alias conditiones pacis cautum eſt, vt Flauio, quidquid ereptum fuerat reſtitueretur, & inprimìs Antonij gratia. Eugenio Blondus inſeruiuit vſque ad pontificatus exitum; ſubrogatis deindè Nicolao V., Calliſto III., & Pio II., pari conſtantià, virtute, ac fide, graue munus obiuit. Omne autèm tempus reliquum à curis adminiſtrationis, & tantarum rerum, amœnis ſtudijs, præſertìm Antiquitatis tribuit. His idcircò nactus eſt montium, fluminum, & locorum vocabula intèr alluuiones Barbarorum amiſſa, & facilem ad Hiſtorias aditum poſteritati reſerauit, vt

(1) *Ioan. Dipintor. in Chron. Forol. M. S. ad An.* 1434.

(2) *Blondus Flau. in Roma Inſtaurata lib.* 3. recen-

recentior ætas, non ſolùm ea monumenta in tenebris ſepulta, ſed puritatem latinæ linguæ, ſe ab eius ingenio, ac diligentia accepiſſe fateatur. Pius ipſe Pontifex tantà illum exiſtimatione dignatus eſt, vt Decades ab inclinato Imperio propria manu exſcribere, & commentari voluerit; quo certè nihil glorioſiùs accidere eius nomini, ac famæ potuiſſet. Verùm Flauius iàm ſenio, & laboribus confectus, ſe in poſtremo vitæ diſcrimine conſtitutum noſcens, Sacramentis Eccleſiæ, & Pontificijs expiationibus munitus, requieuit, Pridie Nonas Iunij anno 1663. ætatis quinto ſuprà ſeptuageſimum [1]. Elatus eſt honeſtiſſimo funere, cui in circuitum feretri, Aulæ Pontificalis familiares aſtiterunt, & extrà valuas Aracęlani Templi iacet ſub hac Inſcriptione.

BLONDO FLAVIO FOROLIVIENSI -- HISTORICO CELEBRI, MVLTORVM -- PONT. ROMANOR. SECRETARIO -- FIDELISSIMO. BLONDI QVINQVE FILIJ PATRI -- BENEMERENTI VNANIMES POSVERE. -- VIXIT ANN. LXXV. -- OBIJT PRID. NON. IVNIJ -- ANNO SALVTIS CHRISTI MCCCCLXIII -- PIO PONT. MAX. SIBI, NATISQVE FAVENTE. -- FVI NON SVM; ESTIS NON ERITIS; NEMO IMMORTALIS. -- MORIENS VT VIVERET, VIXIT VT MORITVRVS.

(1) *Bergomenſis in Supplem. Chron. lib. 6. - Albertus in Deſcrip. Ital. Reg. 14. - Paulus Iouius in Elogijs - Voſſius de Hiſt. Latin. - Ignat. de Graueſon. tom. 6. pag. 368. - Ephemerid. Liter. Ital., Venet. editę tom. 12. Artic. 2.*

Hoc

Hoc epitaphium in lapide inciſum eſt ; in poſtremis autèm paginis ſuorum Operum excuſum ſequens *Campani* elogium legitur

Hic ſitus eſt Blondus , Priami cui forma , Catonis
Vita , Titi Liuij fama , decuſque fuit .
Coniuncta eſt ſancto coniux pia Paula marito,
Feminei ſexus gloria , vt ille virùm .

Ab hac Paula lectiſſimà feminà ſeptem filios genuit, Antonium ſcilicèt, Gaſparem , Hieronymum , Iulianum , & Franciſcum mares omnes literis ornatos : Caſſandram , & Caſtoram verò feminas , quarum altera Scipioni Areoſto Ferrarienſi (1) , altera Nicolao Albiceo Ceſenatenſi , celebris Raynaldi filio , nupſerunt. Alij Blondum genus Romæ , alij Venetijs propagarunt. A Romano deſcendit Bartholomeus Vir eloquentiſſimus Societatis Ieſu , de quo hæc *Sacratus : Dubium non eſt , quìn cum Cicerone equeris, ſi huic orationis generi, temporis nonnihil tribues* (2) . Ceterùm Flauij Opera partìm extant, partìm deſiderantur. *Tractatus de Locutione Romana , ad Leonardum Aretinum , & Hiſtoria Foroliuij* , intèr ſolitas ætatum vices perierunt. Duo eius M.SS. extare memorantur , alterum Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti , alterum Oxonij in Bibliotheca Balliolenſi , *de Coſmographia Italie* . In Oxfordienſi autèm reperitur Opuſculum cui titulus *Blondi Conſultatio an Bellum , an Pax cum Turcis magis expediat Reipublicæ Venete* , quod quidèm fuit vel eo Auctore , vel Michaele Angelo , vno ex poſte-

[1] *Ex Epithalam. Hier. Guarini , extat in M.S. apùd Franc. de Righis Nob. Ceſenat.* [2] *Paulus Sacratus in Epiſt. latin. , volum. 2. lib. 3. & 6.*

ritate Venetijs ſatà elucubratum. In typis ſunt *Italia Illuſtrata, in Regiones XIV.* digeſta, & condita partìm in Monte Scutulo, partìm apùd Blaſianum Vicum Argentani Agri, vbi magnum, & ferax prędium cum voluptatis domo poſſidebat (1): *Decades ab inclinatione Romani Imperij tres, ab anno Chriſti* 412., *vſque ad annum* 1440.: *De Roma Inſtaurata libri tres*: *De Roma triumphante libri decem*: *De Origine, & Geſtis Venetorum*: *Imperatorum Romanorum Vitæ*, editæ Veronæ per Boninum de Boninis an. 1481., Baſileæ apùd Frobenium an. 1559., Romæ, & Venetijs. *Boiſſardus* intèr Blondi labores recenſet *Librum Epiſtolarum ad Diuerſos*; *Librum orationum*, & alia quamplura Opuſcula eruditione referta. Sunt etiàm, qui ſummam laudem affectantes acri celebrium Auctorum cenſurà, & Flauio inurere inculti, nec omninò veracis notam haùd dubitarunt: *Hubertus Giſanius*, *Nàm*, inquit, *præterquàm quod ferè lutulentus fluit, dùm neruorum robori ſtudet, præpinguem nimis, & obeſum ſe reddidit, ademitque nimià corpulentià venuſtatem hiſtoriæ, ſine qua prodeſſe quidèm poteſt, delectari verò minimè*: *Sed hæc ille acuratà narratione, rerumque varietate compenſat*: Et *Floridus Sabinus*, *Nec deſunt*, ait, *qui ab eo veritatis fidem multis in locis requirant*. Si tamen ſęculum in quo Blondus vixit, cultu ſcientiarum, & humanioris literaturæ orbatum, & veterum Hiſtoriarum inſcitia, quæ intèr communes Italiæ calamitates à barbaris relicta fuerat, æquè perpendentur, omnes ingenium, doctrinam, ſedulitatem Blondi prædi-

[1] *Blond. in Ital. Illuſtrat. Reg. 6.*

cabunt.

cabunt. Eo nimirùm alijs lumen exhibente, poſteriorum ætatum homines res medullitùs inueſtigare potuerunt, quæ tùnc in maximà obſcuritate latebant, ac politiori, & luxurianti ſtylo, auidas amenæ orationis aures oblectari. Verùm *Boiſſardus* de Flauio loquens *Homo*, inquit, *multæ eruditionis Romam veniens proptèr inſignem, qua pollebat doctrinam, ſtatìm omnibus innotuit, & vt illo ſeculo ſcientiæ raræ erant, barbariæ occupante omnes ferè Chriſtiani Orbis Academias, quotieſcumque ex illo ignorantiæ barathro emergebat aliquis cognitione bonarum diſciplinarum clarior, ſtatìm excipiebatur cum plauſu, & admiratione omnium. Idem accidit Blondo &c.* (1). Hoc cum verè ità ſit, cunctis liquet inſulſam eſſe cenſuram rudis eloquentiæ, ea in ætate, qua vitioſa locutio infuſcabat latinam linguam, nèc in ſeuerà trutinà ponendos lapſus, ſi fortè in aliquot offenderit intèr caliginem amiſſarum rerum; cum præſertìm nullum opus, licèt in doctiori æuo elaboratum, ſine labe videamus. Iſtorum ideò iudicium reijciendum venit vnanimi hiſtoricorum conſenſione, qui Flauij facundiam, eruditionem, & fidelitatem celebrant, ac reuerentur.

MARCVS ANTONIVS MAMBELLVS.

HOneſtà progenie exortus, ac Nicolai, & Barbaræ Framontiæ nobiliſſimæ Genitricis filius, vſque à vitæ primordijs promptiſſimam ingenij aciem præſetulit, quam in virilitate ca-

[1] *Boiſſardus in Icon.*

lamo probaturus erat. Anno ætatis quarto ſuprà vigeſimum, à partu Virginis 1606. Societati Ieſu adſcriptus eſt. In ea cum bonæ Artes mirum in modum efflorefcant, politioris eloquentiæ facultates toto animi ſtudio conquiſiuit, & tàm felicitèr percepit, vt Sodalium pleroſque in pangendis carminibus, & ſolutà oratione contexendà ſuperauerit. Varijs Regularis Familiæ miniſterijs functus, Superiorum iuſſu in Trinacriam traiecit, & circà annum Salutis 1613. *Opus Obſeruationum ad linguam Italicam* aggreſſus eſt: Hoc tamèn futurum paruæ molis credebatur; ſed exundante paulatìm materie, in non exiguum volumen creuit; quod dum committere typis cogitaret, exinopinato Romam accerſitus, nèc multò poſt in Germaniam ad graues res agendas amandatus, facinus iàm paratum interrupit. Anno tandèm decimo, quo ab Italia exceſſerat, ad eam redux, tranſmittere in Siciliam voluiſſet, vt Alumnorum precibus, & votis indulgeret: verùm cum incommodis tàm longæ viæ, & ingraueſcentis ætatis conditione terreretur, Generalis permiſſu Ferrariæ conquieuit. Ibi autèm euulgauit *Obſeruationes Particularum* titulo *Secundæ Partis, prælo Ioſephi Cinonij anno* 1643., non originario nomine, ſed ementito *Cinonij Academici Philergitæ* inſcriptæ, in quem eruditum Cętum ab ineunte adoleſcentià, multis experimentis literarum datis cooptari meruerat. Quæ tamèn eum cauſa impulerit, vt Secundam proferret in lucem, antè primam Partem, inuerſo ordine, licèt non vna vulgi fuerit opinio, certè incomperta eſt. Conſtat ab Epiſtolis ad Philippum Mambellum miſſis, carmina intèr Siculos elaborata reliquiſſe. Huic nempè

Arti,

Arti, qua recreare animum ſeuerioribus ſtudijs feſſum conſueuerat, non modica temporis interualla tribuebat; & quantæ in ea præſtantiæ eſſet, ex *Idilio Aci* comprobatur. In Bibliotheca Societatis Panormitana *Vindicias Patriæ S. Agathæ*, ſedulò, & eruditè congeſtas collocauit (1), quam velùt Tutelarem, ac Patronam, peculiari cultu, vſquè ad exitum vitæ proſecutus eſt. Dùm verò ineditam priorem Partem, poſteriori iàm impreſſæ copulare, & ad publicam vtilitatem ſimùl edere conſtituiſſet, naturæ debitum in Ferrarienſi Collegio perſoluit nono Calendas Octobris an. 1644. (2). Fuit Vir, in quo temperantia, & integritas morum ad excellentiam eminentis doctrinæ accedebant. Eius mors propterea omnes probos, & doctos incredibili męſtitià cruciauit. Superſtes *Obſeruationum liber* varias iniquæ ſortis vices paſſus eſt; nàm poſtquàm diù intèr manus Auctoris, & ſub oculis Amicorum latuiſſet, eo extincto diuitiùs à rudi, & amatore ſuarum legum Sęculo paruifactus iacuit. Verùm, vt bona noſcantur, licèt corrupto ætatum guſtu, neceſſe eſt. Cum itaque literarum cultus vſquè adeò neglectus ſuſcitari, & inquinamenta Italici ſermonis purgari, & dilui incępiſſent, Obſeruationes in magnam doctorum Hominum exiſtima-

(1) *Ex Serie Impreſſ. Bibliot. Panormit: pag.* 148.

[2] *Philippus Alegarbe in Biblioth. Script. Sociei. Ieſu pag.* 579. - *Daniel. Bartolus in lib. inſcripto il Dritto, e Torto, num.* 101. *in Format. præter. pag.* 178. - *Malateſt. Garuffus in Ital. Academ. pag.* 131. - *Ex Ephimerid. Liter. Venet. tom.* 1. *art.* 4. *pag.* 169.

tionem

tionem deuenerunt. Tunc autèm cuilibet licebat, juxtà animi motionem ſcribere, & arbitrarijs præceptis ſcribentes erudire, vt ferè nihil certè in Italicà linguà inueniretur: qui communis ſenſus Profeſſores noſtratis loquelæ à tyrocinijs Cinonij abalienauit. Demùm cum *Daniel Bartolus* è Societate Ieſu, Vir literatiſſimus, Opus *Formationis Verborum* intèr M. SS. periturum, à temporum iniurijs vindicaſſet, perfectio, & venuſtas Italæ elocutioni data eſt; nàm ſolæ Particulæ carentes Verbis, tanquàm corpus informe, & exanimatum videbantur. Hoc, à viuentibus ſublato Auctore, excuſum eſt ſtudio atque induſtrià Prælati immortalis famæ, Iacobi Giandemariæ Parmenſis, Foroliuij Rectoris, ſub titulo *Primæ Partis*, *apùd Ioſephum Sylvam anno* 1685., *cum Obſeruationibus clariſſimi Equitis*, *doctiſſimique Viri Alexandri de Baldracanis*. Nullum ſanè Opus, quod ſciam, fuit, vbi purior eloquij norma doceatur, cum in eo fusè, & egregiè rudimenta declarentur, quæ à difficillimà materie nemò antè illum præſtantiùs hauſit. Deniquè *Obſeruationes Particularum*, & *Formationis Verborum*, eam quam merebantur, laudem apùd doctos adeptæ ſunt, vt ipſa *Academia Cruſcæ*, quæ Italici ſermonis leges promit, non ſemèl in celebri Vocabulario, Cinonij auctoritate vtatur. Nouiſſimè *Hieronymus Baruffaldus* Ferrarienſis, Vir humaniori literaturà præditus *Tractatum Particularum*, Adnotationibus octoginta adauxit, & edendum curauit *typis Bernardini de Pomatellis an.* 1709. Rursùm eo Impreſſore emerſit *Tractatus Verborum*, *cum Adnotationibus Baldracani an.* 1711., quà iteratà editione liquet Ci-

nonij

monij labores eruditis cęcutientibus deſpectos, illis tandèm illuſtratis in ſummam omnium opinionem deueniſſe, vt ad eorum auiditatem adimplendam iterùm excudi oportuerint.

INtèr eos, qui Hiſtorias, temporum, & geſtarum rerum teſtes, doctiùs exararunt, & ſolutæ orationis arte, & ornatiſſimà dicendi copià præſtiterunt

SEXTVS RVFFVS claro, ſed preſſo lucubrationis genere nobiliſſima facta Romanorum ſcripſit, & in Epitomen redacta, ad poſteros mandauit, glorioſo nomini ſacrata tunc imperantis Valentiniani I. De Patria tamen ſua nonnihil dubitatur: verùm à veſtigijs, quæ apùd nos reſtant vetuſtatis, haud temerè Foroliuienſis iudicatur. Hìc enim obijſſe dies perſpicuum eſt, ac non pauca Ruffæ Gentis monumenta ſupereſſe. [1].

XANTVS VIRIATVS, niſi Patrià, quod non omninò conſtat, ſàltèm domicilio Foroliuianus. Sub clientelà Numaiæ Gentis vixit, ab ea magnis beneficijs ſummà liberalitate affectus. Foroliuij oratorià, & poeſi multos tyrones erudiuit; ſed non multa ſuperſunt eius ſcientiæ experimenta. In veteri M. S. legitur *Exercitatio de iniqua ſeruitute, ad Luſſum Numaium*: Ad eundem *Conſolatio in obitu Guillelmi Patris*: de cuius altis virtutibus, Familiæ ſplendore, & felicitate ſatis luculentam orationem

(1) *Fanuſius Campanus de Famil. Illuſtr. Ital. cap.* 18. *pag.* 34.

tionem habet: *Gratulatio Pino Ordelapho, Vrbis Liuiæ Regi inclyto*, vbi eius ſtrenuitatem propè incredibilem, iàm per Italiam latè perſpectam ornatiſſimis elogijs celebrat, & tradit eum poſt Imperatorem præcipuas partes bello Brutio tenuiſſe, & primo etiam conflictu cum acerrimis hoſtibus ſummà audacià dimicaſſe. His Oratorijs exercitationibus accedunt *Elegiaci verſus*, ſublimi admodùm ſtylo modulati, quorum alijs Xantus Foroliuium Mariæ Virgini commendat, alijs primordia felicis, ac glorioſæ militiæ Pino gratulatur (1)

ANTONIVS VRCIVS, Codrus vocitatus in lucem Herberiæ venit; ſed Foroliuium, qua Ciuitate donatus fuit, velùt Patriam agnouit. Ibi plures annos palàm docuit tanto ſtipendio, quanto antè eum fortaſſe nullus, & honeſtiſſimos, ac ingenioſiſſimos tyrones fecit; in quibus Eugenium Menghum, Iuuenem non modò moratum, ſed literis egregiè imbutum. In Epiſtola ad ipſum data hæc leguntur: *Contigit mihi, & illud in eadem Patrià tuà, quod non ſine animi dolore verbis conſequi poſſum, & tamèn in aduerſis mihi lętandum magnoperè eſt, quod principalis præceptor fui in ea illuſtri, & antiqua domo, quæ liberalitate, & magnanimitate ſua multas ætates in Patrià tuà principatum poſſidet, & eius adoleſcentis præceptor fui, cui neſcio quis ingenio, humanitate, acrimonià, vultu, facie, liberalitate, noſtra ætate conferri poſſit. Hunc terris inuida fata ſuſtulerunt, vt toti Italiæ notum eſt, cuius dulcem memoriam in pectore habeo, & vt*

[1] *Extant Xanti Lucub. apùd Petrum Cannetum Ordin. Camaldul. Monachum, & nunc Abbat. Monaſt. S. Saluatoris Foroliuij.*

ſuprà

ſuprà dixi in rebus lętis hoc pono, quod tanti Adoleſcentis fuerim ab prudentiſſimo Principe Pino Ordelapho de multis electus præceptor. Ex Patriâ demùm mea, ſeù noſtra [nàm pro Foroliuienſi potiùs appellor, & cognoſcor, quam pro Herbertenſi] tandèm Bononiam me recepi, vbì & optimorum virorum ſuffragio, & literulis meis ad lectionem Grammatices, & Rethorices publicè conductus fui. Eius Opera accuratè Bononiæ impreſſa per Ioan. Antonium Platonidem an. 1502. conſtant ex *Sermonibus latinis* quindecim, *Epiſtolis* decem, *Syluarum libris* duobus, vno *Epigramatum*, alijſque, in quibus omnis generis carmina cernuntur, poeticæ artis, & dignitatis plena, vt non ità facilè innoteſcat an illi locus inter Oratores, vel Poetas potiùs debeatur (1).

PALMERIVS AVREOLVS omnem ætatem egit in literis, & eruditione, quam etiam per remotiſſimas Orbis Terrarum Regiones ſcrutatus eſt; nàm maria traijciens Græciam, Syriam, Arabiam, & ignotas Aſiæ Prouincias peragrauit, vt populorum mores inſpiceret, & varietatem idiomatum audiret. Scripſit doctiſſimum Opus *De Incarnato Deo, in Hæbreos*, quo illorum perfidiam acerbè corripuit, & errores certis argumentis confutauit.

IOANNES FRANCISCVS BERTVS ex Aureola Familia, geminum trahente Cognomen, & à loco originis, & à Progenitore. Is in artibus, quę ad humanitatem pertinent magnoperè verſatus eſt, & in Academiâ Romanâ latinas, & Græcas diſci-

(1) *Ex Ephemerid. Literator. Ital. tom.* 13. *artic.* 10. *pag.* 303.

plinas coluit. Illà autèm die, qua in Gymnaſium deſcendit, lauream coronam accepturus, ſibi cognomentum Codri impoſuit, vt eo ſe contemptorem opum, & ſolius ſapientiæ æſtimatorem declararet. Diù vacauit ſtudijs eloquentiæ ſub Pomponio Lęto, viro diſertiſſimo, & facilè ſuæ tempeſtatis principe; deindè acceſſit ad celebres patronos, ac Mæcenatès literarum, Pandulphum Malateſtam Arimini, & Ioannem Gonzagam Mantuæ Regulos, qui eum in numerum chariorum aſſeclarum retulerunt. Ab altero bis Orator in Gallias ad Chriſtianiſſimum Regem miſſus eſt, & ſæpè in Germaniam ad Maximilianum Cęſarem; apùd quem reliquit magnam prudentiæ, & eruditionis famam, ac ſecum gradus Equitis, Comitiſque cum Auguſtali gratià reportauit. In Italiam reuerſus Aulam Sfortianam introiuit, à Maximiliano Mediolani Duce honoribus arctæ familiaritatis, & ſupremi Conſiliarij decoratus; Verùm cum Aularum ſtrepitus odiſſet, vbi aùt modicum, aùt nullum liberalibus ſtudijs reliquum tempus eſt, Rauennam migrare conſtituit, cum ex Rauennati, & clariſſimæ ſtirpis matre Valeria Spreta prodijſſet, vt Rethorica facultate nobiles adoleſcentes erudiret. Ibi dùm Tulliana penè eloquentià frequenti Auditorio rudimenta vtriuſque linguæ daret, anginà correptus, antè ſenium occubuit, anno ætatis quadrageſimò octauo, Salutis 1516. Ab Antonio Monuetulo prò funere laudatus eſt; eiuſque miram eloquentiam Orationes, licèt perpaucæ, ſuperſtites teſtantur (1).

[1] *Hieron. Rubeus in Hiſtor. Rauen. lib. 9. pag. 684.*

HIERO-

HIERONYMVS MASERIVS facundus Rhetor, Philoſophus perſpicax, nèc Aſtronomicæ ſcientiæ ignarus. His facultatibus inceſſantèr ſtuduit, ſed magis oratoriæ, quam Venetijs ingenti plauſu profeſſus eſt [1]. Ibi antè Aldum Manutium, & alios latinæ linguæ reſtitutores caſtigatiora edidit *Marci Tullij Ciceronis Opera*, *Partitiones Oratorias*: *Oratorem ad Brutum*: *& Topicam*, *Typis Ioannis Baptiſtæ Seſſæ an.* 1505. in octauo. Cum autèm perſpecta eſſet eius fides, potentia ſermonis, & in agendis rebus dexteritas Patritio Ordini, ad Regem Hungariæ legatus eſt; quod munus rarò alienigenis conferri ſolitum, illi peperit incrementum dignitatis.

DE POETIS

CAP. V.

GNEVS CORNELIVS GALLVS.

Vitam eo anno ingreſſus eſt GNEVS CORNELIVS GALLVS, quo doctiſſimus Terentius Varro exceſſit (2), non ex obſcurà ſtirpe, vt nonnulli crediderunt, Aſinij Pollionis filius, ſed ex celebri, clariſſimaque per Orbem

(1) *Leander Albertus in Deſcrip. Ital. Reg.* 14. *ad verbum Forol. - Malateſt. Garuffus in Ital. Academ.*

(2) *Petrus Crinitus in Vita Gnei Cornel. Galli.*

terarum, & in Romana Republica Corneliorum Gente, in primordijs Fori à Liuio Salinatore hùc inuecta, vt lapidum rudera, ac veſtigia teſtantur. Ei prodiga natura fuit in tribuendis animi, corporiſque dotibus, quippe nec oris formà, nec dignitate aſpectus, nec robuſtà membrorum compage vlli ceſſit; Ingenio autèm tàm acri, corde tàm ſtrenuo, & inuicto extitit, vt neque belli, neque tandèm literarum rebus alteri poſtponendus videretur. Prima eius ſtudia Oratoriæ, & Poeſeos fuerunt, quę Romæ pro roſtris magnà vi eloquentiæ declamans, & in doctorum cętu ſublimi carminum concentu modulans, ſatìs comprobauit. His Populo Romano innotuit, & deindè Octauiano Cęſari Literatorum amantiſſimo, apùd quem ſummum gratiæ faſtigium occupauit, vt potiùs amici locò, quàm clientis haberetur. Ità Gn. Cornelius fauore Cęſaris elatus, cum ingentia ſpectaret, & ad ea toto animi ſtudio contenderet, vetus Patriæ infortunium à Syllanis euerſæ reparare cogitauit. Quamobrèm felicitate ſortis fretus, Auguſti conſpectum adijt, & Liuiæ Druſillæ eius coniugis ſubſidio, quæ ex ſobole Conditoris Fori ortum trahere, & claritatem natalium fatebatur, Ciuium ſuorum ærumnis præſentaneum remedium rogaturus: Nec ſanè potuit primi precibus, & alteriùs impulſibus repugnare Cęſar, ſed vtrique indulgens ſanciuit ſtatìm, vt quæ circà erant, caſtra Liuiæ, Merloniæ, & Caſtelli, ab imis ſedibus deleta, Foro cum incolis ſuis iungerentur (1).

(1) *Leander Albertus in Deſcrip. Ital. Reg.* 14. - *Franciſcus Scottus in Itinerar. part.* 1. *pag.* 259. - *Alexand. Paduan. in Chron. Forol. M.S. pag.* 2.

Id nego-

Id negotij Clodio Prætori creditum eſt, qui ædificijs illorum ſolo æquatis, cæmentiſque, ac lateribus apùd Forum vectis, nouas Domos eleganti viarum ordine excitauit intèr fluminis ripas, bicipiti ad orientem, & occidentem ſolem alueo profluentis. Delegit Gallus amęnum trans amnem ſitum, vbi diuitias profunderet, Octauiani gratia, & largitate cumulatas, ac inaudita propemodùm magnificentià erexit ędem, quæ illius ætatis, & ſubſequentium portentum eſſet. Erat ſiquidèm ſinus tàm grandis, tàm pulchræ, vaſtæque molis, & tot ornamentis inſignita, vt non optimatis, ſed regis domicilium videretur. Per mediam Turrim patebat aditus, celſitudine ſua maieſtatem proſpectus adaugentem, à cuius faſtigio non modò ſuppoſitus ager, verùm etiàm Adriacum pelagus conſpicillo cernebantur. Ingredienti occurrebat Atrium columnis marmoreis ſuffultum, & Imagines Virorum illuſtrium in circuitum xyſti collocatæ, & à præſtantium artificum ſcalpris inciſæ, mortalium greſſus, & oculos remorabantur. At longè maiora in aulis, & cubiculis artis prodigia latebant: teſtudines, & laquearia inauratis tignis, & opere anaglyphico elaboratis, Cęſarum, & Heroum Romanorum effigies, pugnæ, ac triumphi raro artificio inſculpti, & parietibus compacti, adeò curioſæ inueſtigationi, ac voluptati gratum, & diuturnum argumentum exhibebant, vt nèc oculus iucundiori ſpectaculo allici, nèc mens excogitare ſplendidiorem ædem poſſent. Fama magnifici ædificij extremos Italiæ fines præterlapſa eſt; vndè plerique magnates confluxerunt, vt mirarentur ſtructuram domus tanta luxurie conſurgentis & eorum

rum peritiam, qui vel in ære, vel marmore Icones expreſſerant, & pretioſos lapides à remotis fodinis terrarum Orbis, regijs planè expenſis acceſſitos (1). Quas autèm Gn. Cornelius laudes, & excellentià literarum, & animi liberalitate retulerat, non parum imminuit fœminarum amoribus. Intèr alias deperijt Cytheridem P. Volumnij libertam, cęteras eius ætatis, & pulchritudine, & illècebris ſuperantem. At leuis admodùm, & inconſtans mulier, eius conſortij pertæſa, & aſpernata fidem, M. Antonium in Gallias pergentem ſecuta eſt. Iàm graue vulnus amantis cor transfodit, qui propterea in altiſſimum męrorem concidit, cum modò venereis ſtimulis agitaretur, modò contumelià infidæ pellicis fureret. Eum Virgilius, à quo vnicè amatus eſt, his carminibus ſolatur:

Extremum hunc Aretuſa mihi concede laborem:
Pauca meo Gallo, ſed quæ legat ipſa Lycoris,
Carmina ſunt dicenda, neget quis carmina Gallo?

(2) Cum tandèm ſui compos factus, amoris, & odij incitamenta repuliſſet, bello vacare propoſuit, & gloriam, qui in nimiam libidinem effuſus nonnihil offecerat, arma fortitèr tractans aduersùs hoſtes Populi Romani, reparare. His ſatis, ſupèrque inſtructus, in M. Antonium Ægyptum occupantem progreſſus eſt, vbi alacriùs certaret, cum ex alterà parte Octauiani beneficia, ex altera præclaræ vltionis occaſio obuerſaretur. Paratà, atquè ornatà claſſe, & in æquor eductà, ad littora inimicorum fauentibus ventis appulit, in quibus expoſità copiarum

(1) *Ex Chron. Forol. M.S. Eugenij Menghij p.* 15.
[2] *Virgilius Maro in Ecloga X.*

fronte,

fronte, eius ductui ab Octauiano concreditâ, primò quatuor legiones Cyrenem, & Zeugitanam Regionem protegentes circumuenit: mox ad alia feſtinans Paretonium in Lybia ad deditionem compulit: tertiò hoſtes ad Actium collatis ſignis felici marte vſus profligauit; & nouiſſimè apùd Pharum, antequàm animos, & vires colligerent deleuit [1]. Ibi cornua exercitus coniunxit, & Auguſti phalanges incremento ſuarum validiores fecit, quibus omninò proſtratus M. Antonius, de victoriâ, ſalute, & vitâ deſperaret. Is ferè metu exanimatus in Alexandriam præceps ſe recepit, quod vnum ſupereſſe perfugium ærumnis ſuis videbatur: ſed cum fortunâ, & armis Populi Romani obſęptus nullam fugæ viam, & incolumitati comperiret, deſperationi ceſſit. Cum hac ęgritudine animi confligens, nè infortunia huiuſmodi delectabile ſpectaculum Auguſto fierent, gladium arripuit, & ſibi conſciuit mortem. Cleopatra Ægypti Regina exemplum viri ſequi voluiſſet; ſed cum fęminei ſexus imbecillitate teneretur, minùs formidoloſum necis genus amplexata, veneni potione vſa eſt [2]. His extinctis amplum, floridiſſimumque Regnum in obſequium Auguſti venit, qui Galli virtutem Ægyptiaco bello comprobatam debitis præmijs affecturus, eum vel Proconſulis, vel Prætoris dignitate ad vniuerſæ Regionis moderamen euexit. Gn. Cornelius Regno in Prouinciæ formam redacto, cum clementèr audientes mandata, & aſperè, detrectantes Romanum Imperium acciperet, pęnam æquo rigidiorem

[1] *Eutropius libro 7.*
[2] *L. Florus in Epit. lib. 133.*

exercuit;

exercuit ; vt enim terrorem incuteret reliquis, & nutantes in fide confirmaret, Thebas à fundamentis euertit. Hæc erat Vrbs prægrandis, & teſte *Tacito*, ſeptingenta, & ampliùs millia incolarum recenſebat (1). Humi exęquatis ædibus, ac monumentis, quæ eam clariſſimam, & celębrem reddebant, ſimulacra, & conchas marmoreas in Italiam tranſtulit, in quibus illæ pyramides ponuntur, quæ Romæ in Plateis Lateranenſi, Vaticana, & S. Mariæ Populi conſurgunt. Verùm cum ſors inſtabilis, & fugax, ſæpè ab excelſo in imum homines contrudat, nèc ſemèl inuidia fęlicitati inſidietur, Gallus ab ęmulis apùd Auguſtum criminatus, quod inexplebili rapacitate, vt opibus Thebanis ditaretur, tantam Vrbem deleuiſſet, & omnem Ægyptiacam nationem à Romanorum cultu abalienaſſet, ab Octauiani amore ruit in odium ſempiternum. Sunt tamèn, qui ſecùs ſentiunt, eum videlicèt in paratiſſimo, & opiparè inſtructo conuiuio temulentià calentem, in Octauianum conceptæ defectionis conſilia palàm feciſſe, vt innuere videtur *Ouidius* dùm concinit *Non fuit opprobrio celebraſſe Lycorida Gallo: Sed linguam nimio non tenuiſſe mero* [2]: Cęterùm vtra fuerit eius calamitatis origo, in cuſtodiam poſitus, in quęſtionem vocatus, & Senatui damnandus datus eſt. Quod cum Vir inuictus, & ſapiens iniquè ferret, & priſtinæ conditionis, & dignitatis meminiſſet, nè turpi, & indecorà morte afficeretur, pectus mucrone traijciens, generoſo, & laudando apùd ethnicos contemptu

[1] *Tacitus libro 2.*
(2) *Ouidius Naſo de Triſtibus lib. 2.*

vitæ,

vitæ, ſe ſe interemit, anno ætatis ſuæ quadrageſimo tertio. Euphocionem à græca lingua in latinam tranſtulit, & quemadmodùm *Ludouicus Viues* ait, *Feliciter e græco latinum fecit, magis argumentum, & figuram translationis ſecutus, quàm verba, vt tàm ſuum fecerit, quàm Virgilius Æneida, ac Bucolica, in quibus Theocritum, & Homerum æmulatus eſt* [1]. Scripſit *Elegiarum libros* quatuor de Cytherido, quibus amatoriam artem docuit, & varios amantium affectus excitauit; vt tradit *Ouidius*: *Quis potuit lecto durus diſcedere Gallo?* [2] Vnus dumtaxat libellus extat, Amſtelodami, & Venetijs editus, qui tamen ſpurius iudicatur, nèc eum Auctorem, ſed Maximianum quemdam habuiſſe. Gn. Cornelius celebribus, doctiſſimiſque ſuæ tempeſtatis viris vſus eſt familiariſſimè. In primis Q. Cęcilio Grammatico, cuius neceſſitudo ei tantùm nocuit, vt intèr grauiora crimina ab inimicis ſuis poneretur [3]. Fuit et Maroni coniunctiſſimus, conſpiratione animi, & ſimili ſtudiorum cultu, qui illum non ſolùm laudauit, ſed etiàm diuini Vatis titulo dignatus eſt: *Nec te pęniteat pecoris, diuine poeta* (4). Iſte poſtremum Georgicorum librum in Galli præconia effuſus lucubrauerat; ſed iuſſu Auguſti, & partium ſimultate, in Ariſtæi commentum immutauit. Tibullum quoquè, & Propertium plurimà conſuetudine, & amicitià nouit, quibus niſi carminum ſuauitate excelluit, ſaltèm exqui-

[1] *Ludouicus Viues ad Eclogam Virgilianam VI.*
[2] *Ouidius de Remedio Amoris lib. 2.*
[3] *Suetonius de Illuſtr. Grammaticis num. 19.*
(4) *Virgilius in Ecloga VI., & X.*

Ff ſità

ſità Grȩcorum imitatione, ſententiarum pondere, & gratà verborum copià præſtitit. Hi Gn. Cornelij euentus, in quibus ſi vitæ felicitas cum exitus infortunio comparatur, quot vices humanam modò efferant, modò premant ſortem, ex rerum inconſtantià intelligetur. Reliquum eſt iura, quæ de tanti Vatis Patria in dubium reuocantur, trutinare. *Flauius Blondus* in Italia Illuſtrata, *Videmus*, inquit, *Euſebium de Temporibus dicere Gallum Poetam, cuius ſȩpè Virgilius, & Horatius meminerunt fuiſſe Foroliuienſem* (1): At contrà eum inſurgit *Lilius Gregorius Gyraldus in Hiſtoria Poetarum*, vbi sic habetur *Gn. Cornelius Gallus, vt Euſebius ait Foroiulienſis, quamuis amore, vt puto, Patriæ Blondus Foroliuienſem facit* [2]. Verùm Gyraldus à veritate oberrat, quæ facilè ſe per ſe ipſam defendit, nam non vt ille credit Flauius primus omnium fuit, qui Gallum Liuienſem ſcripſit. *Franciſcus Petrarca*, qui non paucos, ſed centum ferè antè annos vixit; in libro *de Remedijs vtriuſque fortunæ*, eundem Vatem Foroliuienſem appellauit, cuius libri emendatiſſimam impreſſionem vidi, Baſileæ factam apùd Henricum Petrum ſub anno 1554. (3). Cȩterùm nō excuſa dumtaxàt Opera Gallū Liuienſem perhibent, ſed M. SS. Euſebij Cȩſarienſis Epiſcopi à priſcis, & caſtigatis Scribis exarata, quȩ adhùc in Bibliothecis Pontificia Romæ, & Regia Pariſijs

(1) *Blondus in Ital. Illuſtr. Reg.* 8.
(2) *Gyraldus in Hiſtor. Poet. Dial.* 4.
(3) *Franciſ. Petrarca de Remed. vtriuſque fortunæ, Baſil. impreſ. per Henricum Petrum ſub an.* 1554.

extant,

extant, vt in *Vindicijs eius Patriæ* celeberrimus Vir *Peregrinus Maſerius* indefeſſà inueſtigatione compererat, priuſquàm doctum Opus, cuius titulus legitur in *Supplemento Hiſtorico Foroliuij*, deperiret (1). At mihi non opus fuit longinqua monumenta percunctari, cum proximiora conſpicere, & inuenire potuerim, quæ iurium noſtrorum luculentiſſimum teſtimonium dicunt. Cęſenæ in Bibliotheca à Dominico Malateſta immortalis famæ Principe inſtitutà, & raris M.SS. locupletatà viget Euſebij codex, omnibus mendis accuratiſſimè expurgatus, in quo hæc verba: *Cornelius Gallus Foroliuien. poeta, à quo primum Ægyptum rectam ſupradiximus, XLIII. ætatis ſuæ Anno propria ſe manu interfecit* (2). Extat et Ferrariæ in Familiæ Seraphicæ Bibliotheca Chronicon optimum incerti Auctoris, nupèr repertum ab erudito Viro Ioanne Hyacintho Sbaralia Ordinis Conuentualium, Foroliuienſi, rerum hiſtoricarum ſtudioſiſſimo, quod ab Orbis Terrarum initio vſque ad annum Chriſti 1324. breui rerum memorià dignarum expoſitione feſtinat. Ibi ſub anno Romæ DCCXXV. hæc leguntur *Cornelius Gallus Foroliuienſis Poeta, qui prior rexit Ægyptum*, XLIII. *anno ætatis ſuæ ſe ipſum interemit* (3): Itèm in ora paginæ repetitur *Cornelius Gallus Foroliuienſis*. His ideò antiquis documentis

(1) *Sigiſm. Marcheſ. in Supplem. Hiſtor. Forol. lib. 1. pag. 34.*

[2] *Ex Bibliotb. Seraphic. Cęſenæ pag. 63. front. 2. intèr M. SS.*

[3] *Ex Biblioth. Seraph. Minor. Conuentual. Ferrariæ.*

mentis liquet *Gyraldi* opinionem paruipendendam, nèc de incorrupta Blondi fide, (qui ſummà modeſtià de Patria ſua locutus eſt) vnquàm ſuſpicandum. Si verò Auctorum ſuffragia conquiruntur, Foroliuio fauent *Iacobus Philippus Bergomenſis*, cuius vetuſtiores editiones extant Brixiæ anno 1485. per Boninum de Boninis, ac Venetijs an. 1490. per Bernardum Riccium, *Leander Albertus*, *Ambroſius Calepinus*, *Franciſcus Sanſouinus*, *Carolus Stephanus*, *Franciſcus Scottus*, *Iulius Cęſar de Solis*, *Ferdinandus Vgbellus* (1), & alij, qui Ciuitatis Flaminiæ, non Regionis in angulo Italiæ ſitæ meminerunt. Præter eos *Quintianus Brixienſis*, *Fanuſius Campanus*, *Petrus Grinitus*, *Ioannes Tracagnotta*, *Laurentius Beyerlinck*, *Ioannes Rauiſius* cognomento *Textor*, *Vincentius Belluacenſis*, *Aſtulphius*, *Mengoccius*, *Torſanus*, *Mancinellus*, *Vecchiazzanus* (2), & plerique alij, vnanimi ſenten-

(1) *Bergomen. ſub an. Mundi* 5183. *lib.* 7. - *Leand. Albertus Reg.* 14. - *Calepinus ad lit. F.* - *Sanſouinus in traduc.*Bergomen., *typis Altobelli Salicati, Venet. pag.* 205. - *Stephanus in Diction. Hiſtor. Geograf.* - *Scottus in Itinerario.* - *De ſolis in Coſmographia.* - *Vgbellus in Ital. Sac. tom.* 2.

[2] *Quintianus epig.* 1. *cap.* 10. - *Campanus lib.* 5. *pag.* 83. - *Crinitus lib.* 3. *cap.* 42. - *Tracagnotta lib.* 41. *cap.* 170. - *Beyerlinck. in M.Theat. ad lit. P.* - *Rauiſius part.* 2. *ad Caput. Poet.*, *Lugdun. impreß.* 1560., & *Venetijs* 1566. - *Belluacenſis in ſpeculo.* - *Aſtulphius in addit. ad Laertium.* - *Mengoccius in Colloquijs.* - *Torſanus in Orationibus.* - *Mancinellus in Commenti Virgil.* - *Vecchiazzan. part.* 1. *lib.* 1.

tià

tià Foroliuienſem Gallum appellantes. Haùd tamèn inficiar codices Euſebianos à typis prodijſſe, vitiatum nomen Patriæ Galli deferentes, nèc non *Criniti*, *Stephani*, & aliorum Scriptorum nonnulla exempla: Verùm id inſcitiæ Typographorum tribuendum eſt, qui ſyllabarum *li* & *iu* diſcrimen, & variam ſignificationem ignorantes, & in lapſum forsàn incautè concidentes, aditum huic controuerſiæ aperuerunt. Id quidèm conſtat ex Dictionario Hiſtorico, Geographico, Poetico, Vrſellis edito an. 1601. apùd Cornelium Suttorium. Ibi enim ad literam C, Cornelius Gallus Foroiulienſis legitur: ad literam verò F, vbi Foroliuij Ciuitas Æmiliæ memoratur eam, fuiſſe Galli poetæ natalibus nobilitatam, vndè ex primà litera excuſoris error, ex altera ſenſus ſcribentis innoteſcit. At licèt Carni fructum ex æquiuocatione capiant, & Gn. Cornelium ex natione ſua ſimulare contendant, in ingentem ſcopulum illident; nàm etſi per ſuppoſitum Foroiulienſis cenſeretur, cum tamen duo Fora Iulij ſint, alterum, vt Plinius teſtatur in Narbonenſi Prouincia, quod non deletis antiqui nominis veſtigijs Freiulium appellatur, alterum Carnorum, ſiuè Lapidum iuxtà Alpes Iulias (1), nunquàm potiùs Italum, quàm Gallum certis argumentis comprobarent.

(1) *Plinius libr.* 3. *cap.* 4. *Ptolomeus libr.* 3. *cap.* 4.

P. FAVSTVS

P. FAVSTVS ANDRELINVS.

ACie præſtantis ingenij, & eruditione, magis quàm ortus claritate conſpicuus, nomen ſuum vſquè ad extremos terrarum fines propagauit. Romam profectus, vt ibi ſcientias profiteretur, bonis artibus impensè ſtuduit, ſed impenſiùs Poeſi, ad quam inſito per naturam amore ferebatur. Hanc felicitèr emenſus, in Archigymnaſio Poetarum coronà donatus eſt, qua ſuſcepta coràm Populo Romano, diſertiſſimiſque Viris, ſubito percitus œſtro Natalem diem Almæ Vrbis cecinit ea carminum excellentià, & facilitate, vt omnes qui eum audiebant, licèt vigeſimum ſecundum non excederet annum, prodijſſe Vatem antiquis comparandum conclamarent. Hæc iuuentutis primordia Romæ habuit tùnc temporis, quo Literæ in Italia ab æuo Gothorum abſoletæ reſumere formam, dignitatemque ſuam videbantur. Eas Fauſtus in Galliam, quaſi nouum ſemen poſt barbarorum infectionem feliciſſimè inuexit. Nèc diù latuit Pariſijs extranei Profeſſoris nomen, cum ars benè dicendi exigua nimium, & pangendorum carminum nulla apùd Gallos reliqua foret; vt qui primam ſe callere opinabantur, & alteram prorsùs ignorabant, ab inauditâ eloquentià, atque dulcedine ignoti Vatis raperentur. Eorum præconijs conſtipatus Fauſtus, honeſtiſſimum locum in Academià nactus eſt, & facilè ad ipſam Regis Ludouici XII. neceſſitudinem peruenit, apùd quem memoria Anſaldi eius ſtrenuiſſimi Gentilis, qui ſub D. Ludouico IX. in Syria dimicauerat, nondùm euaneſcere potuerat.

uerat. Nèc ſolùm à Rege ſtipendium meruit, ſed paulò poſt ſuffragatione Aulicorum, ab ipſa Anna, Armoricæ Ducis filia, & Ludouici Vxore donatus eſt, vndè Poetæ regij, & reginei cognomentum ſumpſit. Apertis poeticæ, & etiam ſphericæ paleſtris, ab extremis Franciæ, & Germaniæ oris Auditores confluxerunt, vt reconditarum facultatum præcepta audirent, & in ſuas Regiones certatìm deferrent. His Fauſtus moratà vità, & exemplo præluxit, nàm piùs in primis fuit, & vniuerſum ferè peculium in pauperes mirà liberalitate effudit; cum autèm flor idioribus annis varias mulierum fraudes, & pericula expertus eſſet, Iuuentutem hortari conſueuit, vt fędas meretrices tanquàm ſordidas latrinas euitarent. Rex Ludouicus perſępè curis regnandi defeſſus, Fauſti carminibus, ſecum per hortos voluptatis, & pinacothecam ſpatiantis, lętabatur, quæ ſermonis nitore, & ſententiarum pondere animos, & aures implebant ſuauiſſimè. Cum autèm Reges ex ingenità munificentià ſoleant augere Profeſſores Artium eximios, vt ad laudandos labores alacriùs incitent, præmoneantque ad æmulationem cęteros, Ludouicus frequenti Procerum, & Pariſienſis populi concurſu Fauſtum laureà coronà manibus ſuis redimiuit. Quibus illecebris honorum Vir doctiſſimus obſtrictus, intèr rudimenta omnigenæ literaturæ, & prę ſertìm poeſeos traduxit vitam. Indoctos Vates, & Oratores ſuæ ętatis non ſemèl contemnebat, cum multi eſſent ambientes nomen poetæ, & non merentes, ex ſuggeſtu dictare ſolitus hoc monoſtichon *Carmina merdoſas tergere digna nates*. Fuit tranquillitatis amans, quæ alumna ſapientiæ, & literarum

rarum amica eſt, & tandèm docens, & ſcribens à vita migrauit, vt nunquàm apùd Gallos, & eruditos Viros moreretur (1). Quo tamen anno diem obierit non conſtat. Liquet triginta, & ampliùs annos, Poeſeos in celebri Vniuerſitate docuiſſe, vt ipſe *Eraſmus Roterodamenſis* damnatæ recordationis *in Menſa Syracuſana* tradit: *At his ſanè temporibus priſcam illam frugalitatis laudem ſibi vindicarunt; quemadmodùm & Græci ad priſtinam illam temulentiæ gloriam poſtliminio redierunt. Vnde Fauſtus Andrelinus Foroliuienſis Poeta non ſolùm laureatus, verùm etiàm Regius, atque etiàm ſi Dijs placet Regineus, vetus congerro meus, qui pluſquàm triginta iàm annos in celeberrima Pariſiorum Academia poeticen docet, in carmine, quod de Pauimento Pariſienſi inſcripſit, adagionem in Anglos deriuauit* (2). Extant Publ. Fauſti *Amorum Libri quatuor* ab Eminentiſſimum Franciæ Cancellarium Guillelmum de Rupeforti, *Venetijs per Bernardinum Venetum de Vitalibus an.* 1501.: *Hecatodiſticon cum Ioannis Mauri Conſtantiani Enarrationibus*, ad præſtantiſſimum Virum Ioannem Ruſeum generalem Quæſtorem regium promeritiſſimum, *Lugduni apùd Theobaldum Paganum an.* 1544. Viget etiàm libellus in octauo penès Ioſephum Merendam Equitem Hieroſolymitanum, abſque editionis monumento

[1] *Leander Albertus Reg.* 14. - *Ex Chron. Albertina M.S. pag.* 130. - *Hieron. Mengocius tract.* 25. - *Vghellus in Ital. Sacr. tom.* 2. *in Episc. Forol.* - *Baylè in Diction. Hist. Crit. in lingua gallica*.

(2) *Eraſmi Adagia à Paulo Manutio edita, in Menſa Syracuſana, column.* 728.

cui

cui titulus *P. Fauſti Andrelini &c. Poema ſanctiſſimum, ac elegantiſſimum de moralibus, & intellectualibus virtutibus*, ad Reuerendiſſimum D. Robertum Briſſonetum Archiepiſcopum Remenſem, & Eminentiſſimum Franciæ Cancellarium, ac ad Clariſſimum Petrum Coardum primum Præſidem Pariſienſem. Incipit

Non ſempèr gracili modulandum eſt carmen auenà:
Secretos intèr ſaltus, ſyluaſque latentes,
Quà nulla humano contrita eſt orbita greſſu.

In Epiſtolà ad poſtremum Patronum datà, quæ antè Epicos verſus occurrit, Auctor ait, cum mirum in modum ſęuiente tùm febre, tùm cancro diſcruciaretur, ad leniendam efferam illam rabiem, non tàm poeticum, quàm philoſophicum carmen excogitaſſe, in quo quidèm morales, intellectualeſque virtutes delibauit: Peripateticos hac in re potiſſimùm ſequendos cenſuiſſe, quod illi non è quatuor tantùm, vt Stoici, ſed è duodecim fontibus omne honeſtum, decorumque deriuari contenderunt. Maiorem autèm laborem acceſſiſſe, cum præſertìm moralia iſta, quæ appellant dogmata, à venuſto prorſus carmine aliena, & habeantur, & ſint. An verò alia Opera à Fauſto elaborata, paſtoralis generis, & elegiaci, ac etiam ſolutæ orationis, concredita typis viuant, mihi incompertum eſt. Quod tamèn ea præſtantèr condiderit, quòd ad tantam exiſtimationis famam in tranſalpinis Regnis conſcenderit, quantam nemo antè aſſecutus eſt, ex Epiſtola Ioannis Cordigeri Alemani, Sacræ Theologiæ Profeſſoris ad Pariſienſem Vniuerſitatem, excuſa poſt librum Amorum, ſatis innoteſcit: en ejus tenor.

nor: *Philippus Macedoniæ Rex dicere ſolitus erat, ſe fortunæ gratias agere, quod Alexandro filio ſuo ſub Ariſtotele philoſophorum principe erudiri contingiſſet: noſtris quoque temporibus meritò gloriari poteſt veſtra Vniuerſitas Pariſienſis, quod Fauſtum Andrelinum Foroliuienſem nacta eſt. Is enìm cum omnium diſciplinarum ſtudioſiſſimus ſit, ſolas fuit, vt aliorum pace dixerim, qui Galliam ex ieiunà ſaturam, ex incultà terſam, ex ſiccà viridem, ex barbarà latinam fecit. Quandoquidèm non ſolùm oratoriam, & poeticam facultatem, ſed etiàm ſphęricam ipſam tanta omnium admiratione profeſſus eſt, vt quid dicant alij, profectò habeant nihil, & artem ac leporem carminis hoc in Regno anteà prorsùs incogniti, ità patefecit, vt omnes ſolum Fauſtum in quouis carminis genere imitari ſtudeant, & integras illius ſententias, ac verſus ſæpè numerò pro ſuis accipiant: Nèc id profectò iniuria factum eſt, cum Fauſtus talis ſit poeta, vt ab eo, ceù fonte perenni, Vatum Pierijs (vt de Homero ſcribit Ouidius) ora rigentur aquis. Sed nè illi blandiri videar, qui penitùs ab omni ambitione alienus eſt, facilè indicat liber iſte, ob quem Romæ publicà laureà donatus eſt, etſi nondùm ſecundum, & vigeſimum annum agebat; indicat & regium illud Opuſculum in hac pręcipua veſtra Vniuerſitate, non ſinè magno, & frequenti Auditorio interpretatum. Idcircò ſicut Vrbs Pariſia, ità & Italia Liuiam ipſam impreſſit, nè tàm diuino carmine careret. Ad hæc, tres alios Elegiarum libros, quàm emendatiſſimos breui, vt inquit, emiſſurus eſt, quos ego vidi, dum mihi priuata lectione Liuium, & Suetonium enodaret. Sed quamuìs hæc poemata iuuenili calore fluxa, cum antiquis mea*

ſententià

ſententià certare poſſint, nunquàm tamen diem illum videre poſſe arbitror, quo in lucem veniant illius Eclogæ nouem, duo Epiſtolarum moralium libri, Epigrammaton itidem duo, totius linguæ latinæ Repertorium, & diuinum Opus illud, quod de Vera Religione inſcribitur; quæ quidèm omnia (ſi fata permiſerint) vt ad finem vſque perducat, non ſolùm latinæ linguæ, ſed etiàm Chriſtianæ Religioni emolumentum, & decus ſempiternum pariet. Ex multis in præſentiarum paucula libauimus, non vt hæc ignoraretis, ſed vt & vos meritis illum laudibus affeciſſe, & me ergà præceptorem gratum fuiſſe intelligatur. Refert *Ioannes Gareſius* Fauſti orationem ad Chriſtum in Sacramento (1). *Pomponius Lętus*, & *Bartholomæus Megalutius* in Epiſtola antè librum Amorum edita, eum Principem Poetarum ſuæ ætatis vocant, & quidèm ſi metimur virtutum merita, hæc ſanè præponderarent coętaneorum laudi, latinam linguam, & bonas artes inuexiſſe in floridiſſimum Galliarum Regnum, & poeticam coronam ab ipſa Chriſtianiſſimi Regis manu retuliſſe. Stirps Andrelina in Nicolao Equite Hieroſolymitano extincta eſt an. 1522. (2). Erat illi gentilitium Inſigne Zona aurea in cęleſti campo, licèt alij volucres duas, alij tres ſtellas, totidemque montes viridis coloris addidiſſent. Poſtremi Stemmatis cùm aſtris, & montibus Zonæ annexis, adhùc veſtigia reſtant in Sacello maiori S. Mariæ in La-

(1) *Ioan. Gareſius in Oper. de Præſent. Corp. Chriſti in Euchar. claſſ. 2. pag.* 400.

[2] *Coronellus in Bibliothec. Vniuerſ. tom. 3. columm. 612. ex Mugnos.*

terano , nunc Sclauoniæ, picti vſquè à ſęculo Fauſti ſenioris , qui illi Eccleſiæ præerat , ſed decoloratis adeò pigmentis , vt vix appareant.

ARtem hanc præclariſſimam Poetices, quæ quidèm certis conſtat præceptionibus , ſed magis ingenito naturę aflatu, mentiſque viribus inualeſcit, intèr primos profeſſi ſunt

CECCVS RVBEVS, qui & legalem ſcientiam apprimè calluit , vt reipublicæ prodeſſet , & ad animi relaxationem optimos Poetas imitari ſtuduit. Celeberrimum indè nomen aſſecutus eſt ; cum proptereà Franciſcus Petrarca, Vatum illius ætatis facilè princeps, amore præcipuo coluit (1). Neque ſolùm ornamentis literarum claruit , verùm etiàm politicæ virtutis , qua aditum in aulam adinuenit Franciſci Ordelaphi Foroliuij , & Cæſenæ Reguli, honeſtiſſimo à Secretis gradù .

NERIVS MORANDVS Cecchi coętaneus , & eorumdem ſtudiorum conſors, quem tamèn & doctrina , & ſtrenuitas fauenti fortunæ accedentes , multò magis extulerunt . Fuit enìm bellator eximius , Iuris peritiſſimus , & Poeta argutus ; quibus meritis ad munus ampliſſimum à Secretis ſtatus Caroli IV. Cęſaris aſcendit . Sicut Petrarcæ comes ſcientià pangendi versùs , ità mutuæ beneuolentię, & charitatis extitit ; quemadmodùm ex Epiſtolis Franciſci liquet. In decima libri XII. hæc leguntur.

[1] *Blondus in Ital. Illuſtr. Reg. 6. - Albertus in Deſcript. Ital. Reg. 14.*

Sæpè

Sæpè te monui nè corpus tuum neceſſarijs ſatìs attritum, atterendumque laboribus, ſuperuacaneis premeres, nè ingenium ad literas natum ad arma conuerteres, vbi, & periculi ampliùs, & minùs delectationis, aùt gloriæ eſt; quamuìs vt verùm tibi præconium non ſubtrabam, vix norim cui magìs hac ætate conueniat, illud Catoni ſeni à Tito Liuio tributum, cui ſcilicèt verſatile ingenium ſic paritèr ad omnia fuit, vt natum ad id vnum diceret, quodcumquè ageret &c. (1). Hoc ſanè elogium à tanto, ac tali viro factum, Nerij memoriam immortalem reddet.

IACOBVS ALLEGRETTVS quamquàm ſe pluribus ſcientijs dederit, Poeticæ, Phyſicæ, & Aſtronomicæ, in ijs tamèn pari excellentià efloruit. Amiſſam in Flaminia numerorum artem reperijt, Galenicam facultatem per Italiam præſtantèr exercuit, & arcanos motus ſyderum egregiè inueſtigauit. His nempè de inſtructa nece Sinibaldum Ordelaphum præmonuit; & vitæ ſuæ, Ariminum profugiens, cauit. In Patrià Academiam erexit an. 1370., non diù poſt ſine duce collapſam; bonas enim artes, & ameniſſimæ poeſis ſtudium, ſecum euocauit. Intèr Ariminenſes ſuum diem obijt, eum proſequente non ſolùm lacrymis, ſed eruditis nenijs diſcipulorum cętu. Reliquit *Bucolicum carmen* ſummæ perfectionis, vt poſt Virgilianum cunctis de paſtoralium genere præferendum eſſe videatur. Hoc tamèn amiſſum in alluionibus elapſæ ætatis

(1) *Petrarca in Epiſt. Famil. lib. 3. Epiſt.* 10., & *In Epiſt. varijs Epiſt.* 14. - *Blondus Reg. 6. - Albertus Reg.* 14.

vehemen-

vehementèr pertimeſco, cum nequè illum nanciſci potuerim in Collectione triginta octo Bucolicorum Vatum, Baſileæ impreſſa per Ioannem Oporinum an. 1546., nequè in ditioribus Europæ bibliothecis, neque apùd clariſſimos Viros, Apoſtolum Caroli VI. inuictiſſimi Cęſaris Hiſtoricum, & Poetam, ac Petrum Catharinum de Zenis Venetos, omnigena eruditione per Orbem Terrarum notos. Reperijt etiàm Iacobus Gn. Cornelij Galli Endecaſyllabos, & accuratè exſcripſit, nè cèlebris Conciuis ſui labores interirent (1).

GVIDO PEPPVS, cognomento Stella, rei philoſophicæ, & medicæ vacauit, ac linguas Hebraicam, & Græcam calluit, quæ tamèn grauiora ſtudia iucundis Poetices interrupit. Fuit Iannotto de Calogroſſis magnis officijs amicitiæ iunctus, quem ſuauitate cantus certè vicit. In Codice Iſoldiano quamplura vigent laude, & admiratione digna, ſi numeris aſtricta verba, ab ortographiæ vitio, & barbarie ſermonis purgarentur. Reliquit M.S. Hiſtoriarum, & præſertìm Patriæ, quæ intèr ſolitas temporum vices perierunt (2).

ANTONIVS LERRVS literis, & poeſi ſtuduit, quæ temporibus ijs inanis omninò labor à pleriſque putabatur. Vixit circà an. 1450., & cecinit haud inornato ſtylo, & iuxtà ętatem celſo; vt poſt Au-

(1) *Petrus Rauennas in Chron. M. S. - Lucius Bellantius Tuſcb. - Vgbel. in Ital. Sacr. tom. 2. in Epiſc. Forol.*

(2) *Albertus Reg. 14. - Ioan. Maria Creſcimbenius in Commentar. ſupr. Hiſtor. vulgaris, ſeù Ital. Poeſis volum. 2. part. 2. lib. 3.*

guſtinum

guſtinum Vrbinatem à barbarie quadam cęterorum abhorrentem, & Petrarcæ veſtigijs propiùs inſiſtentem, nemini ſecundus habeatur. A Fragmentis, quæ in Codice Iſoldiano ſunt, quantùm intèr alios excellat, innoteſcet [1].

NICOLAVS AVGVSTINVS, cuilibet Vatum æui ſui coęquandus, ob felicem rythmorum copiam, qua magnum honoris, & dignitatis locum in Aula Franciſci II. Mediolani Ducis occupauit. Extincto enìm Matthæo Boiardo Scandiani Comite, qui mirà Italici concentus arte Orlandi amores concinebat, dignus intèr omnes habitus eſt, vt tanti Poetæ illuſtrem muſam ſequeretur. Tres ille libros lucubrauit; et tribus iſte ſeriem carminis perfecit. Extant, Venetijs apùd Cominum à Trino Montisferrati an. 1565. in quarto [2].

LIVIVS SVRDVS oſtendit sè natum potiùs quàm factum ad poeſim, in qua tàm præſtans fuit, vt alij mentis aciem admirarentur, alij ſublimes ſenſus imitari certarent. Eum Torquatus Taſſus Vir immortalis famæ, conſtantis animi conſpiratione dilexit, & magnis præconijs celebrauit. At eius metrici labores, qui in æuum viuere promeruiſſent, intèr improbas temporum vices deperditi deſiderantur.

(1) *Idem Creſcimbenius volum. 2. part. 2. lib. 3. pag. 152.*

[2] *Idem Creſcimbenius volum. 4. lib. 1. pag. 60.*

DE ASTRO-

DE ASTRONOMIS.

CAP. VI.

GVIDO BONATTVS.

HIc non ſolùm Italiæ, ſed vniuerſo Occidenti notus, altiſſimà ſapientià, ac Aſtrorum cognitione omnes, qui ea potiri contenderunt, procùl dubio ſuperauit. Studijs contemplatricis philoſophiæ, & ſublimis matheſeos, acie perſpicaciſſimæ mentis illuſtratà, ſe ſe ad arcanam ſcientiam vertit, quæ tunc ingenti mortalium induſtrià, velùt in tenebris lumen quærebatur. Hanc reconditam & iudiciariam Artem ſubtilitate ingenij meliùs introſpexit, ac multorum ſyderum influxus, ad illam ætatem vſquè adeò incompertos nouit; quibus cum ab æterno moderatore datum ſit, in ſublunari orbe futuros euentus præmonſtrare, ijs influxibus, & virtute, qua in humanis rebus agere nata ſunt, ſępè venturos caſus, & miranda diuinauit. Varia ex vetuſtis Annalibus memoriæ prodita ſunt, quæ tanti Viri, & Præceptoris excellentiam in ſyderea facultate docebunt. Erant Foroliuij factiones duæ, altera Ghibellinorum, Guelphorum altera in mutuas cędes perenni odio debacchantes. Eas vt Guido zelator pacis, & communis boni exterminaret, propitium ſtellarum aſpectum ciuibus oſtendit, ſi vnus ex vtraque ſecta lapidem in nouis menium fundamentis, quæ tunc conſtruebantur, iaceret; nàm tepeſcente extempló furentium animorum æſtu, ſimultatum

multatum memoria periiſſet. Probato hinc indè conſilio, ſelecti ſunt, qui id muneris adimplerent. Verùm dum Guido acceſſum aſtri contemplaretur, & cęmentarij eius nutum expectarent, ſigno dato, Ghibellinus proiecit lapidem, ſed Guelphus iàm libratum ictum verſutè retinuit. Cognità datæ fidei infractione Bonattus excanduit, & perturbatorem publicæ quietis, his execrationibus deuouit; Te Deus, ait, perdat, & Guelphos tuos, quod futuræ diſcordiæ ſemen, & ingentium malorum reliquiſti. Hæc ſanè fatidica fuerunt verba, quippè depreſſis Guelphorum viribus in inteſtinis bellis, diù Ghibellini regnum Ciuitatis tenuerunt [1]. *Ioannes Ganiueſus* Gallus refert Guidonis pręſagium, ob quod Henrici Cęſaris vita ab inſidijs vindicata eſt. Ille etenim ſolebat Aſtronomorum turbà obſeptus, plùs æquo fidem dictis eorũ prębere, nèc ſolùm imperandi leges, ſed cuſtodiendi corporis ſalutem à lętis, & triſtibus aſtrorum indicijs quæritare, vel bellum aggredi, vel inire pacem vellet. Hæc vt quotannis inueſtigarentur, iuſſerat à peritiſſimis ſydereæ facultatis Viris, quorum conſilio, ac præmonitione malos influxus euitare, & conſulere ſanitati poſſet. Annuis ſucceſſibus diligenti cenſurà examinatis, omnes in vnanimem ſententiam deſcenderunt, eo anno Auguſtum calidi generis febres ſubiturum, à qua tamen abhorruit Bonattus, tùnc in Academia Bononienſi Imperatoris ſtipendia merens. Is autèm figurà Henrici natalium introſpectà, & Aduentu Martis, ad quartam Domum Cęli, qui venenatæ potionis minas portendebat, Cęſarem

[1] *Benuen. Imolen. in Expoſit. Comęd. Dant. cap. 20.*

conſcium ſui vaticinij fecit, & vt ſibi caueret opportunè admonuit. Ille qui ſempèr pluris habuerat Guidonis ſcientiam, quàm aliorum, hoſpitij magiſtro in mandatis dedit, vt accuratiſſimè ſtatim exploraret motus omnes aulam ſequentium, ſi fortè quis clandeſtina colloquia miſceret, neuè vt parandarum dapum proditorio prætextu aditus in popinam pateret. Breui hæc indicia rem ferè manifeſtam detulerunt, duobus in notam ſuſpectæ fidei collapſis, qui propterea in carcerem coniecti ſunt: ſed cum renuerent fateri crimen, & tormenta magnà animi pertinacià ſuſtinerent, à Magiſtro fictà vtriuſque confeſſione ſolertèr intercępti, quippè detectum ſcelus iàm putabant, alter altèri ſeorsùm flagitium proditionis retulit. Ità facinoris machinatio deprehenſa eſt, qua nè decus Auguſtalis curiæ deturparetur, Henricus imperauit, vt ſontes occulto ſupplicio luerent pęnam infidelitatis. Hęc Ganiueſus [1]. Alia Bonattus ſub benefico ſyderum influxu, vel diuturnam, ſtabilemque pacem, vel felices victorias pollicente, mirabilitèr operatus eſt. Quibus, & alijs rebus aſtrorum cognitione peractis, magnum ſibi nomen peperit, vt à cunctis ordinibus impensè coleretur. Ipſe Simon Maſtaguerra, qui ſtudijs inconditæ plebis conſtipatus Patriam fęda tyrannide premebat, & in optimates ſuperbè bacchabatur, nunquàm Bonattum tangere auſus fuit. Is verò tandèm feſſus popularis arrogantiæ, Patritiorum animos erexit, & Rempublicam ab impotenti iugo liberatam, in priſtinam

(1) *Ex Libr. Ioannis Ganiueſi edit. Lugduni an. 1559. cui tit. Amic. Medicorũ, differ. 3. cap. 2. p. 204.*

dignitatem

dignitatem vindicauit (1). Guido, ſi quis alius Patriam amauit, eamque vt à cladibus, & rapinis tueretur, figuras lapideas, & lateritias ſub cęleſtibus ſignis commentatus eſt, ac vel in abditis locis tumulauit, vel ædium parietibus compegit, nè illis extantibus Foroliuium ea ſubiret damna, quæ iniqui martis viciſſitudines ſequuntur. Fuit arctiſſimis amicitiæ vinculis deuinctus Guidoni Feretrano, ſummo Reipublicæ Foroliuienſis Duci, qui Bonatti ſapientiæ tantùm deferebat, vt nèc moueret caſtra, nèc pugnas confereret, niſi priùs ſodalis oraculum, cęlorum aſpectum percunctantis, accepiſſet. Eo nimirùm res omnes dirigente, varias, & celebres palmas inuictus Feretranus reportauit, in quibus potiſſimùm memoranda venit Gallorum clades, iàm à Bonatto Ciuibus ſuis præmonſtrata, ſi opportunè ſtellarum fauore vtentes, occaſionem nequaquàm contempſiſſent. Et quidèm in ipſo Capricorni ingreſſu, quod felix ſydus huic Ciuitati dominatur, Liuienſes impetu in Gallos facto, alios palantes per vias, & domos, alios mero, ſomnoque ſepultos, cum & ipſæ mulieres, ſeneſque acritèr pro libertate pręliarentur, terribili occidione deleuerunt. Ioannes Epa ſummus Pontificij exercitus Ductor, cecidit, & ſecum flos exercitus furore populi ſeruitutem detrectantis trucidatus. Quamplures etiàm Liuienſium in dimicatione perierunt, & Bonattus haud leue vulnus paſſus eſt. Cum autèm tota Ciuitas reſperſa ſanguine, & paſsìm conſtrata cęſorum corporibus, atrox ſpectaculum viuentibus

(1) *Guido Bonattus in Oper. Aſtronom. tract. 5. conſ.* 141.

præberet, B. Iacobi de Salomnijs Veneti, qui tùnc vitæ ſanctimonià Foroliuium illuſtrabat, monitis, cadauera non modò ſepulturæ mandata ſunt, ſed in medio foro Sacellum erectum eſt, in quo eorum Animæ ſacrificijs expiarentur. Ibì ad vtrumque latus monumentis clariſſimæ victoriæ inciſis, Guido in culmine tecti Leonem, & Crucem collocauit, ſub fauſto ſtellæ aſpectu, perenne Patriæ præſidium deſpondentis. Poſt multas verò ætates, Francorum copijs Liuianam Ditionem peragrantibus, vt Caroli VIII. Galliæ Regis fortunam tuerentur, cum præcipui Ductores Foroliuium introiſſent, & fortè ex epitaphijs in marmorea tabella ſculptis, priſcam ſuorum cladem didiciſſent, feruentes ira ſuperbè conclamarunt, ſe ad vlciſcendam nationis ſuæ iniuriam redituros. Quo metu pleroſque angente, prudentum conſilio, & Catharinæ Sfortiæ aſſenſu, Monaci Valliſumbroſæ III. Non. Ianuarij an. 1495. amotis Leone, ac Cruce, diruere Sacelli muros inceperunt, non ſine tamèn plebis mæſtitia, ac ſeditione; quæ in figuris ibi à Bonatto conſtitutis fidem futuræ ſecuritatis repoſuerat. Hoc igitur tumultu inſpecto, Abbas D. Mercurialis iuſſit, vt omnia in priſtinum reſtituerentur; quod tamèn populo non satìs placuit, de interrupto ſtellarum omine adhùc ſuſpicanti (1). Huic niſi ſimilis, haud diſpar admodùm euentus ſub an. 1429. contigerat in S. Crucis; cum enìm Templi murus ad ruinam accedens, inuerſis fulcimentis corruiſſet, Caput lateritium bouis à Guidone conditum, & propitiante Aſtro

[1] *Leo Cobellus in Chron. Forol. M.S. part. 3. pag. 257.*

parieti

parieti compactum intèr cęmenta fractum eſt. Ingens per vrbem męror fuit, non ſolùm in rudi multitudine, ſed etiàm in nobilibus, Baptiſta Palmeggiano, & Ioanne Serguido plorantibus amiſſum tutamen Ciuitatis. Cui quidèm inani obſeruationi, plùs tribuebant omnes fidei, cum Fauentiam ab Anglis, & Cęſenam à Brittonibus fuiſſe vaſtatas reminiſcerentur; Foroliuiū autèm intèr illas medium, mirè à bellorum damnis euaſiſſe [1]. At quoniàm certa futurarum rerum ſcientia eſt conditoris naturæ Dei, & homines venturos caſus ex ſecundis cauſis, quibus terreſtria ſubduntur, dumtaxàt coniectantur, interdùm iudiciaria Ars Guidonem fefellit. Lubet euentum lepidum referre intèr cętera, quibus vltrò parcimus. Spatiabantur in foro palàm fabulantes Bonattus, & Feretranus, cum in calatho colonus ſelectiſſima pyra deferens, ruſticum quidèm, ſed non impar obſequentis munus obtulit; deindè feſtinantis in morem poſtulauit, vt ſibi liceret ſtatìm domum ſuam reuerti. Ecquid ea feſtinatione properaret ſciſcitanti Duci, reſpondit, vt imminentem imbrem euitaret, quem aſellus ſuus tèr concuſſis auribus certò pręmonſtrauerat. Serenus tùm ęther erat, nulli dęſeuiebant venti, nullęque, aùt translucidę tantùm nubes extabant. Subriſit propterea Feretranus, quęritans ſubindè quid de agreſti omine ſentiret Bonattus? Ille aſtronomicis legibus confiſus, quæ inferioris poli viciſſitudines oſtendunt, haud dubitauit affirmare, nihil eo die de aeris inſtabilitate dubitandum. At vix exceſſit ruſticus, atrox ventorum prę-

[1] *Ioannes Dipintor in Chron. Forol. M.S. p. 40.*

lium

lium coortum eſt, increbruere nubes, à quibus inter fulgura, & tonitrua effuſiſſimus imber præcipitauit. Iocoſum hinc murmur in populo excitatum eſt, aſſeruerunt quippè magis quandoque credendum naturalium rerum augurijs, quàm Aſtronomorum ſapientię (1). Ergò ſe illuſum ſępiùs diſciplinæ huiuſmodi fallacijs noſcens, intùs animi religione perculſus, ne de ęternitate periclitaretur, veriùs ad immenſa cęlorum ſpatia mentem omninò deuouit. Meliorem ideò temporis vſuram facturus, intèr Minores Seraphicæ Familiæ pęnitentis, & regularis vitæ, ſocio Guidone Feretrano, qui fuerat in ſęculo conſors, dies ſuos terminare conſtituit. Ambo igitur conſpecti ſunt, rara argumenta Chriſtianæ perfectionis edere, oſtiatìm collectum panem inſigni ſpretu propriæ nobilitatis baiulare. Cum tandèm floridos, & robuſtos annos in inanibus ſtudijs abſumpſiſſet, vtilibus ſeniles clauſit (2). Obijt Anconæ an. Dñi 1300., & reliquit *Opus Guidi Bonatti de Foroliuio, continens decem Tractatus Aſtronomiæ, Auguſtæ Vuindelicorum an.* 1491. Cętera, quæ ſcripſit, partìm Lutetiæ Pariſiorum, vbi ſyde-

(1) *Ex Annal. Forol. M.S. Anonymi.*

(2) *Flau. Blondus in Ital. Illuſtr. Reg. 6. - Bergomenſis lib. 13. an. Chriſt. 1252. - Fanuſ. Campanus de Famil. Illuſtr. lib. 5. pag. 86. - Platina in Vit. Martini 4. - Rubeus in Hiſtor. Rauen. lib. 6. pag. 461. - Nicol. Leon. Thomęus in Epit. Chron. Mundi pag. 53. - Harold. Epit. Annal. Min. tom. 2. pag. 442. Vghel. tom. 2. in Epiſc. Forol., & alij - Alexand. Taſſonus in lib. cui. tit. Penſieri diuerſi lib. 10. cap. 24.*

ream.

ream Artem docuit, Romæ apùd Roncionam Domum, in qua mulier Bonatti ſanguinis poſtrema nupſit; & partìm Cęſenæ apùd Carolum de Lapis, Linarij Comitem, & Senatorem Almæ Vrbis ſeruabantur. Condidit etiam *Tractatum de Proiectione Partium*: & *Hiſtoriam celebris Gallorum cladis*, vt memoriæ mandarunt *Andreas Tiraquellus* [1], & *Leo Cobellus*. His Operibus, præſertìm arduam, reconditamque diſciplinam ſummo nitore, & facilitate declarauit. Tàm eminentem Matheſeos, & Aſtronomicæ ſcientiæ profeſſorem, *Elias Capreolus* Brixianum, *Berlingerius*, & *Pocciantius* Florentinum, Patriæ amori nimiùm deferentes, affirmarunt. Primus cum nullum comitem, ac ſequacem habeat, à cunctis reprobatur, & præſertìm *Leandri Alberti* auctoritate (2). Alij ab ipſo Guidonis calamo, qui ſe Foroliuienſem in Operibus inſcribit, confutantur. Rem adeò implicatam *Poccian-tius* videns, ſolerti commento aſſeruit, Bonattum ob inteſtinas ſimultates Florentià eiectum, Foroliuij domicilium poſuiſſe, tanto in Etruſcos ſuccenſum odio, vt negatà Patrià, impoſterùm Foroliuienſis appellari voluerit. Huius probabilitatis fuco decepti *Lucas Vuadingus*, & forsàn alij *Poccìantium* ſecuti ſunt. Verùm enimuerò òmnes ſatìs intelligent, non poſſe fidem Guidoni de sè affirmanti denegari, niſi certiſſima ex aduerſo argumenta exhibeantur, quæ cum in medium afferri nequeant, vt hęc ſententia reijciatur, neceſſe eſt. Ipſi *Chriſtophorus Landinus*, & *Alexander Velutellus* Florentini in

[1] *Ex relat. Vuadingh. tom. 2. pag.* 149. *columm.* 2.
[2] *Leander Albertus in Deſcript. Ital. Reg.* 14.

interpreta-

interpretatione inclyti concinis Dantis, Guidonem Foroliuienſem faſſi ſunt (1). Quæ licèt veritatem abundè declararent, ſileri non debet, Bonattum Genus etiàm antè Guidonis ętatem Foroliuij viguiſſe, vt ex documentis Archiuij S. Mercurialis liquet. Ibi ſcilicèt leguntur tabulæ obſignatæ à Rambertino Ioannis Bonatti de Foroliuio ſub an. 1237. supèr inſigni concordia intèr Henricum Liuienſem Epiſcopum, & Benedictum Abbatem Flumanæ, quibus alter Abbatiali cęnobio dedit Plebem S. Laurentij in Nuceto, ac Sacerdotia S. Ioannis in Vulpinara, S. Chriſtophori, Marſignani, Lauaſtæ, & Caſeſigarię; altèr verò Epiſcopali Eccleſiæ Templum S. Petri in Arcu, cum finitimis ędificijs, ac prædijs (2). Præter hunc Scribam (non erat ſcilicèt munus eo tempore minùs honeſtum), alij & occurrunt, Martinus qu: Zauli ſub an. 1195., Andreas ſub an. 1239., ac Bonacurſius ſub an. 1244. [3], ex eadem Bonatta Gente Foroliuiana, à qua venit in lucem noſter æternæ recordationis Guido.

(1) *Chriſtophorus Landinus, & Alexander Velutellus in Expoſit. Comęd. Dantis Aliger. cant. 20. Inferni, impreſſ. Venetijs per Franciſc. Marcolinum an. 1544.*

(2) *Ex Inſtrum. dictæ Tranſact. rog. à Rambert. Bonatto 3. Maij an. 1237.*

(3) *Enunciat. in Inſtr. Vgolini de Baldolis in lib. Angue pag. 26. 43., & 463. Archiu. S. Mercurialis.*

DE

DE PICTORIBVS

CAP. VII.

MARCVS MELOCIVS DE AMBROSIJS.

MELOCIVS recenti quamuis familià natus, ſibi penicillo diuitas, & gradus, etiàm extrà limites ſuæ conditionis excedentes comparauit. Parcant, qui celeberrimum Pictorem, Melocium cognominarunt; Leonis ſiquidèm Cobelli contemporanei teſtimonio liquet, eum ex Ambroſia ſtirpe prodijſſe (1), licèt à pleriſque Melocius, fortè à Parentis nomine appelletur. Dedit Melocio artis tyrocinia Balthaſſar Carrarius nō ignotus Pictor ſęculi ſui adhùc ſub Gothica ruditate, & inſcitià laborantis, quam tantus Tyro, deincèps æmulator cęterorum, ad primęuam dignitatem politiori ratione reuocare conſtituit. Quamobrèm digreſſus Patria, vt tabulas clarioris famæ à communibus ærumnis, velùt ab alluuione ſuperſtites inquireret, Romam tandèm profectus eſt, vbi incomparabili ſtudio, & induſtria à ſingulis earum excerpſit, quæ cognouit ad imitandum digniora, quæque magis rerum naturam, & mores referebant. Poſt multa virtutis experimenta iàm celebris, fauente Hieronymo Riario Foroliuij principe, ex Blanca Roborea nato, intèr Aulicos Pontificis connumeratus, Xyſti IV. amorem, & ſtipendia meruit.

(1) *Leo Cobellius in Chron. Forol. M.S. part. 3. pag.* 252.

Duo potiſſimùm Opera ſummo plauſu excepta fuerunt (1). Xyſti ſcilicèt Imago in Vaticana Bibliotheca, ſellà à familiaribus deuecti, ac in Templo SS. XII. Apoſtolorum Reparatoris Aſcenſio: Qui ſanè inſignis labor antequàm Baſilica vetus auguſtiori ædificio conſurgeret, aduerſante iniurià temporum, penè vndequaquè defecerat. Eleuabatur iàm in candenti nubium orbe, diuina circumfuſus luce Saluator: plerique circùm comitabantur superni Spiritus, à quorum vultibus illius gaudia viſionis prominebant: deorsùm procùl Apoſtoli mixtum lætitiæ mẹrorem immotis oculis indicabant. Opus iſtud nouis tùnc forsàn opticæ præceptionibus abſolutum, nè omni ex parte ſub euerſione veteris ædificij perderetur, Clemens XI. antiquitatis cultor eximius cauit, cum pariete diligentèr ſecato, & aſſeribus concluſo, Chriſti triumphantis Imaginem in plano ſcalarum Quirinalis Palatij muris compingi, & ad perpetuam rei, & clariſſimi Pictoris memoriam hanc inſcriptione decorari.

OPVS MELOTIJ FOROLIVIENSIS QVI SVMMOS FORNICES -- PINGENDI ARTEM MIRIS OPTICÆ LEGIBVS VEL PRIMVS -- INVENIT VEL ILLVSTRAVIT EX APSIDE VETERIS TEMPLI -- SANCTORVM XII. APOSTOLORVM HVC TRANSLATVM -- ANNO SALVTIS MDCCXI.

(1) *Volaterranus in Antropologia Pictor. ſui temporis. - Georgius Vaſarius in Vita Benozzi pag.* 314. - *Philippus Titus in Pictur. Romæ pag.* 286.

Hanc

Hanc verò Artem decipiendi oculos, primùm à grę-
cis Pictoribus repertam, & poſt barbararum Gen-
tium inundationem cum reliquis ſcientijs demerſam,
ſcientiſſimus ipſe iterùm ſuſcitauit; multa nempè in
vmbris, & eminentijs vidit, quæ aliorum cogni-
tioni, & oculis latebant; & ità potuit res ęquas
ſimulare, quæ aùt in fornicibus, aùt ſpeculis men-
ſurà, & æqualitate verè carentes extabant. At mi-
randa Opera partìm vetuſtas abſtulit, partìm vices
temporum deleuerunt. In Patria nihilominùs ſer-
uatur in S. Mariæ Carmelitarum, in Sacello Nob.
Oſtolorum Familiæ, quod ingredientibus ad lęuam
occurrit, Tabula D. Antonium Abbatem, & alias
Diuorum effigies repręſentans. In Domo autèm
Nob. Becciorum ſtirpis, Principes Apoſtolici Collegij
Petrus, & Paulus præſtantèr expreſſi conſpiciuntur.
Super oſtium veteris pharmacopolij, non procùl à
maiori Foro, Aromatarij Imago picta eſt, tundentis
piper, tali corporis, & brachiorum niſu, vt nequè
labor ferream vibrantis clauam, neque ſimilitudo
rerum fingi perfectiùs lineamentis poſſit. Verùm hęc
pictura æternitate digna, iniurijs omnibus imbrium,
& brumæ ſensìm deficiens perit. At opus in quo
laudatiſſimus Pictor experimento perfectiori opti-
cam profeſſus eſt, infortunio celeriori obnoxium
fuit; quippè vi ſummà ingenij, & artificioſis lumi-
nibus, ac vmbris humilem Tolum in Choro D. Io-
annis Baptiſtæ adeò eleuatum ſimulauit, vt exteriùs
cernentes exiguam nimiùm ædem, interiùs demùm
decepti graphices portentis de eadem dubitarent.
Hoc tamèn Fano in poteſtatem Capuccinorum Or-
dinis veniente, cum cęnobitæ anguſtiam loci faſti-
dirent, & ineſtimabile pretium operis, & fortè

auctorem ignorarent, anno 1651. improuido conſilio ſub demolitione Templi miraculum artis euerteꝛunt (1). Liquet Ambroſium varias, & longinquas Regiones peragraſſe, vt ex celebrioribus Tabulis, quidquid perfecti nouiſſet delibaret, & eorum præſtantiam imitatione conſequeretur. Tandèm eximiè peritus in Patriam reuerſus, ibidèm Riariorum Principum Pocillator, matura, ſed florenti adhùc ætate annorum ſex, & quinquaginta, Virginei partus 1492. VI. Idus Nouembris curriculum vitæ compleuit. In SS. Triadis requieſcit ſub hoc Epitaphio.

D. S. -- MELOCIJ FOROLIVIENSIS -- PICTORIS EXIMIJ -- OSSA -- VIX. A. LVI. M. V. -- OB. AN.....

Cętera quæ deſunt, ſepulcralis lapidis fracturà perierunt. Adhùc tamen extat in ora marmoris inſculptum Stemma leonis in ſiniſtro pede ſtantis: additum deindè ſupèr Familiæ Inſignia cernitur Symbolum Solis. Antonius ex fratre Melocij natus, ob merita præſtantis Patrui, & fauorem Regnantis Domus ab exigua fortuna egreſſus, non ſolum equeſtri baltheo, ſed Imolæ Commenda, & Regimine exornatus, honorificè admodùm deceſſit.

[1] *Franciſcus Scanellus in Microcoſmo Picturæ pag.* 121.

FRANCISCVS

FRANCISCVS MINCIOCHIVS.

GEnitorem Sebaſtianum habuit, non obſcuri nominis Pictorem, & Annalium Patriæ Scriptorem. Is cum à paterno exemplo, ſtimuloque naturæ ad exercendam Graphicen incitaretur, apùd Ioannem Licinium Pordenonenſem primas rerum, & figurarum deſignationes ducere, deindè ſub eodem præceptore pigmentis imagines perficere cępit. Ea autèm acceſſit difficili ſtudio induſtria, vt breui in inuentis, & teneritudine rerum exprimenda præſtans factus, vel non mediocritèr hac arte inſtructis magnoperè placeret, neque imitationem eiuſdem dedignarentur; cum fortè ea ætate fuerit nemo, qui ad natiuam ſpeciem res præſtantiùs traduceret. Non pauca tanti Pictoris Opera ſuperſunt. In S. Crucis, Aram exornat Nob. Chelinæ ſtirpis Tabula D. Pauli diuinitùs inſtituentis Epiſcopos, qui in libris ab Angelorum manibus elegantiſſimè porrectis, Magiſtri præcepta exarant. In D. Franciſci, & in Sacellis Nobb. Familiarum Menghiæ, Saxiæ, & Bricciolæ tres occurrunt. Quæ ad dexteram Oſtio maiori adhæret, D. Ioannem Euangeliſtam exprimit, venerando ſeni Hectori Menghio, Templi, & Cęnobij Conditori, DD. Dominicum, & Franciſcum, qui Eccleſiam Dei collabentem ſuffulciunt, indicantem. Altera Depoſitionem Chriſti à Cruce, cum lacrymantibus Marijs, & SS. Genitrice in collum prolapſa exanimati Filij, in quarum ſquallenti aſpectu męſtitia, & luctus mirificè animos commouent. Ad læuam oppoſita Pictura oſtendit

Orientis

Orientis Reges infanti Deo munera exhibentes, quem etiàm Foroliuij Principes Catharina Rangonia mater, & Pinus Ordelaphus in genua procumbentes adorant. In SS. Triadis duæ extant Tabulæ: Prima, & amplior olìm Altaris maximi, D. Mercurialem, & plurium Sanctorum imagines repręſentat, vbi alij ex beatis Spiritibus Æterno Patri obſequuntur, alij laureolas capitibus Martyrum ſuperuolantes pollicentur: Minor altera in arà Nob. Settorum Gentis, Deiparam ſupèr nubes à cętu Seraphim geſtatam; quæ DD. Franciſcum, & Hieronymum gaudia ſupernæ felicitatis docet. Neque Pictorum cultores adire remotum, vulgò Cratæ Fanum, Vrbis męnibus conterminum pigebit, vt eximios ibidèm labores perpendant. Ibi tamèn penſabitur mærore voluptas: Quippè proſpectus Aræ tabulam exhibet Deiparæ, tanto Magiſtro parem; non ætatis edacitate, & madore conſumptam: quæ verò picturæ medianos parietes, & teſtudinem præclarè decorabant, emarginato paſsìm cęmento ceciderunt. In apſide autèm remanent veſtigia Dei Patris, cui Angelorum globus eo, quo par eſt obſequio famulatur. Sub arcus facie, ſupèr Altare terminantis, Natalia Saluatoris expreſſa ſunt, vbi & Infantis Dei, & Sanctorum Parentum vultus intèr tenebras noctis ſplendores beatos iaculantur. Ad lęuam Sacelli patet Mariæ Aſſumptio, ſed quæ dextrorsùm cernebantur albarij velamento obducta perierunt. In poſteriori Periſtylio Min. Obſeruantiæ duo proſpectus oculos prætereuntium cient. In altero D. Hieronymi, ſaxo tundentis pectus, Imago conſpicitur, quæ abſciſſo pariete, & aſſeribus excepto, nùnc Sacellum ægrotantium proſpectat.

ſpectat. In altero DD. Franciſcus, & Dominicus ſeſe in deſcenſu Scalarum Apoſtolicæ ædis complectuntur, ea mutui, ſanctique amoris expreſſione, pulcherrima ſpecularum varietate, ac prçſertìm ſimillima pauperis, & Hiſpani forma, vt eas eminùs videntes de veritate rerum ambigere poſſint. Hæc in Templis, & Cçnobijs, in priuatis autèm & publicis domicilijs non minùs admiranda. In Publico Reprçſentantiũ Palatio Franciſcus Aulas Nympharum, & Angelorum picturis ſuis inſigniuit. Ibì fornicem, & circà muros Camçnas nouem pinxit. Hìc, & intèr tigna inaurati laquearis quatuor Amnes Paradiſum irrigantes, & propè arborem fatalem tremulos, & metu ferè exanimes primos humani Generis Parentes, qui ab horto voluptatis minaci Cherubim gladio depelluntur. Tàm viuidè in iſtis ſimulatus eſt pauentium animorum habitus vt nullo ſanè artis conatu mellùs imitari queat. Alia Minciochius Foroliuij elaborauit, & foris, & alibì haud pauca. Fauentiæ in templo Ordinis Hieroſolymitani ad ſepulchrum Equitis Sabbæ Caſtillionei effigies ex luminibus, & vmbris, quæ celeberrimi Viri Hieronymi Trauiſij picturas æmulantur. Laureti in Baſilica S. Domus, & in Sacello diuini Panis vdo tectorio pluuiam Mannæ, & Sacrificium Melchiſedech ex ariſtis, & vua, quæ tanti Sacramenti myſterium præfigurant. In æde S. Annæ à dexterà Natiuitatem, à lçua Almæ Virginis Sponſalia expreſſit. Vrbini in Ducali Palatio, & in Venetiarum Templis clara artis ſuæ teſtimonia futuris çtatibus reliquit. Demùm vniuerſç Italiç notiſſimus ab humanis exceſſit anno çtatis ſecundo ſuprà ſeptuageſimum, Reparationis noſtræ 1574. Vulgò ſenex S. Ber-

nardi

nardi nuncupabatur , quod Domus eius ad lęuum latus Templi ſub eo titulo ſita eſſet [1] . Ex filijs, qui in Patris ſtudio remanſerunt Petrus Paulus emicuit , Pictoribus paucis temporis ſui poſtponendus. Franciſci Imaginem Mercurialis Marinus typis ęreis deprompſit an. 1585. Erat ille , quoad corpus , rotundo vultu , lata fronte , ſincipiti caluo , oculis profundis , ac nigris , naſo aquilino , ac pallenti cute , quo verò ad præſtantiam artis, tantus, vt ex illis, qui caſtigare vetera , & noua afferre ad perfectam naturę imitationem potuerunt , nemini poſt Titianum Vecelium , & Raphaelem Sanctium, abſque aliorum iniurià ſecundus habeatur .

INtèr Italos reſtitutà , poſtquàm obſoluerat, pingendi Arte , hanc laudabilitèr admodum profeſſi ſunt

GVILLELMVS ORGANVS Giotti non ignotus tyro , qui rude aliorum ingenium exacuit , & Picturam , cum omnibus ſcientijs, & artibus à populorum barbarie deturpatam , expurgauit : Circà annum 1300. Reparationis noſtræ vixit (2) . Supererant Foroliuij in priſco Choro D. Dominici eius accepta ſatis commenta , quæ ſolitę tempeſtatum vices abſtulerunt .

[1] *Franciſcus Scanellus in Microſtomo Picturę lib. 1. pag. 104., lib. 2. pag. 259.*

(2) *Georgius Vaſarius lib. 1. pag. 13. in Vita Giotti .*

PAX

PAX BOMBACIVS inter Pictores Architectos celebris profectò nominis locandus eſt. Xiſto IV. Pont. Max. inſeruiuit: D. Sebaſtiani ſacra ędes, & S. Mariæ vulgò à vulnere, quæ hiſce temporibus in vnum Templi corpus cum Cathedrali conſurgit, Architectonicæ pręſtantiam laudati Artificis comprobant. Imagines porrò phrygio opere elaborabat, ſibique acus mirè pro pennicillo ſtabat.

MARCVS PALMEGGIANVS ex nobili natus, & antiqua ſtirpe, amęnum picturæ ſtudium non ſpe lucri, ſed illecebra voluptatis coluit. In cunctis penè Foroliuij Templis Diuorum Tabulas perfecit, præſertim in S. Crucis, vbi Saluator ſemet Apoſtolis ſuis ſub Euchariſtiæ Sacramento comedendum tradit. In D. Hieronymi pinxit ſacella nobilium Gentium Aconciæ, & Gaddiæ à ſummo fornice ad imum ſolum cum hiſtorijs, quæ exornant parietes medianos: Cottignolæ in Fano Minorum Obſeruantiæ tabellam paruam, ſed ingentis pretij, in qua obtruncatum Pręcurſoris caput męſtum pallorem mortis ad vnguem imitatur. Obijt longęuus poſt annum Salutis 1500., fuitque in proſpectibus, & flexibus veſtium exprimendis longè antè alios ſuæ ætatis pręſtans [1].

LIVIVS AGRESTVS feracià ingenij, & excellenti manus facilitate admirandus. In S. Crucis adhùc iuuenis apſidem, & parietes Sacelli Sacramento erecti, hiſtorico labore decorauit. In ędibus Nobb. Familiarum Taurellæ, Iulij Cęſaris geſta, Vrſellę Poetarum varia comenta expreſſit. In Aula

[1] *Franciſcus Scanellus in Microcoſ. Pictur. lib. 2. pag. 223.*

verò Senatorij Conſilij, Foroliuienſium triumphum poſt cladem Bononienſi exercitui irrogatam: Rauennæ in Delubro Sancti Spiritus vndecim Archiepiſcopos cęleſtis Columbę portento electos: Romę in Aula Regum, & veteri Palatio Vaticani maritimum prælium, & alia dilutis coloribus perfecit: In Templo D. Catharinæ de Funarijs nuncupato, eiuſdem Virginis martyrium: In S. Spiritus in Saxia tres Altarium Tabulas, vbi Chriſtus mortuus, Auguſtiſſima Trinitas, & Deiparæ Aſſumptio, cum alijs circà medianos parietes myſterijs, & prodigijs inſpiciuntur. His operibus ad tantam peruenit famam, vt à Cardinali Auguſtæ Vuindelicorum in Germaniam duci meruerit. Ibi maturà ætate intèr eximios labores peractà, ad Almam Vrbem redijt, in qua dies ſuos clauſit. Nouum genus pingendi inuenit supèr telas argenti textilis, quæ vim quamdam pigmentis ſuperaddunt; ſeptemque hiſtorijs Thalamum Philippi II. Hiſpaniarum Regis in celeberrima Excurialis Baſilica exornauit. Fuit peregrinis inuentis ea ętate præcellens, & prælijs vdo tectorio ſimulatis poſt Polidorum princeps. (1).

PETRVS PAVLVS MINCIOCHIVS ſub rudimentis Franciſci Patris rariores picturæ leges imitari ſtuduit, atquè contendit. Eum tamèn niſi ęquauit præſtantia, numero pictarum rerum ſaltèm vicit: feliciſſimus certè fuit ad inueniendum, ad exponendum velociſſimus. Operuit totum laqueare Templi Societatis Ieſu Imaginibus, ſacriſque hiſto-

(1) *Vaſarius part. 3. vol. 2. pag. 217. - Scanellus lib. 2. pag. 189. - Titus pag. 22. 23. 76. 163. 389. 407. 412.*

rijs,

rijs, & in altero Minorum Obſeruantiæ Peryſtilio triginta ſex arcuum facies Seraphici Patris miraculis laudabilitèr impleuit. His, & alijs Tabulis, quibus Patriam locupletauit, ſtudioſis dedit plurima imitationis exempla, & argumenta felicis admodùm recordationis.

IOANNES FRANCISCVS MVTILIANA hanc iucundiſſimam diſciplinam profeſſus eſt circa decimum ſextum ſęculum Incarnationis Chriſti. At quantùm ingenio, artificioque valeret, ſatìs, ſuperquè conſtat ex nonnullis fornicibus exterioris ambulacri Minorum Obſeruantium Familiæ, vbi D. Hieronymi miracula egregiè, & præſtantèr exhibentur. Longè verò cęteris antecellunt quatuor hiſtoriæ in D. Ioannis Decollati ad lęuam introitus expreſſæ, & naturali analogià, & arte, vt intèr celebres picturas in Vrbe noſtrà inuiſantur frequentiſſimè.

IOSEPH GALLEPINVS apùd Bartholomæum Gennarium Picturæ vacauit tantà ſtrenui magiſtri imitatione, vt illo haud minor euaſurus ſperaretur, niſi immaturà prçoccupatus morte à viuis abijſſet. Id ſatis euincunt duo Tabulæ; altera, quæ eſt in Templo Monialium D. Catharinæ, Sponſalia cum Ieſu mòx futuræ martyris oſtendit; altera, quę in Fano Capuccinarum, S. Eliſabeth Luſitaniæ Reginæ ſupernam gloriam, regali conculcatà, meditantis, repræſentat.

CAROLVS CIGNANVS Bononienſis natalibus, ſed domicilio Foroliuienſis, in qua ciuitate conſenuit, & collocatà, ac relicta ſtirpe occubuit. Sub Franciſco Albano eam Artem ex cognitionibus rerum, & animaduerſione percepit, vt picturis ma-

turà ætate, & ſcientià, confectis, nullum perfectionis genus deſideretur. Ex multis Tabulis, quæ in diuturno vitæ interuallo pinxit, magìs celebrantur, Florentiæ in Ducali æde Venus intèr Amores, Genioſque, in quorum aſpectibus omnium Gratiarum ſpecies eluceſcit: Iſmaelis hiſtoria, Ioanni Sabieſcko Poloniæ Regi: Tres Tabulæ Chriſtianiſſimo Regi Ludouico XIV., Depoſitio ſcilicèt Saluatoris à Cruce, Chriſtus ſub Olitoris imagine, & Sponſalia D. Catharinæ: Iupiter à capra lactatus in antris Montis Idæ, & D. Ioannes Baptiſta in Eremo pęnitentiam agens Guillelmo Palatino Rheni, ità numeris omnibus abſolutus, vt ille Princeps mirabundus in ora tabulæ inſcribi voluerit *Opus præcipui Pictoris Mundi*. Pinxit quoquè Electori Bauariæ ſacram Familiam, vbi Deus Pater Deo filio porrigit, velut ſceptrum, crucem: Oppauiæ Duci, ebrium Silenum cum illudentibus circùm Nymphis; & Comiti Kaunitio, Parentes humani Generis propè arborem mortis, eà membrorum elegantià, ac pulchritudine, vt nil præterea virili dignitati, ac muliebri formæ deſiderari poſſe videatur. Hæc, & alia in Tranſalpinis Regnis, nec in Italia minoris excellentiæ, potiſſimùm Bononiæ, ac Foroliuij elaborauit; quæ tamèn omnia longè pręſtat celeberrimus in Cathedrali S. Mariæ ab Igne Tolus, vbi extremam vim Artis collocauit. Hic enìm Maria ad Cęlum aſſumpta, obuijs Angelorum choris, ab Auguſtiſſima Triade aſtrorum Coronà redimitur, dum Sancti veteris, & noui Teſtamenti eidem velut Reginæ venerabundi occurrunt, & varias coronas vouent: Abraham pro Patriarchis oleaginam; Dauid pro Prophetis lauream, Melchiſedech

dech ex ariſtis, & vua; Stephanus pro martyribus palmarum; Ioſeph pro Virginibus liliorum; Michael Archangęlus pro nouem Cęleſtium Spirituum Legionibus igneam; vt tandèm, quod in Cor hominis nunquàm aſcendit, meliùs ſimulari ſenſuum noſtrorum imbecillitati nequeat. Tàm dignus Vir, à Principibus Equitis, Comitiſque titulo honeſtatus, & à Liuienſibus intèr Nobiles, non vltrà tamèn eius vitæ curriculum exceptus eſt. Tandèm vltima ſenecta confectus, nonageſimo tertio ætatis, ſalutis 1719. interijt, duobus relictis liberis, Felice Graphices ſcientià eximio, & Philippo Archipręsbytero Cathedralis Parmæ.

PHILIPPVS PASQVALIVS intèr Caroli Cignani alumnos fortè princeps, à quo miram teneritudinem, & colorum viuacitatem didicit. Pinxit in Rauennati Metropolitanà Tolum; In voluptuarià æde Raſponiæ Gentis pulcherrimam Pinacothecam. Foroliuij autèm in ſacris, & prophanis domibus non pauca, à quibus plurimam laudem meritò retulit. At quæ in Templis Monialium S. Mariæ à Ripa, & Ordinis Camaldulenſis vigent, cęterorum eius operum perfectiones colligunt. In Tabularum alterà D. Romualdus Camaldulenſes inter ſaltus, fremente Dęmone, Cęli bona perpendit; In altera SS. Dei Mater Diuam Eliſabeth inuiſit, & ſuperno palàm amore complectitur, vt nèc in lineamentis, nèc in natura rerum exprimenda homo concipere meliora poſſet, & manus miniſtra mentis efformare.

ANDRÆAS FELIX BONDVS primis ſanè pictoribus ęui noſtri comparandus, niſi malè affectus, & nunquàm recuperata valetudine ab opere

ceſſare

ceſſare coactus eſſet. Etenim acie ingenij, & alacri promptitudine pennicilli excellens tot opera, & profectò miranda elaborauit, quot alij vix in longęuæ vitæ ſpatio perfeciſſent. Domus nobilium non ſolùm eruditis hiſtorijs, & amęnis fabulis ornauit, ſed multas etiàm Flaminiæ, & Piceni Vrbes. Foroliuij tabulæ, quæ magis celebrantur Templa inſigniunt Sanctimonialium Capuccinarum D. Franciſci Aſſiſienſis, Ordinis Carmelitani D. Andreæ Corſini, Congregationis Oratorij Chriſti à ligno pendentis, & Minimorum in Ara Nob. Familiæ de Saxis D. Franciſci de Paula, Iuuenem extinctum ſuſcitantis, in quibus quantam vim habeat Ars imitatrix naturæ, & idea rerum ſimulatrix mirè compertum eſt.

DE VARIJS LITERATIS

CAP. VIII.

ILlis & locus debitæ, ac iuſtæ laudis dandus eſt, qui in ſtudijs literarum, quamquàm inferiori ſanè famà prę-ſtiterunt: & primùm antiquis Prætoribus ob excellentiam, & nobilitatem gradus, qui olìm ſummo iure in Populis ad legum normam in æquitate, & concordia continendis, vtebantur.

LAVRVS CARDANVS non Prętor, ea nondùm tùnc temporis inſtitutà dignitate, ſed Cremonæ Rector anno Sal. hum. 251. claro perfunctus Magiſtratu, vbi filios Liuium, & Anchiſem genuerat, in Patriam ſeceſſit, ac ędes firmiſſimis turri-

bus

bus munitas excitauit. Verùm intèr eum, & Guidonem Cogeriam Optimates Vrbis exorta atroci ſimultate, diuiſis Populi, & Nobilium animis, implacabili odio per annos ferè biſcentum contenderunt, ipſis domuum parietibus cruore reſperſis, ac fędatis; non enìm debacchantium Ciuium æſtus priùs obtepuit, quàm Radagaiſus in Italiam irruperit cum immenſa penè Gothorum multitudine, vt illam dirà ſeruitute manciparet [1].

SPINVCCIVS ASPINVS Fidentinam Præturam cum laude exercuit an. 1202. (2). Hæc vetuſtiſſima, & illuſtris Propago à præcipuis Ducibus Nationis Gothorum ſata, Caſtrorum Dynaſtià pręfulſit in Ariminenſi Agro, beneficiaria Rauennatis Eccleſiæ, qua primùm Aſpinus, & deindè filij Guillelmus, & Liberius potiti ſunt an. 1224. (3) De Spinuccio autèm præter hæc nulla vigent monumenta.

SVPERBVS ORGOLIOSVS, qui ſuauiſſimos mores, ac humanos habuit, nèc nomini, nèc cognomento reſpondentes, Foroliuianam adijt an. 1202., & tanto plauſu abſoluit, vt Populus ab eo dimiſſa prætoriæ dignitatis inſignia, in Agnatum conferre iudicauerit.

ORGOLIOSVS DE ORGOLIOSIS Superbo ſucceſſit, & munus, poſt varios annos communibus

[1] *Ex Chron. Antiquiſs. exſcript. ab Eugen. Menghio ad an. 251. Sal.*

(2] *Idem ad ann.* 1202.

(3) *Vbaldus Branchius in Chron. Arimin. Script. ſub an.* 1430. — *Hieronym. Rub. in Hiſt. Rauen. lib. 6. pag.* 392.

ſuffra-

ſuffragijs, & votis reuocatus anno 1214. adminiſtrauit familiari potentià ſuffultus, & Anteceſſoris meritis, quæ eum ad togatum imperium extulerunt.

RAYNALDVS CAMINATENSIS ex Belmontio Genere Liuianum Regimen adiuit an. 1237. Cum verò nimijs polleret opibus, quæ interdùm officiunt libertati [nàm prætèr Caminatas auitæ Ditionis ſedem, Meldulæ, Pondo, Glaceolo, Brixichellæ cum tota Anemonis Valle dominabatur] tyrannidem Patriæ, Regni concupiſcentià victus affectauit. Has vbi nouit populus inſidias, correptis armis prępotentem Ciuem à Præturà eliminauit; & vſquè ad domeſticam munitionem inſectatus, ſtatìm adoriri decreuerat, niſi prudentum conſilia tumultuarium aſſultum cohibuiſſent: Cùm autem in ſuppoſitam planiciem populabundi hoſtes perſæpè excurrerent, tandèm Caminatenſem Arcem, Ciues acerrimè impetitam, & captam ſolo æquarunt. Ità Raynaldus priſco domicilio orbatus, Ariminum ſe ſe recepit, vbi Guido ex ſe, & Ioanne Malateſta ortus, in ſpecula Epiſcopali conſidebat, ac intèr Ariminenſes inclytam, & generoſam poſteritatem propagauit. Fratres ſortitus eſt Goufredum magnæ integritatis Præſulem, & Bononiæ Legatum an. 1265., ac Draconem prò Carolo Neapolis Rege vniuerſi equitatus Præfectum, Montis Sardi, Montis Piloſi, Alexani, ac aliorum oppidorum Principem, Honeſtæ ex Comitibus Calbuli Foroliuienſis Virum; alterum togà, alterum ſago memorandos (1).

[1] *Io: Petrus Creſcentius in Corona Nobilit. Italię part. 2. pag. 273. - Petrus Belmontius in Geneſi Familiæ ſuæ pag. 51.*

THEOBAL-

THEOBALDVS ORDELAPHVS Fauentinam Præturam bis accepit, & geſſit: primò nempè an. 1241., quo eà Ciuitas à Friderici Imperatoris copijs victa, aduerſæ fortunæ ceſſit, & in clientelam Foroliuienſis populi Cęſaream ſequentis venit; deindè an. 1274. ab Accariſia Sectà Manfredę infensà, accitus, & in conſpicuo officio collocatus, repentè viam vniuerſæ carnis introiuit (1).

THEODORICVS ORDELAPHVS ad Cęſenatem electus an. 1275. (2). Tùnc Cęſena viribus Liuianis circumſepta, & iacturà validæ Rouerſani Arcis territa, illis reſiſtere non diutiùs potuit, quin Foroliuij potentiæ, nouis, & magnis dominij incrementis florenti obtemperaret. Fuit Theodoricus & Senator prouidus, & Ductor fortiſſimus, cui nèc in anfractibus rerum conſilium defuit, nèc in bellis gerendis prudens calliditas.

ORGOLIOSVS DE ORGOLIOSIS Theodorici ſocius in Cęſenati Magiſtratu, quem æquabat virtute politicà, ac militari. Ab hac ſummam præſertìm laudem retulit: verùm fęlicitèr exactos in togatis, & bellicis officijs dies, infauſto conflictu terminauit. Etenìm dum Guelphæ factionis ſtudijs fultus, & Gilberti Sentilli pro Roberto Neapolis Rege Flaminiæ Comitis tutela fretus, vnà cum Marcheſio fratre germano, Patrię imperaret, ab armis Ordelaphorum, & Calbulenſium ex inopinatò adortus, poſtquàm virili ſanè conſtantià reſti-

(1) *Iul. Cęſar Tonduccius in Hiſtor. Fauent. part. 2. pag. 280.*

(2) *Scipio Claramontius in Hiſt. Cęſen. lib. 9. pag. 339.*

tiſſet, cadens in vulnere, amiſit Regnum, & vitam an. 1315.

PAGANINVS DE ORGOLIOSIS Auorum inſiſtens exemplis, Romanæ Eccleſiæ partes mirà virtute defendit; quamobrèm in odium ciuium, ac bonorum omnium publicationem incidit. At cum, peruicacià depoſità reſipiſcentes, ad Martini IV. clementiam Foroliuenſes confugerent, ipſe non ſolùm veteribus diuitijs reſtitutus, ſed in Prætorià Sellà locatus eſt an. 1284. Quippè Martinus in eius potiſſimùm fidelitate, ac vigilantia, ſpem continendæ in officio ferocis Ciuitatis repoſuerat.

ORDELAPHVS DE ORDELAPHIS Fauentinum regimen non ingloriè peregit anno 1297. [1], eo temporis, quo vniuerſa Flaminia motibus armorum ęſtuabat, & priuſquàm Bandinus Mutilianę Comes poſteriorem anni ſemeſtrem adminiſtratione clauderet. Hic Vir inſignis & pace, & bello magnoperè valuit, æquè rectus Iudex, atque dux inuictus, quibus in muneribus diù clarus occubuit.

LAMBERTVCCIVS ORGOLIOSVS ad Foroliuij Præturam euectus anno 1301. Hìc annus diù memorandus fuit, ob tabulas fęderis intèr Bononienſes, Liuienſes, Fauentinos, Cornelianos, Piſtorienſes, & Exules Albæ factionis, coràm Lambertuccio, & Collegà Fauentiæ firmatas, quod ad propulſandos bellicos apparatus Azzonis Ferrariæ Marchionis, Duce Salinguerra Taurello conflatum eſt.

FRANCISCVS ORDELAPHVS conſors benè geſtæ rei, & prætoriæ dignitatis Foroliuium egregiè adminiſtrauit, & nomen ſuum apùd futuras ętates lon-

(1) *Tonduccius in Hiſt. Fauent., & Indic. Prętor.*

tes longæuum, & inclytum reliquit. Erant in eo literæ cum peritià armorum, quibus æquè acceptus euaſerat Populis, & bellatoribus, vel illis præeſſet, vel iſtis imperaret.

PETRVS ORGOLIOSVS primà florente ætate ſe legali diſciplinæ, & togatis miniſterijs dedit, vt moderari Vrbes, & peruenire ad clariſſimos Magiſtratus poſſet. Intèr hos gradus tranſegit vitam, & in Senenſi Præturà conſedit an. 1313. (1). Tandèm varijs Præfecturis non ingloriè perfunctus, requieuit.

NICOLAVS EX COMITIBVS CALBVLI ſuis, & nobiliſſimæ ſtirpis ornamentis Patauinam meruit an. 1313. Non tamèn expleuit annos in munijs pacis, ſed in exercitijs belli, ad quæ ſecreta vi generoſi ſanguinis vocabatur; & ità militari glorià onuſtus ab hac vita migrauit.

RAMBERTINVS ORGOLIOSVS ſedato feruore iuuentutis intèr motus Patriæ, & Familiæ, quibus modò vltioni, & modò laudi inhians, acri ſtudio vacauit, ad togæ officia, atque ſcientias conuerſus, æſtu ſeditoſi animi interruptas, Prætor Senas gubernauit an. 1315. (2).

IOANNES ORDELAPHVS Franciſci filius conſenſu, & decreto Patris, qui non ſolùm Foroliuij, ſed Cęſenæ regnabat, Cęſenatem ſellam aſcendit an. 1335. (3), tùnc ab armorum exercitatione

[1] *Thomaſius part. 2. pag. 188.*

(2) *Ex libro M. S. Bicherna* 3. *n.* 110. *pag.* 123. *in Archiu. Senarum.*

[3] *Claremontius in Hiſtor. Cęſen. lib.* 13. *pag.* 555.

ſeriatus, quibus plùs temporis dare conſueuerat, quàm doctrinæ, quaſi ob oculos haberet exempla, & fumoſas imagines fortium progenitorum. Ex Thaddęa de Malateſtis Principum Ariminenſium duos mares ſuſcepit, Ceccum, & Pinum, fęminas totidem, Eliſabeth, & Iſabellam Franciſco Foliano Domicello Regienſi iunctam.

GVIDO ORGOLIOSVS delapſis ſuæ Gentis rebus, iniquæ fortunæ caſus honeſtis, & claris officijs ſuſtinere, ac reparare niſus eſt; dum alij Agnatorum ſuorum extorres, & Ordelaphis inuiſi, à quibus expulſi fuerant, intèr arma ſubſidium communibus familiæ ærumnis quæritarent. Guido in Euganeis Taruiſinam Præturam geſſit an. 1326. (1).

FRANCISCVS è ſtirpe CALBVLA, prudentià, ſcientiaque ornatus, quibus moderatores Vrbium in dicendà Iuſtitià, & tranquillitate fouendà vtuntur, ob priſcas ſimultates Bononienſis cum Foroliuiano populo, Bononiæ Præturam comparauit an. 1366. Hoc, & alijs Magiſtratibus exactis, cum Patrià exularet, Florentiæ reliquos dies traduxit, & clauſit an. 1382., æterno ciuibus ſuæ abalienationis, & Florentinis, apùd quos benignum hoſpitium inuenerat, grati animi teſtimonio dato; nàm teſtamentarijs tabulis Ciſapenninam Calbulenſis Familiæ Ditionem amicæ Reipublicæ reliquit (2): In ea ſiquidèm numerabantur caſtra Particetæ, Montis Cerri, Vrſarolæ, S. Donini, Calbuli, Buſfolani, Monſignani, Arcis S. Caſſiani in Caſtatico,

(1) *Bonifatius in Hiſtor. Taruiſ.*

(2) *Ex rogit. Angeli de Caurtanis Not. Floren. 27. Auguſti* an. 1382.

Montis

Montis belli, Petræ Appiæ, S. Caſſiani in Apennino, Montis S. Petri, & Salti Flumanæ, quod dominium per ſubalpinos montes longè, latèque extendebatur, & à meridie Foroliuienſem agrum quaſi obſepiebat.

FRANCISCVS ORDELAPHVS non Maiorum veſtigia ſectatus, qui bellicam ſitientes gloriā, in prælijs fortitèr certantes conſenuerunt, ſed togatam amans vitam, iàm ſatìs imbutus artibus, quæ ad dirimendas Fori controuerſias requiruntur, Præturas exercuit, & in his Cremonenſem an. 1366., quo Barnabas Vicecomes Dominator Inſubriæ Genuam inuaſit [1].

ANTONIVS ARSENDVS poſt direptam, & nefariè cruentatam à Britonum exercitu Cęſenam, à Cardinali Gebennenſi Pontificio Legato in Prętura collocatus, quemadmodùm Venturinus Benzonius Cremenſis in Præfectura anno 1377. [2], eam adhùc fumantem ciuili ſanguine, & vaſtationis memorià inhorreſcentem, miti, & ſapienti adminiſtratione ſolari contendit, ac ſtuduit.

LVDOVICVS A' FOROLIVIO, ſed ex qua Domo natus ignoratur, cum ad regimina Ciuitatum, & legum ſcientià, & alijs dotibus aptus haberetur, Senarum Prætor renunciatus eſt an. 1377. Verùm eam dignitatem adire non potuit, paulò priùs, quam inſignia magiſtratus acciperet, à vita ſublatus [3].

(1) *Ludouicus Cauitellius in Annal. Cremon. pag.* 135.

(2) *Claramontius in Hiſt. Cęſen. lib.* 14. *pag.* 661.

[3] *Ex Chronica Senenſi M. S. Angeli de Tura.*

IOAN-

IOANNES HASTEVS varijs officijs candida fide, ac virtute perfunctus pro Cecco, & Pino Foroliuij Principibus, ad regendam, & in obſequio continendam montanam Ditionem Sarſinæ, & Oppidorum Comitatus Bobij, prætorio gradu, ac nomine amandatus an. 1398. [1], cam qua pollebat doctrinà, & integritate, ſummo etiam iure imperij adminiſtrauit.

GHERARDVS HASTEVS bonis artibus ornatus, ſiquis alius Ciuium, ſed præſertìm ſacra Decretalium facultate, in qua plurimos etiàm alienigenarum ſuperabat, Maceratenſem Præturam geſſit an. 1413. [2] multos antè annos, quàm Nicolaus frater ad Epiſcopatum acciretur.

ANDREAS MORATINVS ob claritatem virtutum ſuarum, & ſanguinis, ad præclaram Senarum Sellam electus an. 1420. (3), effuſo obuiàm populo ſub Vmbellà exceptus, & ad Prætorium deductus, magnà, vt tùnc moris erat, pompà Magiſtratum adiuit, nec minori exitus felicitate perfecit.

PETRVS PAVLVS HASTEVS ſatìs cognitus ſcientià, ac fide Philippo Mariæ Mediolani Duci, Foroliuianam obtinuit an. 1425. [4], eà ſe ſe abdicante Franciſco ab Auria Ligure ob metum graſ-

(1) *Ex rogit. Dominici de Florentiola* Not. *Sarſinat.* 5. *Aprilis an.* 1398.

(2) *Pompeius Campagnon. in Regia Piceni part.* 1. *lib.* 6.

[3] *Ex libro Bicherna n.* 295. *pag.* 32.

[4] *Archang. Albertinus in* Chron. *Forol. M. S. ad an.* 1425.

ſantis

ſantis luis, quæ modico tempore ad quatuor mille hominum capita deleuit, & ipſum Theobaldum Ordelaphum puellum abſtulit, ſub patrocinio tanti, ac præpotentis Principis regnantem.

IOANNES ALEOTTVS, cui nullum genus doctrinæ defuit, nec prudentiam, nec in agendis rebus ſolertiam natura denegauit, domi, foriſquè munera, & Præturas exercuit: Anno 1428. Piſaurenſem non abſque laude abſoluit: ad Patriam autèm reuerſus, & ab Antonio Foroliuij Regulo Vicaria poteſtate decoratus an. 1433., eam quoquè intèr Ciuium præconia compleuit (1).

BARTHOLOMÆVS MANFREDVS Vallis nucis Comes, ex Dynaſtarum Fauentinorum ſtirpe, antiquitùs in Proauis hac Ciuitate donatus, cuius Domus cum nobilibus familijs Palatinà, Angelerià, Beccià, Auguſtinà, & alijs connubia contraxit viciſsim. Foroliuium an. 1411., deindè Auximum an. 1429. Prætor gubernauit [2].

RAYNERIVS MORATINVS peritiſſimus in vtroque iure Doctor, dignus repertus eſt, vt populis præeſſet. Primùm à Dominico Capranicà Romano, Flaminiæ Præſide, Moderator Imolæ creatus an. 1427.; deindè poſtquàm non diù Cornelianis dediſſet iura, relinquens Paulo Latioſo adminiſtrationem, ad alia migrauit, & an. 1433. munus Peruſinum obtinuit (3).

(1) *Ioan. Dipintor. in Chron. Forol. M.S. ad an.* 1433.

(2) *Aloyſ. Martorellus in Mem. Hiſtoric. Auximi, in Indic. Prætorum.*

(3) *Dipintor. in Chron. M. S. ad an.* 1433. *&* 1441.

IACO-

IACOBVS ROSETTVS togæ ſequens officia, quæ ſcientiam legum, & veram viuendi normam prudentiam exigebant, anno 1435. Patriæ Præturam vnanimi ciuium conſenſu iniuit (1); quamquàm exteri ſolùm, tanquàm à nexibus affinitatum, & ſuſpicione factionis immunes ad Iuſtitiam adminiſtrandam eligi conſueuerint.

BAPTISTA TAVRELLVS, quem politica virtus extulit supèr multos ætatis ſuæ, diù in Aulà Sfortianà apùd Franciſcum Piceni Marchionem, Cremonæ Dominum, & S. R. E. Confalonerium verſatus eſt. Anno autèm 1442., quo Principis ſui negotia inter Picentes procurabat, eius permiſſu Auximanam Præturam obijt, reliquos autèm dies in pertractandis magni momenti rebus, varias peragrans Mundi Regiones collocauit; vt liquet teſtimonio Franciſci Diplomatum, quibus Nobilis Viri, Domeſticique fidiſſimi elogio decoratur (2).

IOANNES VRCEOLVS ab intimis conſilijs Cecchi Ordelaphi Foroliuienſis Reguli, qui in illis ſempèr præſtare nouit fidem ergà ſe inconcuſſam. Nèc minùs doctrinà valuit Ciuilis Iuris, quàm prudentià, Florentiæ potiſſimùm, vbi Prætoris clariſſimum gradum impleuit an. 1466. (3).

LVDOVICVS PAVLVTIVS ſecutus eſt li-

(1) *Matthæus Vecchiazzan. in Hiſtor. Pompil. part. 2. lib. 10. pag. 109.*

(2) *Ex Diplom. Franciſci Sfortiæ, Dat. Sanguineti 20. Ianuar. an. 1442. - Martorellus in Mem. Hiſtoric. Auximi, in Indic. Prætor.*

[3] *Ex Libr. Capricorno, in Archiu. S. Mercurial. lib. 2. pag. 70.*

teras

teras ; præſertim legales, quibus populorum mores, pacis, & iuſtitiæ rudimentis imbuuntur. Varios Magiſtratus Ateſtini dominij obiuit, Iuſtinianeos Codices in Ferrarienſi Gymnaſio interpretatus eſt, & Forocornelianam Præturam rexit an. 1474.; quibus virtutum, & rerum geſtarum meritis adeò gratioſus fuit apùd Herculem Ferrariæ, Mutinæ, & Regij Ducem, vt ab eo quatuor Aquilarum inſigne donatus ſit, in ſempiternum beneuolentiæ, & exiſtimationis monumentum, hac honorariâ paginâ : *Cum nobis perſpecta ſit fides, & integritas, quam generoſa Paulutiorum Familia ergà nos, & Illuſtrem Domum noſtram ſemper habuit inuiolabilitèr, vnicèque ſeruauit : Cum mirificè diligamus virtutem Clariſſimi Iuriſconſulti D. Ludouici filij Spectabilis Viri Hieronymi de Paulutijs, qui poſt iuſtè, & prudentèr, etiam in ipſa adoleſcentià adminiſtratos Ditionis Magiſtratus noſtræ, per ſex annos continuos, iura publicè Ordinariæ excellentèr in hoc noſtro Ferrarienſi Gymnaſio docuit : Propterea vt ipſi, & eius Domui de nobis optimè meritæ, maximoperè afficiamur, & intèr præcipuos, charoſque Amicos noſtros habeamus neceſſe eſt: Cum optimi Principis officium eſſe non ignoremus præclara ingenia ſempèr extollere, fauere, opem ferre, diligere, & amare, vt eorum exemplo homines ad benè, beatèque viuendum alliciantur, & clari euadant. Huius amoris noſtri ſigna aliqua ex parte oſtendere cupientes, motu proprio, ex certà ſcientià, & de plenitudine poteſtatis, qua publicè fungimur, Nobilibus Viris Hieronymo, Cecco, & Simoni fratribus, & filijs olim Spectatiſſimi Viri*

Paulutij de Paulutijs de Foroliuio donamus (1) : Tres Ludouico fratres extiterunt. Ille progeniem ſuam Ferrariæ reliquit; Franciſcus, & Antonius luis pauore Rauennam, & Venetias migrantes, ibi Genus tranſtulerunt; & à poſtremi ſemine ſuperiori ætate deſcendit eruditiſſimus Vir Antonius Sac. Rom. Rotæ Auditor; Foroliuianam autèm ſtirpem Paulutius natu primus propagauit.

IOANNES A' SELLIS intèr eximios Iuriſperitos, prudentes Conſiliarios, & Legatos temporis ſui recenſendus, ea munera non ingloriè perfecit, Aulam Principum ſuorum ſequutus, à qua interdùm receſſit, vt Auximanà Præturà an. 1482., Vrbinati, & alijs fungeretur (2).

MASIVS MALDENTIVS poſt inceſſantem operam legali diſciplinæ datam, varia Regimina aggreſſus eſt, in quibus Recinetum Prætor gubernauit. Hoc munus tantò populi, cui præerat, obſequio expleuit, vt circumſcriptum à ſtatutarijs legibus ſex menſium imperium, in annum prorogatum obtinuerit (3).

GEORGIVS THEODOLVS in ſtudijs ciuilis Iuris, & togatis officijs omnem ferè vitam collocauit. At quamuìs ætate viridis, prudentià maturus, ad Præturas Piſaurenſem, & Typhernatem

[1] *Ex Priuileg. Ducal. Dat. Ferrariæ* 12. *Iulij an.* 1477. - *Alexand. Paduanus in Chron. Forol. M. S. ſub an.* 1274.

[2] *Vecchiazzan. in Hiſt. Pompil. part.* 2. *lib.* 15. - *Martorellus in Mem. Hiſtor. Auximi, in Ind. Prætor.*

[3] *Angelita in Hiſtor. Recineti.*

electus

electus eſt. His multà iuſtitiæ, & comitatis laude exactis, dum ad Firmanam inuitaretur, in auitis ędibus, citiùs quàm par erat, occubuit. Iacet in D. Auguſtini vbi intèr ſepulchrales verſus, hi leguntur *Patriæ ſpes magna Georgj, Et Theodoleæ gloria certa Domus*. [1].

SIMON ALEOTTVS æquè doctus, ac ſolers fortunæ vices ſequutus eſt, dùm iſta faueret Riariæ ſtirpi, Octauiano fidiſſimus; dùm extolleret Borgiam, Cęſari nouo Flaminiæ Duci inſeruiens. Ab hoc Imolæ Prætor renunciatus anno 1500., & doctrinam, & ſolertiam laudabili adminiſtratione comprobauit.

IOANNES ANTONIVS BECCIVS re politicà, & literarià ornatus, Regimen Fauentinum accepit an. 1502. (2), non Prætoris, ſed Vicarij Ducalis poteſtate, quod recens Magiſtratus nomen, Cęſar Borgia, nobiliſſimis adoleſcentulis Aſtorgio, & Euangeliſta à celſa Manfredorum familia cretis, è medio ſublatis, Fauentiæ inſtituit. Verùm haud multò poſt corruente eius Regno, nequitèr, & iniuſtè parto, penitùs defecit.

Præter hos, multi ad conſpicuum Præturæ munus elati ſunt: ſed quoniam inferiùs, & ſparsim afferrentur, propterea ad Viros, qui reconditiora diuinæ philoſophiæ arcana feliciùs penetrarunt gradiemur.

PETRVS VITALIVS intèr Minores Obſeruantiæ emicuit, & ſublimi ſacrarum Literarum cognitione,

(1) *Ex Epitaphio in D. Auguſtini*.

[2] *Tonduccius in Hiſt. Fauen., in Ind. Prætor.*

tione, & integritate vitæ, quæ illi ad regulares gradus aditum fecerunt, & ad Eugenij IV. gratiam. Compertis à tanto Iudice ob diuturnam conſuetudinem virtutibus, Viro benemerenti contulit Commiſſariatus auctoritatem an. 1437., qua notiſſimus vbicumque locorum, plenus & meritis, & honoribus obijt.

IOSEPH CORTESONNIVS habitu Societatis Ieſu indutus, perfectâ viuendi normâ, & Theologicâ penitùs facultate ſingularem D. Ignatij beneuolentiam nactus eſt. Cùm autèm diſciplinâ Germanici Collegij ab eodem egregijs inſtitutis firmatâ, incrementum inuidendæ famæ peperiſſet, tandèm Romæ deceſſit an. 1556. (1).

PAVLVS RAFFAINVS Prædicatorum familiam, cui nomen dedit, ſanctimoniâ morum, & literarijs ornamentis decorauit, quamuìs ſempèr ea prętegere, & nihil omninò de eorum honoribus laborare niteretur. Nullà tamèn valuit Chriſtianæ perfectionis arte Præfecturas declinare, quin Prouincialis Ciſalpinæ Galliæ præficeretur. At gradum, à quo refugere nequaquàm potuit, magnis humilitatis exemplis inſigniuit; Amplos ſiquidèm eius Regionis fines pedeſtri itinere metitus eſt an. 1605., quo ſpecimine virtutis non minores modò, ſed ſui pares erudiuit (2).

HONORIVS CARPANTERIVS ex Ordine Minorum, ſcientijs ſcholaſticis excellens, & oratoriâ facultate modicè quidèm cultus, Bononiæ cum

(1) *Ex Mem. M. S. Collegij Germanici Almæ Vrbis.*

[2] *Ex Monum. Ordinis Prædicatorum M. SS.*

plauſu

plauſu vtramque philoſophiam enodauit, ac in præcipuis Italiæ Vrbibus conciones habuit, potiùs feruore zeli, quàm dicendi arte potentes. Extant *Conciones Quadrageſimæ, & Dominicarum, Foroliuij Typis Franciſci Suriani an.* 1611.

ANTONIVS MERLINVS Dominicanus, cum & perſpicaciâ ingenij, & inceſſanti Theologiæ ſtudio ad magnam rerum diuinarum cognitionem perueniſſet, cui velut comites ſingularis prudentia, aliæque dotes addebantur, Vrbano VIII. charus inprimis extitit. Hic enim grauem Virum, potentem conſilio, & probitate ſpectabilem, in arduis Chriſtianæ Reipublicæ negotijs adhibuit, quibus ingens laborantem laus conſecuta eſt (1).

AVGVSTINVS SAPORETTVS idem & ille inſtitutum regularis vitæ profeſſus eſt, quam in ſcholaſticis theſibus exactam, & in celebribus Gymnaſijs comprobatam vſquè ad exitum non ingloriè traduxit. Cum autèm eius nomen ità inualuiſſet, vt vndiquè prædicaretur, ac Baccalaureus Ferrarienſis Lycæi renunciatus, ibi ſacram philoſophiam interpretari properaret, inexpectatà morte præuentus, laborum præmia, vt piè creditur in ſempiterna requie tulit (2).

ANGELVS SVRIANVS in Clauſtris Minorum Obſeruantiæ enixè Theologicis diſciplinis operam impendit, quas ea præſtantia didicit, vt rari admodùm ſuſtinere poſſent competitorem. Docuit, & Theſes habuit, doctrinam æmulante Bartholomęo

(1) *Ex Monum. M. SS. Ord. Prædicat.*

(2) *Ex M. S. Cęnobij S. Iacobi Forol. ſub an.* 1661.

Maſtrio

Maſtrio, immortalis famæ Theologo; cum quo non ſemel eruditè diſſeruit, ſtupentibus quot quot videbant, audiebantque huiuſmodi Virorum acre certamen. Fuit & Oratoriæ Artis cultor in celebri Patriæ Academià, vbì etiàm Bibliothecam probatiſſimis libris locupletatam comparauit an. 1665. Tandèm in Prouinciali Miniſterio deceſſit (1).

FABIVS CEMORINVS ex eadem Familià Regulari, vtramque Theologiam explicauit, & calluit potiſſimùm moralem, vt typis teſtatus eſt. Extant *Apodixis Caſuum in Eccleſia Foroliuienſi reſeruatorum, apùd Ioannem Felicem Dandum, Foroliuij an.* 1715.: et *Mantiſſa Moralis Caſuum in Religionibus reſeruabilium, paritèr Foroliuij apùd Paulum Syluam an.* 1719., quorum Operum, primum viuente Auctore prodiuit in lucem, alterum poſthumum emerſit.

ELISEVS MONSIGNANVS ex Ordine Carmelitarum honeſtis gradibus egregiè perfunctus Prouincialis Flaminiæ, à Secretis, & Ordinis totius Commiſſarij. Fuit et Procurator Generalis in Romanà Aulà per duodecim annorum curriculum, quo meruit, niſi adeptus eſt ſupremam Præfecturam. Collegit, & edidit *Bullarium Carmelitanum in duos Tomos, Romæ an.* 1715., *typis Georgij Plachi*.

Iuris Ciuilis Textus non abſque nominis claritate profeſſi ſunt, vel eos in Gymnaſijs Doctores exponerent, vel Iudices in Tribunalibus controuerſias cognoſcerent, vel ipſas celebres Patroni in Foro tuerentur

(1) *Malateſt. Garuffus in Ital. Academ. pag.* 132.

FRAN-

FRANCISCVS DE RAMPONIBVS ſapiens Reipublicæ Cęſenatis Iudex tantà Legum doctrinà ornatus, quantà oportebat in ſuſtinendo eo magiſtratu. Coràm illo lectum, nec ab originali ſuo diſſonare repertum eſt Exemplum Bullæ glorioſæ memoriæ Clementis V., qua ille Pontifex Maximus in Viennenſi Concilio Templarem Militiam extinxit, & præcipuam bonorum partem Hieroſolymitanæ adiudicauit. Ità Franciſcus pro Tribunali ſedens decreuit, vt impoſterùm pagina fideli calamo tranſcripta, ipſius Diplomatis robur obtineret [1].

NICOLAVS A' FOROLIVIO, quem charum in primis reddiderunt Azzoni Eſtenſi, pro Rom. Eccleſia Piceni Marchioni, raræ ſapientiæ, & incorruptæ æquitatis ornamenta. His enìm dotibus reliquit apùd Populos, quorum cauſas diremerat, ingens ſui Magiſtratus deſiderium (2).

IOANNES DE SIGISMVNDIS Iuris Antiſtes clariſſimus, & inſignis doctrinæ experimentis, & officijs, rebuſque geſtis, in eorum cętu fuit, qui municipales tulerunt leges in veteribus Statutis Patriæ exaratas an. 1364., poſtquàm ab ęrumnoſa Franciſci Ordelaphi ſeruitute educta ad placidum S. Sedis Regnum ſub Ægidij Albornotij Legatione peruenit.

IACOBVS MORATINVS domi foriſque, legali gloria eluxit; nàm cum ab anno 1350. in Bono-

[1] *Ex rogit. Petri de Aquarola, Donati Aguſelli, & Guidonis de Monleone Not. Cęſen. inſolid. 12. Martij an. 1313.*

[2] *Compagnonus in Regia Piceni part. 1. lib. 2.*

nienſi

nienſi Academià Iuſtinianeos Codices frequenti Auditorio declaraſſet, non modicam laudem in præſcribenda iuſtè, & benè viuendi Ciuibus ſuis normà & ipſe reportauit.

FRANCISCVS A' FOROLIVIO, cuius cognomentum noſtræ ætati ſuperiorum temporum vices abſtulerunt. Is non vulgaris ſcientiæ famà, ab originarij ſoli limitibus egreſsà, & per exteras Ciuitates clamante, Iacobo Moratino Collegà, & Socio ad floridum Bononiæ Gymnaſium accitus eſt an. 1350., vbi legum textus præſtantèr enodauit (1).

BARTHOLOMÆVS DE BALDIS eximius Iuris Pontificij Doctor, Canonicus Cardinalis S. Rauennatis Eccleſiæ, ac Vicarius Generalis Petrochini Archiepiſcopi Rauennæ, ac Flaminiæ Rectoris, dum in munere obeundo ſummà cum laude ſe gereret, ortà intèr Lucium Callienſem, Cęſenæ Pręſulem, & Cęſenatenſe Capitulum, cuius tùm Ditio ab Epiſcopali ſeparabatur, controuerſià; cauſa in gradu appellationis ad Metropolitanam Sedem deuoluta, à Bartholomæo per definitiuam ſententiam deciſa eſt. Is enìm habità Iurium æquabili ratione, præualente conſilio celeberrimi viri Minij de Azzoguidis, in ędibus Archiepiſcopatus, eam Lucij fauore pronunciauit an. 1638. (2).

ANTONIVS FRAMONTIVS vtriuſque Iuris, ſed potiſſimùm Pontificij conſultus Foroliuij floruit

(1) *Cherubin. Ghirardac. in Hiſtor. Bonon. part. 2. lib. 23.*

[2] *Ex rogit. Fontanerij de Palma Notar. & Scribæ Archiepiſcopal. 15. Ianuar. 1368.*

ſummà

ſummà apùd omnes exiſtimatione an. 1460. (1). Eùm Thomas Haſteus Vicarium Generalem conſtituit, & Liuienſis Eccleſiæ, cuius erat Epiſcopus, & Pompilianæ, cuius Abbas; in qua dignitate velut communis Parens, & Cleri decus occubuit.

MANFREDVS MALDENTIVS, quem ſcientià eximium, & famà celebrem illius æui tabulæ non ſolùm teſtantur, in quibus clariſſimus, & famoſiſſimus inſcribebatur; ſed & officia in Tribunalibus glorioſè exacta (2). Eum propterea ſummo loco habuit Hercules Eſtenſis Dux Ferrariæ, & Conſiliarium Iuſtitiæ conſtituit; nàm ab optimà fide, & integritate proficiſci eius conſilia cognouit, & vidit.

PEREGRINVS LATIOSVS legum doctrinà conſpicuus, quam, honeſtis muneribus etiàm foris perfunctus, comprobauit. Patriæ Orator ad Clementem VII. cum patritijs Viris Andrea Bonutio Comite, & Iuriſconſulto egregio, Valeriano Vrſellio, & Petro Herculano miſſus, Collegium Doctorum nupèr inſtitutum à Bernardo Rubeo Parmenſi, Epiſcopo Taruiſino, & Flaminiæ Rectore, intèr alias preces, vt ratum haberet literis pontificijs impetrauit [3].

(1) *Ex Lib. Capricorno, in Archiu. S. Mercurialis lib. 2. pag. 131.*

[2] *Ex rogit. Euangeliſtæ Maſſæ Not. Ferrar. 23. Nouembr. an. 1473. - Ex rogit. Simonis Rampini Not. Forol. 23. Decembris anno 1473.*

[3] *Ex Diplom. Clement. VII. Dat. Romæ 23. Februarij an. 1524. - Aloyſ. Martorel. in Mem. Hiſtor. Auxim.*

ALEXANDER MONSIGNANVS Iuris æquè ac naturę prudentià conſpicuus, in dicendo elegans, in conſulendo grauis, & in iudicando incorruptus fuit. Diù Vicarius Generalis Foroliuienſem Eccleſiam rexit, ea laude, quæ par fuerat expectationi. *A Marcianeſio* in Reſponſis, nobiliſſimus Iuriſconſultus nuncupatur (1): Prætèr hæc nulla meritorum eius monumenta ſuperſunt.

ANTONIVS TAVRELLVS præclarus Antiſtes legum, ad quem velut ad oraculum clientes in Forenſibus Cauſis, ſeù conſilium, ſeù patrocinium petituri certatìm confluebant. At in robore ætatis, quem diutiſſimè Ciues Patriæ profuturum ſperabant, & optabant, immatura mors rapuit an. Sal. 1570. In D. Franciſci obdormit ſub elogio ſuper lapidem ſepulchralem inciſo.

SEBASTIANVS COLTRARIVS, cui non vulgaris ſcientia, & probitas ſingularis fuit, ſed parua indulgentia fortunæ; nàm ad eos gradus peruenire non potuit, quos rerum geſtarum merita, & Pij IV. amor pollicebantur; huius nempè Auditor extiterat in Peruſina adminiſtratione: verùm antequàm ille eleuaretur ad ſolium, ipſe importunà morte præreptus eſt an. 1552.

BAPTISTA MARCIANESIVS Iuriſperitus, typis notus, ad Gregorij XIII. obſequium legum cognitione progreſſus eſt. Eum idcircò Pontifex clementèr reſpexit, & valdè amauit. Extat nomini Pontificio inſcriptum *Volumen Primum Reſponſorum, ſiuè Conſiliorum, Venetijs apud Marcum*

[1] *Baptiſta Marcianeſius in libr. Reſponſ., conſ.* 12. *pag.* 35. - *Cephal. Conſ.* 477.

Amado-

Amadorum Ian. 1573.: *Interpretationem* autèm iàm ſub calamo degentem, *ad Motum proprium Pij IV. ſupèr non admittendis Appellationibus in Cauſis Fiſci*, morte prçoccupatus non perfecit (1).

GVILLELMVS GADDIVS, quem Diuo Carolo Borromæo, & integritas vitæ, & præſtantia doctrinæ antè multos acceptum reddiderunt. Eum Sanctus Cardinalis, & Archiepiſcopus Auditorem conſtituit, & Adiutorem voluit in expoliendà Mediolanenſis Cleri diſciplinà, & priſtino nitori reſtituendà: quibus in miniſterijs, probatam ſatìs virtutem, ac fidem tantus Retributor inſigni Modoetiæ Præpoſitura proſecutus eſt [2].

IOSEPH ROSETTVS, cui peracutum ingenium natura tribuit, ſublimem ſcientiam indefeſſum ſtudium, magnam nominis celebritatem Iuſtitiæ amor, & nobilitas geſtarum rerum. Diù in varijs Tribunalibus aſſedit, præſertìm Bononienſi, meruitque Procurator Forenſis dici Francorum Regis Caroli IX., intè r quem, & Ioannem Franciſcum Balnei Marchionem lis vertebat. Tantus enìm Rex raro moderationis exemplo, quod ſçculi Potentibus reliquit, opprimere competitorem noluit, nec ciuilis controuerſiæ cognitionem ad Delegatum Pontificium commiſſam declinare an. 1563. (3).

FRANCISCVS MERLINVS acre, vaſtumque ingenium intèr legales codices exercuit. Eminen-

(1) *Iacobus Menochius Conſ.* 28. *& Conſ.* 187.

[2] *Ex Orat. funebri Guillelmi Epiſcopi Vigilienſis.*

[3] *Ex rogit. Liuij Merendæ* 17. *Iulij an.* 1563.

tem doctrinam tùm Iudex in Vrbibus Italiæ palàm fecit, tùm Doctor typis confirmauit. Extant *Deciſiones Lucanę* non peritura illius argumenta apud doctos, & poſteros.

CRISTOPHORVS MERLINVS fratre non minor excellentià legum, & pluribus Iuriſconſultis ætatis illius maior. Cum autèm ſtrenuè ſcribendo, & rectè iudicando tamquàm Iuſtitiæ Patronus, & Pater haberetur, ac in Ferrarienſi Auditorio conſideret, viam vniuerſę carnis ingreſſus eſt. Eius iacturam *Claudius Achillinus* celeberrimus Vates cunctis dolendam, Italicis Rhythmis deplorauit (1).

ANTONIVS DENTIVS ex quinque Viris princeps, qui Statuta antiqua Ciuitatis Foroliuij aucta, & caſtigata iuxtà temporum vices, & mores populi, typis crediderunt an. 1615. In hoc enim inſignis vtriuſque Iuris ſcientia, ſumma prudentia, aliæque virtutes emicabant, quæ eum gratum Ciuibus, & Patriæ opportunum inprimis reddidere. Fuit ſiquidèm Legatus ad Paulum V. an. 1605. cum Nicolao Marcianeſio (2), foris inclytus, domi memorandus.

ABSALON SAVORELLVS ex Reformatoribus Statutorum alter. Is in tuendis Fori controuerſijs iampridèm demonſtrauerat quàm ſolidæ doctrinæ eſſet, & in officijs perſępè actis, quantæ integritatis; itaquè dignus habitus eſt, vt ad id muneris communi conſenſione eligeretur.

PETRVS PAVLVS AVGVSTINVS tertius

(1) *Claudius Achillinus in Rhythmis Ital.*

(2) *Ex Diplom. Apoſtol. Dat. Romæ* 10. *Nouemb. an.* 1605.

Docto-

Doctorum fuit. In eo graue conſilium, legumque excellens cognitio, & præcipuè municipalium emicabant; quandoquidem ex M. SS. Codicibus Statutarijs, quorum multa adhùc vigent, in oris paginarum vnius vidi *Adnotationes* æquè aptiſſimæ ac profundæ doctrinæ. Varias Præfecturas non ſolùm in Patria, ſed extrà etiam geſſit, & demùm ſenectà grauis, niſi confectus, occubuit.

OCTAVIANVS ASPINVS quartus præſtantium Iuriſconſultorum; Eum enim ſatis probauerant Ciues fortitèr patrocinia ſuſtinentem, Ciuitates iuſtè, & ſapientèr ſententias ferentem, omnes, qui in ambiguis cauſis ipſum conſuluerunt, pro veritate ſcribentem. Qua exiſtimatione, nomini ſuo partà, præclarè vixit, & publicum, priuatumque bonum procurauit.

BERNARDINVS ALBICINVS vltimus Reformatorum, ſed nemini ſecundus ſcientià vtriuſque Iuris. Poſt enixè nauatam legali diſciplinæ operam, & Lauream in Bononienſi Vniuerſitate reportatam, tantum aſſiduo ſtudio profecit, ac acerrimo ingenio, vt breui Legum Antiſtes, & euaſerit, & appellatus fuerit. Aduocatus, diremit Cauſarum inuolucra, ſuiſque viribus, & auctoritate, ſępe in publicis, ac priuatis rebus lapſa erexit, fatigata reparauit. Prætor autèm, & Iudex, intèr vtramque litigantium perſonàm medius, puras habuit manus, & non declinauit ad dexteram, nequè ad ſiniſtram. Multarum *Iuris Allegationum*, quas felici calamo exarauit pro veritate ſcribens, ſiue pro cliente, adhùc ſupereſt Codex apùd M. Antonium Albicinum I. C. ex Bernardino Iuniore Franciſci filio Pronepotem, referentem profectò

Proaui

Proaui ſpeciem ; quemadmodùm et Liberculus *Animaduerſionum*, lucubratus poſt Reformationem Statuti, vbi difficilia, & obſcuriora loca egregiè elucidantur. Extat itèm impreſſa Rauennæ ſub an. 1617. apùd Typographos Camerales *Diſſertatio* ſupèr validitate Statuti Foroliuienſis Reformati, ac ſupèr interpretatione Rub. 32. lib. 5. *An Filij fratrum vocentur in ſtirpes, an in capita ad Amitę hęreditatem*. Ex quibus ſanè, tanquàm ex vngue leonem diiudicare quicumque poterit, ſiuè recta inſpiciatur diſpoſitio rerum, ac elocutio, claritas, & elegantia ; ſiuè pondus, ac vis rationum, quantùm ſcientià præſtaret. *Mercurialis Merlinus* in opere *de Legitima* (1) coętaneum hunc ſuum laudat, & clariſſimi, ac integerrimi iudicij Doctorèm appellat; quod quidèm Elogium cùm iuſtum eſt, atque condignum, tùm illius memoriæ honeſtum, atque decorum, vt à probatiſſimo Viro pronunçiatum. At eius facultates non intrà ampliſſimos fines legalis ſcientiæ conſtiterunt, ac in experientià negociorum, & artium Pacis : Mixturà quadam vtili, ac iucundà in humaniores etiàm Literas, & Poeſim ſe ſe effuderunt, vt propterea in celebri Philargitarum Academia quamhonorificè fuerit adſcriptus. Ex multis quoquè Sapientiſſimis Ciuibus, ipſe Orator excerptus fuit vnà cum Maximiliano Mercuriali ad Gregorium XV. Pontificem Max., apùd quem munus ſuum impleuit multiplici bono Patriæ, & laude ſui. Tandèm nonagenario maior an. 1679. menſe Octobri ex hac vita migra-

[1] *Mercurialis Merlin. de legitim. lib.* 5. *tit.* 3. *queſt.* 8. *n.* 7. *& in fine.*

uit,

uit, Senex memorandus, ac natus vtilitati huius Vrbis, cui profuit ſcientià, opere, conſilio, integritate, quìn etiàm diù manſuro duodecim præſidio liberorum, intèr quos ſileri non debet Hieronymus humanæ, & diuinæ Philoſophiæ Doctor, ac vtriuſque Iuris, Canonicus Cathedralìs, & Claudij Ciccolini tùnc Foroliuienſis Epiſcopi Vicarius Generalis.

HIERONYMVS ARTVSINVS non intrà muros Patriæ doctrinam occuluit, ſed ſpatio latiore dignam in Romano Forò exercuit. Ibi munere Aduocationis ſummà laude perfunctus, & magnam famæ claritatem conſecutus, intèr Patritios Capitolinos, relatus eſt an. 1604. cum Antonij fratris filijs Cambio Equite SS. Mauritij, & Lazari, ac Franciſco Canonico S. Mariæ in Via lata Almæ Vrbis, nec non poſteris omnibus vetuſtiſſimæ Artuſinæ Stirpis.

FABRITIVS MATTHÆIVS tanto ingenij robore præditus, legumque ſcientià viſus fuit, vt Ius Ciuile in claris Vniuerſitatibus Italiæ declarantem omnes audierint iucundiſſimè: quibus ille ſtudijs illuſtrato ſatìs nomine, ſanguinis nobilitatem experiri conſtituit, & Diui Stephani Militiam introire(1). At iàm probatà authenticis tabulis maiorum glorià, dum ſola Equeſtris Conſilij ſuffragatio expectaretur, intempeſtiuà morte raptus eſt.

LAVRENTIVS VRSELLVS in Alma Vrbe multos ſuæ vitæ dies in protegendis cauſis collo-

(1) *Ex Proceſſ. Nobilit. in Filzia Proceſſ. in Archiu. Epiſcop. Forol.*

cauit,

cauit, & in congerendo ingentis molis opere, quod ſibi non modicum afferret laudis, & vacantibus Foro vtilitatis. Inſcriptum eſt *Examen Apum, ſiuè Concluſionum Legalium*, quæ ingeniosè delibatæ fuerunt ex floribus Deciſionum Rotalium totius Orbis, *Romæ ex Typographia Andreæ Phæi an.* 1632. *&* 1634. Tomus Primus, Secundus, & Tertius [1]. Reliqui verò quinque Tomi, quos diù multùmque inſudans parauerat addere, in otio Patriæ, perierunt, in qua & ſtudijs, & vitæ metam quæſiuit, non paucis inuidendam.

IOSEPH, & IVLIANVS MERENDI, quibus cum docti, & celebris Patrui exempla præluxiſſent, ſeduliorem vtrique Iuri operam dederunt, & proprijs, & illius meritis Doctoreas ſedes in Bononienſi Gymnaſio adepti ſunt, vbi varios per annos legales Codices expoſuerunt.

ANTONIVS MARIA MANGELLVS dùm in Rauennati Curia Aduocationis munus exerceret, typis protulit *Refugium Cauſidicum, ſiuè Repertorium aureum* ad omnes Sac. Rotæ Deciſiones, quę ab an. 1381. vſque ad euulgationis tempus collectæ, & impreſſæ fuerunt, *Bononiæ an.* 1699. *apud Petrum Mariam de Montibus*. Pratèr Legum cognitionem Poeſim coluit. In *Marino* Adonidis amores ad Venerem nimìs excitantes immutabat, prę-ſcriptum Poema omni labę purgatum iterùm in lucem emiſſurus, niſi Operis exitum eius mors præueniſſet.

[1] *Aubert. Mires de Scriptor. Eccleſ. ſec.* 17. *n.* 219. - *Hieronym. Ghilin. in Theat. Viror. Literator.-pag.* 295.

BARTHO-

BARTHOLOMÆVS CASTELLINVS accuratè congeſſit, & in lucem emiſit non abſque ſui nominis laude, & aliorum vtilitate *Obſeruationes Legales ad Bannimenta Legationis Æmiliæ: Foroliuij an.* 1701. *apùd Ioſephum Syluam*. Viuit Fabritius eius frater in Alma Vrbe Canonicus Liberianæ Baſilicæ, Lactantij Vaiani ornatiſſimi Viri abdicatione, quæ Sororis Filio non paruæ expectationis in Capitulo Patriarchali locum dedit.

IACOBVS BALDVCCIVS non modò floridam, ſed ętatem omnem in legalibus ſtudijs, diſciplinisque impendit, quæ illi incrementum graduum, & famæ pepererunt. Comprobatà palàm in Tribunalibus Italiæ doctrinà, à Franciſco Farneſio accitus, Conſiliarius Ducalis, & Parmæ Gubernator dictus eſt. Dum verò præter excuſa, alia pararet typis, & nomini ſuo æterna monimenta, ad Auditoratum Fiſcalem Senarum electus, Vir in criminalibus, æquè ac ciuilibus verſatiſſimus, repentino morbo ſublatus eſt (1). Impreſſa volumina inſcribuntur *Ioſephi Ramonij Conſiliorum libri, cum Obſeruationibus Balducij, Parmæ apùd Franciſcum de Roſatis an.* 1695. Hi ſunt in tres Tomos diſtributi. In quarto continentur *Deciſiones Rotæ Romanæ, aliorumque Tribunalium ſelectæ ad materiam Conſiliorum Ramonij, & Obſeruationum*. In quinto tandèm *Rotæ Ciuilis, & Criminalis Reipublicæ Ianuenſis, & in Supremo Farneſiæ Domus Conſilio Deciſiones. Parmæ Typis Pauli Montis an.* 1703. Germani doctrinam æmulatur Ludouicus,

(1) *Bonſinius ad Bannimen. Gen. Stat. Eccleſ. cap.* 24. *n.* 47., *& cap.* 80. *n.* 35.

Oo natu-

naturalis Philoſophiæ Doctor, & politiori literaturà præditus, quod ſanè teſtantur eius fęcundæ mentis paſsìm laudati Partus.

MARCVS ANTONIVS PAVLVTIVS profundà legum cognitione emicuit, indefeſſo ſtudio, & patrocinijs difficilium Cauſarum comparatà (1). Fuit enìm Aduocatus non ſolùm intèr præcipuos Flaminiæ, ſed etiam ætatis noſtræ; comitate morum, incorruptà Iuſtitià, & alijs animi ornamentis clariſſimus. Ad eum ferè omnes Ciues in Foro diſſidia habentes aut ſuſcepturi conſilium, aut ad eius arbitrium controuerſias delaturi confluebant. Diù munus Iudicis exercuit in Epiſcopali Curia pro Ioanne Raſpono Foroliuienſi Antiſtite, & Thoma Taurello eius Succeſſore in Spiritualibus Vicarius Generalis; quem Thomam, ſicut & Coſmum Taurellum fratrem, Camertium Præſulem, acris ingenij Auditores, ſe inſtituiſſe legalibus diſciplinis gloriabatur. Scripſit *Diſſertationes legales, materias vtriuſque Iuris in Foro ad normam recentiſſimarum Rom. Rotæ Deciſionum iudicatas, complectentes.* Prodijt *Tomus primus Lucæ an.* 1707.: *Tomus ſecundus in duas partes an.* 1711. *ex Typographia Leonardi Venturini: Tertius* licèt poſthumus elapſis annis extincto Auctore, ipſius Impreſſoris ſumptibus quamprimùm orietur.

Intèr illos, qui vel Philoſophiæ arcana interiùs peruaſerunt, vel Medicam facultatem præſtantiùs profeſſi ſunt, iuſtis carere laudibus non debent

IVLIANVS NVMAIVS Linarij, & Cineſtri

[1] *Pereg. Maſerius de Legat. & Nunc. lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 355.

Comes,

Comes, non minus ſcientià, quàm ſplendore Generis emicuit. Ad difficilia corporum vitia curanda vocatus Principes, & Optimates feliciſſimè reſtituit ſanitati, & præſertìm Ægidium Cardinalem Albornotium, Pontificium in Italia Legatum, & Petrochinum Archiepiſcopum Rauennatenſem, ac Æmiliæ Rectorem [1]; à quorum primo gentilitijs Inſignibus donatus eſt, Zonæ ceruleæ in campo flauo, quæ adhùc poſteritas extollit. Cęterùm Dynaſtia in Andream filium, & deindè in Ioannem ex filio nepotem [2] præteritis ſęculis defecit. Ità Iulianus intèr ſtudia Medicæ facultatis, licèt ſępè ciuilibus bellis interrupta, vitam clauſit an. 1382.

IOANNES, & THOMAS DE NVMAIJS, qui literis Medicis egregiè inſtructi feliciſſimas curationes cęteris tùm imperuias conſequebantur, seù ſtatìm certo præſagio ineuitabilis exitus pronunciabant. Qua medendi præſtantià adeò clarum nomen adepti ſunt, vt alter celebris per Orbem terrarum famæ proclamaretur; alter viua librorum Arca appellaretur; quæ, & alia elogia elegiacis verſibus expreſſa in Epitaphijs legebantur, antequàm delerentur pedum preſſurà [3]. Propè decimum quartum ſęculum humanæ Reparationis floruerunt; affines ſanguine, coęui ætate, pares doctrinà.

CAPVT A' TVRRI ſeu germanus, ſeu con-

(1) *Hieron. Rubeus in Hiſtor. Rauen. lib. 6. pag.* 583.

[2] *Ex rogit. Ioannis de Lapis* 29. *Septemb.* 1382., *&* 9. *Iunij an.* 1383.

[3] *Archangel. Albertin. in Chron. M.S. Forol. pag.* 11.

ſanguineus Iacobi, immortalis memoriæ Viri, quem Medicæ, Philoſophicæque rei contemplatione æmulari propoſuit. Eo ſiquidem extincto lumine, vt cadentis familiæ ſplendorem renouaret, ad exponendam Hippocraticam Scientiam Bononiam petijt, intèr precipuos Interpretes florentis Gymnaſij adnumeratus an. 1416. [1].

BARTHOLOMÆVS PANSECCVS eam in Medica diſciplina praxim comparauit, vt poſt innumera ſanitatum experimenta, ex plurimis, pręſtantiſſimiſque Viris ab Antonio Ordelapho delectus fuerit Archiater an. 1503. At non diuturnam illi dedit Aula fortunam, luctu Principis haud multò poſt mortui deſolata, extrà quam vixit, & in ſummà omnium exiſtimatione occubuit.

PETRVS GVARINVS Philoſophiam omnium laudandarum Artium genitricem ſecutus eſt, quam cum penitiſſimà, aſſiduàque inueſtigatione cognouiſſet, confutare etiàm celebris *Gualterij Burlęi* Angli opiniones ſtuduit. Nemo eruditorum non eius ſcripta terebat auidiſſimè, quæ contrariæ ſententiæ propugnator *Tiberius de Bazalerijs* redarguit, & damnat in Quęſtione *de Prædicatione reali ad mentem Ariſtotelis, & Commentatoris Auerrois*, impreſſa ſub an. 1496. [2].

PETRVS ANTONIVS PADVANIVS intèr illius æui Medicos certè clariſſimus: Fuit quippè Parens, & Præceptor Angeli, & Halidei, à qui-

(1) *Cherubin. Ghirardac. in Hiſtor. Bonon. tom. 2. lib. 29. pag. 610.*

(2) *Ex Opuſculo Tiberij de Bazalerijs, Bonon. Impreſſ. an. 1496. expenſ. Benedicti Hectoris.*

bus

bus nouum Patriæ decus, & Familiæ nomen tùm medendo, tùm ſcribendo partum eſt.

BALTHASSAR GADDIVS Phyſicus eloquentiſſimus pleroſque tùnc in medica ſcientia vicit; quod quidèm frequens ęgrotantium turba, & concurſus vndique remedia malis affectibus quęrentium probabat. Migrauit è vita anno ætatis vndequinquageſimo, Salutis humanæ 1544., & in D. Hieronymi, vbi cineres conquieſcunt, ad latus gentilitij Sacelli compactus lapis ipſius memoriam ſempiternam reddet.

BERNARDINVS BIASETTVS, in quo pari gradu Theorica, & Praxis eminebant, ad exponendas Medicæ facultatis leges Bononiam vocatus eſt an. 1567.(1), vbi vtramque & Doctor, & Medicus mente, & opere impleuit.

CÆSAR ROSETTVS non ſolùm in Patria, ſed per varias, & claras Vrbes, in quibus Medicinam fecit, quantùm Ars poſſet abundè oſtendit; & raræ virtutis, ac probatiſſimæ experientiæ laudem nactus eſt. Cum tandèm opes meliori, quàm domeſtico vſui congeſtas in operibus Religionem redolentibus erogaſſet, & Sacellum in S. Mariæ de Populo circùm Picturis, auroque exornatum erexiſſet, Obijt an. 1620.; ſed ibì viuit in effigie, & ſepulchrali elogio eius fama.

IOANNES MORATINVS præſtitit quidèm multis coęuis Medicis ſermonis pondere in Conſultationibus, in Curationibus verò remediorum opportunitate [2]; quæ vis ingenij, & ſcientiæ amplitudo

(1) *Alidoſius in Doctor. Bonon. ad an. 1567.*
[2] *Hieron. Mengotius in Colloq. 26. pag. 213.*

plitudo eum Venetijs profitentem cunctis Ordinibus gratum, & Patricio inprimis effecerunt. Pleroſque propterea ibi annos vixit, Genus poſuit, & dies clauſit, magno virtutum ſuarum apùd Venetos, & Ciues relicto deſiderio.

VINCENTIVS MATTHÆIVS varijs ſcientiarum ornamentis prædītus, Philoſophiæ præſertìm naturalis, in Patauino Gymnaſio progreſſu ſanè non pęnitendo Tyrones erudiuit. Ei ſiquidèm ob pręeminentias ſartas tectàs, firmatas, ac totius Ordinis amplitudinem auctam, pro Syndici munere generosè peracto Vniuerſitas Artiſtarum benè geſtæ rei memoriam incidit in marmore anno 1638. (1).

BARTHOLOMÆVS MORATINVS eam in Medicà diſciplinà Praxim, & inueſtigatione, & exercitio nactus eſt, vt qui illà feliciùs potiretur, fortè vix eſſet alter. Vldericum ex Comitibus Carpinei Cardinalem ampliſſimum ab incurabili languore, alioſque ſumos, & principes Viros à morboſis vitijs liberauit: Quamobrèm celebris æquè, ac opulentus deceſſit anno 1657., dignus profectò nomine nunquàm perituro.

In texenda, & ornanda oratione locupletes, & in tradendis ad futuras ætates bellorum, & rerum humanarum vicibus, quibus vel Patria, vel Flaminia agitatæ ſunt, non obſcuri memorantur

PETRVS DENTIVS, qui quamquàm ijs temporibus vixerit, quibus mixtio Barbarorum optimas diſciplinas in Italia fędauerat, ea fuit politiori

(1) *Iacob. Philipp. Thomaſinus in Gymnaſ. Patauin. pag.* 475.

litera-

literatura imbutus, vt ad ſuſtinendam exculti ſermonis facultatem in Bononienſi Vniuerſitate, ſicut celebris Grammaticus conductus fuerit anno 1385. (1).

PETRVS ARSENDVS Raynerij legum Monarchæ Pater, non rudi, vt ea ferebat ætas, Italico Idiomate Æneadis Virgilianæ Commentaria dedit, non parùm profutura in ijs temporum tenebris. Hæc membranis tradita, & ligneis tabellis adoperta, in Bibliotheca Ioſephi Merendæ Equitis Hieroſolymitani aſſeruantur.

IACOBVS MORATINVS Scriptor temporis ſui non temnendus, Foroliuij Annales ab an. 1058. vſque ad annum 1473. poſteritati demandauit, & res memoria dignas latino ſermone accuratè ſcripſit; ſed decimum tertium à Salutifera Incarnatione ſeculum ingreſſus, ad Bononienſium euentus diù diuertens conſtitit (2). Labor iſte quamprimùm emerget in magno opere Hiſtoriarum Italiæ ineditarum, quæ Mediolani, in æuum laudanda induſtria Viri omnigena eruditione præſtantis, Ludouici Antonij de Muratorijs, excuduntur.

LEO COBELLVS tractandarum Fidium apprimè ſcitus, potuerat hoc ſolo nomine famam meruiſſe; niſi literarum ſcientia in eo locum obtinuiſſet. Id ſatìs euincunt Patriæ Annales, quos non impolitè quidèm, ſi tempora metimur, collegit. Ab exordio Ciuitatis initium ducit, & vſquè ad

(1) *Cherub. Ghirardac. in Hiſt. Bonon. tom. 2. lib. 25. pag. 398.*

(2) *Extat apud Comit. Brandolin. de Brandolinis.*

annum

annum 1498. progreditur ; niſi quod perrumpitur curſus rerum, laceratis interdùm paginis, quas fortè ſoluto ad nimiam libertatem calamo, Zelatorum non nemo, ſeù magìs inuidorum abſtulit.

PAVLVS GVARINVS non philoſophià ſolùm, ſed etiàm humanioribus literis, quæ tùnc negligebantur, & latina oratione perpolitus. Scripſit Patriæ ſucceſſus ab an. 1375., vſque ad annum 1473., qui apùd me in hędinis paginis; & *Tractatus Philoſophicos* vtilitati Lycęorum, qui apùd poſteros ſuos aſſeruantur (1). Verùm non contentus ſcientiarum glorià, bellicam quoque conquiſiuit, cum Hieronymo Albicino Collegà muneris, Vallorum Præfectus in obſidione Raualdinæ Arcis an. 1503.

LVFFVS NVMAIVS intèr Oratores collocandus, cum ijs Artibus, quæ ſunt doctiſſimo Viro dignæ præfulgeret. Fuit Principum Foroliuienſium, Pini Ordelaphi à Secretis, & Scriba primarius; Hieronymi Riarij Conſultor fidiſſimus; Xiſti IV. Pont. Max. ad Venetum Senatum Legatus clariſſimus; virtutibus tùm ſuis, tùm Familiæ potentià, quam reſpiciebant Ciues, & Exteri, Patriæ præſidium, & decus. Obijt ſplendidiſſimus Eques, & Comes an. 1508., & in S. Mariæ Seruorum in marmoreo monumento iacet.

ANDREAS BERNARDVS Bononiæ natus, & Foroliuij Ciuis, vbì vixit, liberos genuit, & clauſit ſupremum diem; quæ in hac Vrbe temporibus ſuis contigerunt, vernaculæ linguæ Hiſto-

(1) *Leand. Albert. in Deſcript. Ital. Reg. 14. — Malateſt. Garuffus in Ital. Academ. pag.* 131.

ria ad poſteritatem prolixè demandauit. Poeſi etiàm latinà emicuit, & in præſtantiæ ſignificationem laureà coronà, ſicùt Vatem præcipuum decebat, ex Senatus Conſulto donatus fuit, manu Antonij Chelini nobilis Iuriſperiti, & Vexilliferi Iuſtitiæ anno 1505. (1). Iulius II. Bononiam pergens, hominem iàm fama cognitum, ad ſe accerſiuit; Volumen Succeſſuum ætatis ſuæ Xiſto IV. glorioſæ memoriæ inſcriptum benignè accepit, varijſque beneuolentiæ argumentis ipſum decorauit. In ſacra Æde Canonicæ ſepultus iacet, ſub Epitaphio numeris adſtricto, quod ſibimet ipſi viuens poſuit.

FRANCISCVS TAVRELLVS floridiorem ętatem egit in ſcientiarum varietate, ſed ſupèr omnes diſciplinas oratoriam facultatem coluit. Hunc ſtudiorum conſors M. Antonius Flaminius Vir eloquentia celebris, ſi quìs alius, vt viam Romanæ Curiæ tentaret hortatus eſt, honeſto præmiorum incitamento. Ille verò domeſticà requie contentus in ſinu Patriæ feriari maluit, quàm ſpe honorum fatigari. Duos genuit, & reliquit filios, Titum ſplendidiſſimum Equitem, & Lucię Medices Florentinæ Virum, ac Petrum Paulum ſapientiſſimum Præſulem (2).

CHRISTOPHORVS EBVCIVS FVNDVS in oratoria diſciplina, quam forsàn Rauennæ profeſſus eſt, verſatus, ac perpolitus, multa habuit eruditionis lumina, & adiumenta doctrinæ. Publicè

(1) *Ex rogit. Guillelmi Prugnoli Not. Forol. ſub an.* 1505.

(2) *M. Anton. Flamin. in Endecaſyllabis ad F. Torellum.*

ornauit in funere Nicolai Ferretti Rauennatis, Viri omnigenis ſcientijs, & operibus relictis clariſſimi, Ioannis Petri Epiſcopi Lauelli, & Iulij illuſtrium Literatorum Patris, quem omni conatu eloquentiæ celebrauit an. 1538. Hanc mihi Orationem, ab infortunio ætatum ſuperſtitem, Hector Buccius Nobilis Ceſenas communicauit (1).

FRANCISCVS MARCOLINVS non mediocri cognitione inſtructus ſtudijs cultioris eloquentiæ, collegit *Epiſtolas ad Petrum Aretinum* miſſas, & Venetijs in lucem euulgauit an. 1552. (2), quæ celebrem eius diligentiam, & eruditionem reddiderunt.

ANGELVS CORTONESIVS promptum ad literas ingenium habuit, ad ſales acre, & lepidum, vt *Cornucopia* ſua teſtatus eſt. Hæc quibus typis excuſa fuerit, non conſtat mihi, licèt eam *Saba Caſtilioneus* Eques Hieroſolymitanus, & Commendator Fauentiæ in ſuis *Memorijs* recenſuerit, & laudauerit (3).

CHRISTOPHORVS CÆCVS, varia quæ ad Hiſtoriarum ſcientiam, & Geographiam ſpectant, accuratè congeſſit (4): *Annalia Regionis Hetruriæ, edita Florentiæ an.* 1572.: *Euganeorum, & Carniæ, Venetijs apùd Petrum de Franciſcis an.* 1574.: *Ciſalpinæ Galliæ citrà, & vltrà Padum, cum ori-*

(1) *Extat Oratio apùd Franciſc. de Righis Nob. Ceſen.*

[2] *Iulius de Nigris in Hiſtor. Scriptor. Florent. pag.* 134.

[3] *Eq. Saba Caſtilion. in Mem.* 124. *pag.* 83.

(4) *Langlet de Modo ſtuden. Hiſtoriæ pag.* 280.

gine

gine Ciuitatum, & *Caſtrorum*, *Venetijs per Philonepſem*, & *Clidanum fratres Philiponos* : Alia autèm *Aprutij*, quæ in lucem prodijſſe affirmat in Præfatione dictorum Annalium Hetruriç, incomperta ſunt. Excudit quoque *Primum*, & *Secundum Æneidos librum*, *interprete Alexandro Guarnello*, *alterum Venetijs apùd Dominicum de Franciſcis an.* 1569. : *alterum Vrbini an.* 1577.

FABIVS OLIVA Orator perpolitus, & omni laude dignus, non inornato genere ſermonis ſcripſit Vitã Catharinæ Sfortiæ, vltimo loco Vxoris Ioannis Medices Florentini Proceris, & Legati apùd excelſam Riariam Domum, à quorum thalamo Foroliuij ortus eſt Ioannes iunior, Italicæ Militiæ Reſtitutor, & decus, ad Mincium flumen glorioſè extinctus, & felix Coſmi I. Magni Hetruriæ Ducis Parens.

ARCHANGELVS ALBERTINVS rerum antiquarum ſtudioſiſſimus, latinà linguà vſus eſt, in demandandis ad poſteros Præbendarum primordijs; & italicà, in Ephemeride ab ortu Ciuitatis lucubrandà, vbì bellorum caſus, & illuſtrium Virorum ſeriem congeſſit [1]. Fuit Prothonotarius Apoſtolicus, Archidiaconus Patriæ, & ſex Epiſcoporum Vicarius Generalis.

ANTONIVS NVMAIVS, cui non defuit diſerta Oratio, verborum floribus, & ſententiarum luminibus conſperſa [2]. Ex varijs Operibus elaboratis alia in tenebris reliquit, alia typis euulgauit. *Iuſti Lypſij Politicę*, & *Doctrinæ moralis*

[1] *Extant apùd Franciſc. Albertinum.*
[2] *Malateſt. Garuf. in Ital. Academ. pag.* 132.

libri ſex à latino in italicum Idioma verſi, *Romæ an.* 1607., *apùd Guillelmum Facciottum* in quarto. Extant prætereà nonnullæ Hiſtoriæ ex latinis Authoribus deſumptæ.

ANTONIVS RONDONIVS eloquentiæ leges non ſolùm docuit, verùm etiàm huic tyrocinio vacantibus impreſſas, declarauit (1). Extat *Artificium texendæ Orationis in genere demonſtratiuo*, *Forolinij an.* 1619. *apùd Cimattios* in quarto. Latet autèm in pluteis meis B. Peregrini Latioſi Vita ab eius calamo ornatè deſcripta, titulo, *Peregrini iter habentis ad Cęlum*.

ALEXANDER PADVANIVS Hiſtoricus, & Philoſophus vtramque ſcientiam à limine non modò vidit, ſed inceſſanti ſtudio ad interiora penetrans, profundè nouit. Varia ſcripſit; at illo extincto ſepulta iacent: *Annales à Patria condita vſque ad annum* 1636. intèr monumenta Brandolinæ Gentis aſſeruantur (2): *Coſmographia Terrarum Orbis*: & *Commentarij ad Geographiam Plinianam* deſiderantur.

FRANCISCVS SCANELLVS licèt Medicinam faceret, perpetuò Graphices ſtudio detentus eſt. In hac facultate cum plurium tabularum perfectiones inſpexiſſet, *Microcoſmon Picturæ edidit*, *Cęſenę Typis Nerij* in quarto. Fratrem habuit Bernardinum Canonicum Cardinalem, & Vicarium Generalem Rauennatis Eccleſiæ.

ALEXANDER BALDRACANVS Eques S.

(1) *Garuf. pag.* 132. *in Ital. Academ.*

(2) *Ferdinand. Vghellus in Ital. Sacr. Tom.* 2. *in Epiſc. Forol.*

Stephani,

Stephani, qui nullo genere humanæ, & diuinæ eruditionis caruit: Varias ſcilicèt callebat linguas; magna vi dicendi præſtabat; in Poeſi paucis admodùm cedebat; naturalem, & moralem philoſophiam poſſidebat; vt non hìs tantùm ornamentis tinctus leuitèr, ſed plenè, penitùſque imbutus communi conſenſione ſit habitus. Obijt Cęſarauguſtæ apùd Laurentium Columnam Aragoniæ Proregem, morum Præfectus M. Antonij filij Palliani Ducis (1). Intèr præſtantes eius ingenij partus ſolæ *Obſeruationes* vigent, quæ ad celebre Opus Formationis Verborum *Cinonij* accedunt.

PAVLVS BONOLVS in ſtudijs politioris humanitatis verſatus eſt, nec Italæ Poeſis expers fuit, vt ſępè in Academijs comprobauit. Patriam ſuam impensè amauit, eique prodeſſe ex animo contendit. Non enìm priùs acquieuit, & ab inceſſanti labore abſtinuit, quàm educta à tenebroſà Antiquitate eius initia, incrementa, & vices, nec non præclara Conciuium geſta, quæ in M. SS. Annalibus, & in domeſticis pluteis vel latebant, vel miſerè interibant, quaſi alter Parens ad vitam reuocauerit. Inſcriptæ ſunt *Hiſtoriæ Foroliuij*, *Typis Cimattiorum anno* 1661. in quarto (2).

SIGISMVNDVS MARCHESIVS Miles S. Stephani, ſe *Vtrique Mineruæ* dedit, vt, quod Emblema Gentilitij Inſignis edocebat, intèr literas, & arma ſequeretur. Robur nempè ætatis in hoſtes Chriſtiani nominis impendit; nàm & in maritimìs pugnis, & in Cretenſi ope, non ex poſtremis fuit,

(1) *Malateſt. Garuff. in Ital. Academ. pag.* 133.
[2] *Idem in Ital. Academ. pag.* 132.

qui

qui laudem reportarent. Piſis etiàm in ſupremo Ordinis Conſilio per nouennium aſſedit. Ingraueſcentibus autèm annis ſtudia intermiſſa reſumpſit, & humanioribus diſciplinis, ac præſertìm hiſtoricìs vacauit. Academiam Philergitarum iàm obſoletam reſtituit primus literati cętus Princeps [1]. Senio tandèm proximus *Supplementum ad Hiſtoriam Foroliuienſem* ſcripſit ingenti Volumine, ibì res memorià digniores complexus. Extat *apùd Ioſephum Syluam an.* 1678. in folio. Eum *Octauius Boldonius* Epiſcopus Theanenſis, Vir eruditiſſimus ſequenti Elogio dignatus eſt: *Hæc nobis*, inquit, *dictantibus commodum attulit Sigiſmundus Marcheſius (Patritius Foroliuienſis, & Eques militiæ S. Stephani, Iuuenis moribus elegantiſſimis, literiſque inſtructiſſimus, Antiquitatis verò ſtudioſus intèr primos) accerſitum à Patria monumentum vetuſtum &c.* (2). Placuit Filijs paterna veſtigia ſequi, & in album Equeſtris Ordinis deſcribi: Andreas natu, & ingenio maior, nobiliſſima indole à Natura donatus, omnigenam eruditionem, & Scholaſticas Theſes profeſſus eſt, ac liberales facultates præſtantèr calluit: nihil tamèn reliquit typis, immaturè defunctus. Ego verò licèt ob mentis tarditatem ijs vndique minor ſim, Genitoris tamèn exemplis incitatus, in hiſtorica cognitione temporum teſte, veritatis luce, magiſtra vetuſtatis, ſtudium, & oblectamentum meum collocaui.

FABRITIVS MONSIGNANVS Saliani Comes,

(1) *Garuffus in Ital. Academ. pag.* 115.

(2) *Octau. Boldonius de Venuſt. Elogij lib.* 5. *pag.* 626.

& Liuienſis Academiæ præſidium, & lumen, quam viuens fulcit æquè ac illuſtrat, alia ſolutæ Orationis, alia Italico metro elocubrata publicæ luci, & eruditioni dedit. In Experimentis Philergitarum primis an. 1699. impreſſis, *quatuor Lectiones ſuper Poeticam Ariſtotelis*, doctis Animaduerſionibus traduntur: In poſtremis, quæ ex *Typographia Pauli Syluæ* prodierunt anno 1714., *Viginti quatuor Poeticæ imitationis, & ſui Veriſimilis*, quas *Lectionibus quatuor de purioribus ſupra Italicam linguam vocibus, & formis* cumulauit [1]. Expectat nùnc tandèm ab eiuſdem nitidiſſimo calamo Ciuium, & exterorum Pietas Vitam B. Peregrini Latioſi in Sanctorum numero 6. Cal. Ianuar. ann. 1726. à Benedicto XIII. ſolemni cęrimonia relati, dùm preſens Opus cuderetur.

PHILIPPVS RICEPVTVS è Societate Ieſu ingentis ſudoris Opus aggreſſus eſt; nàm *Illiricum Sacrum* quatuor in Partes, digeſtas in plura Volumina, vt in *Proſpectu Hiſtoriæ* Patauij excuſo ab anno 1719. iàm ſpopondit, quàmprimùm exponet ob oculos Literatorum, vt ſperatur.

Tandèm huic Capiti finem facturus, eos recenſebo, qui ad poeticam gloriam adſpirantes, iucundiſſimam Artem exercere, & quà Italica, quà Latina Muſa modulari præſtantiùs contenderunt.

C. CLODIVS PAVLINVS in tenebris ſuperſtitioſi cultus natus, Facultati Poeſeos vacauit, tàm acri, ac perenni ſtudio, vt ſæpè inſomnes noctes pangendo verſus duceret. Sic literis ad-

[1] *Creſcimben. in Comment. Vulgar. Poeſ. vol. 5. libr. 3. pag. 99.*

dictus,

dictus, vitæ curriculum, & ſtudiorum breui perfecit, antè quintum ætatis luſtrum, vt lapis tumuli teſtatur, in quo ille hoſpitium à Patre Dite in ſtygijs ædibus implorat.

FERRANS DE SACERDOTIBVS Vates laureatus [qua tùnc Coronà non mediocris ingenij Viri, ſed præſtantes in Arte dumtaxàt donabantur, vt his inſignibus honoris à vulgari Poetarum turba internoſcerentur] anno 1455. in Patrià florebat, & forìs, circumeunte famà, colebatur (1).

PETRVS GARAOTTVS duobus titulis laudandus, & Philoſophi, & Poetæ, quas diſciplinas aſſiduo ſtudio profeſſus eſt; alteram acutiſſimi Scoti doctrinæ ſequax, alteram laudator, vt præſertìm in libro *Elenchorum* non inornatis modulis oſtendit (2).

BALTHASSAR MASERIVS explicationi naturalium rerum multum temporis, operęque conceſſit, nèe minimum Poeſi, relaxationis cauſà dedit, in vtraque præſtans admodùm. Intèr latinos verſus *Antonij Viſdomini* eius Epitaphium reperitur, vbì & hi leguntur: *Pierio quo non in carmine doctior alter: In Logica quo non doctior alter erat* (3).

[1] *Ex Cathal. antiq. Vir. Illuſt. Forol. ſub an.* 1455.

[2] *Ex Phyſica Guillel. Ochami, edit. à Marco Alexandreo an.* 1494. *Ex Libr. Elenchor. Scoti, edit. ab Oliuerio de Giuntis an.* 1499.

[3] *Anton. Maria Viſdomin. in Miſcell. Carmin., Impreſſ. Bonon. ſub an.* 1494. *ad pag.* 34.

BERNAR-

BERNARDVS BEVILAQVA maiorem credidit nanciſci laudem ex diſſimili, & coniuncto Hiſtoriæ, & Poeſis ſtudio [1]; quarum Artium iſta commentis fucata, & numeris aſtricta eſt, illa veritati innixa liberioribus verbis vtitur, & fluit. In his diſciplinis varios edidit Partus, qui tamen eius obitum ſecuti ſunt.

IOANNES ANTONIVS GABANINVS Poeta, & excellens Citharędus, ambas Artes, ad ſummam voluptatem coniunxit; & potiſſimùm adeò valuit in Concentuum lenocinio, vt poſtquàm Europæ Reges peritiſſimi Profeſſoris famam acceperunt, ipſum certatìm ingentibus pręmijs aduocarunt, vt fidium harmoniam, ac felicitatem eruditæ mentis audirent. Floruit circà decimumquintum ſęculum Reparationis noſtræ [2].

DOMINICVS BOLDRINVS aſtrictà numeris, & ſolutà oratione præſtans, Poeſeos Arte, & cultiori eloquentià, temporis ſui Iuuentutem erudiuit. Fuit amicitià coniunctus Iulio Budo Cęſenatenſi eximio Phyſico, ac Vati, intèr quos frequens carminum, & epiſtolarum conſortium fuit. Extat adhùc *Faunuli Auiculæ* Commentum hexametris verſibus elucubratum, & Aloyſio Guicciardino Florentino Optimati, ac Patrono ſuo inſcriptum an. 1538.; *Ode* prætereà, & *Elegia* ad Budum.

CHRISTOPHORVS SVRDVS tàm celeri ingenio, & tenaci memorià extitit, vt ſępè argu-

(1) *Garuf. in Ital. Academ. pag.* 131.
[2] *Archang. Albertin. in Chron. Forol. M. S. pag.* 432.

mentum ſibi ab adſtantibus propoſitum in Italicos rhythmos effunderet, quaſi illud diuturno labore partum, & digeſtum, non ſubito inflammatus ęſtro cecinifſet (1).

IOSEPH THEODOLVS Vallinfridæ Comes ad emendatricem vitæ Poeticam acceſſit, quæ torpere animum non ſinit, & illum literarijs ornamentis tergit, ac illuſtrat. Sibi enim placuit, magis quàm teneros, humileſque cantus, altum Poematis genus, & magnis motibus concitatum, Tragędias lucubrare, quarum variæ extant, & in his *Demetrius Moſcus*, *Cęſenæ* excuſus apùd *Nerium an.* 1651.: *Eriminda*, *Bononiæ apùd Hęredes Duccia an.* 1648. (2).

IVLIANVS BECCIVS non ſolùm argutiſſimæ mentis indole intèr Poetas connumeratus, ſed etiàm diſertus Orator habitus eſt; Quod ſæpè in Philargitarum Academia metricis, & ſolutis lucubrationibus palàm probauit. Primi generis extant *Simulacrum belli*, *ſeù varij Rhythmorum Cantus*, *Bononiæ typis Iacobi Montis an.* 1645. Secundi autèm, *Triumphans Ignis*, *typis Cimattiorum anno* 1637. [3].

PETRVS BABACCIVS non demulcere aures prophanis verſibus, vt alij ſolent, ſtuduit, ſed proponere argumenta Iuuentuti, quæ meliori Poeſis vſu ſequerentur. Impreſſi ſunt *Epigrammaton libri quatuor de Sanctis Forolivij apùd Cimattios an.* 1638.

ISIDORVS MORATINVS Caſſinenſis Familæ

[1] *Traian. Boccalinus in Narrat. Parnaſſi, Cent.* 2. *pag.* 80.

(2) *Garuff. in Ital. Academ. pag.* 132.

(3) *Idem pag.* 132.

Abbas

Abbas Latinas Muſas, quas à primordio adoleſcentiæ nouerat, indiſſolubili velùt amicitiæ nexu vſque ad obitum amauit. Editum eſt *Opus Miſcellaneum*, Placentiæ *in Ducali Typographia Ioannis Bazachij an.* 1667., & Venetijs *D. Benedicti Vita*: In Ceſenati autèm Monaſterio S. Mariæ Montis, *Argenis* Ioannis Barclaij in Epicum carmen verſa delitеſcit.

HIERONYMVS PLACENTINVS Poeſis latinę ſequax, celeberrimum *Opus Torquati Taſſi Hieruſalem liberatæ à ſęua Infidelium ſeruitate* ab Italica origine in Hexametros latinos tranſtulit. Extat *Forolinij apud Ioſephum Syluam anno* 1673.

DOMINICVS ALLEGRIVS diù vixit Anconæ, ibique varia cecinit Italico metro, quæ nè ſe ab humanis migrante, perirent, Typographo Franciſco de Seraphinis dedit imprimenda an. 1674.

OCTAVIANVS PETRIGNANVS, cui tribuenda eſt laus egregij Poetæ, & Oratoris. Id excuſi labores ſatìs probant (1). In literarijs Experimentis Philergitarum Primis, *Centum Franciſci Petrarcæ cantus* eadem Rhythmorum terminatione à prophano ſenſu ad moralem reuocati, *prælo Ioſephi Syluæ* anno 1699.: *Vita Venerabilis Viri Fabritij Haſtei, typis Ioſephi Dandi anno* 1674.: *Orationes funebres*, & *Lectiones Accademicæ*, quæ publicam lucem meruerunt.

(1) *Creſcimben. in Comment. Vulgar. Poeſ. vol. 5. lib. 1. pag. 22.*

DE BERENGARIO REGE, ET CÆSARE

CAP. I.

BERENGARIVS, & nomine, & cognomento, à limitibus priuatæ fortunæ, quos illi Natura præſcripſiſſe videbatur, adeò virtutum ſubſidijs erupit, vt vix maiora cupere, ac ad altiora conſcendere mortalis poſſet. Fuit Foroliuienſis Patrià, Longobardus Genere. Cum enim ea Natio, nimium creſcente ſobole, ab antiquis ſedibus in Italiam, nouum Regnum vi, & armis conditura demigraſſet, Berengaria Domus in hac Regione prolatata eſt. Neque hìc in tenui potentià ſtetit Caſtrorum dominatrix Belflorij, Podij, Culmani, Caſtillionis, & Latini, in quibus Berengarius, (ſicut tùnc conſueuerant Optimates) primordia diſciplinæ puer accepit. Poſtquàm in eo cum annis adoleuit gloriæ militaris votum, cępit ingentia animo verſare, & vt ad ſortem foris perueniret, quam domi non licebat, ſtipendia in caſtris Caroli Francorum Regis meruit. Nec exantlati labores in varijs expeditionibus, & prælijs, nec ſalutaria conſilia in ſummà rerum difficultate præſtita, illi abſque magnà mercede contigerunt; Siquidèm per honeſtos militiæ gradus ad ſplendidas Pręfecturas euectus eſt; Regis prætereà intima conſuetudo penè Principem fecerat, vel antequàm Foroiulienſi Ducatu foret à Carolo inſignitus, grato quidèm animo Viri merita reſpiciente. Berengarius ab hoc ſublimis conditionis ſtatu, ingens famæ incrementum ſumpſit, & in tantà Italorum

celebritate

celebritate floruit, vt diuitijs ſecundus nemini, ſtrenuitate primus haberetur. Cum tandèm anno 888. Carolus Craſſus ex lenta ægritudine obijſſet, Populorum animi diuiſi ſunt, quorum alij ad Berengarium, alij ad Guidonem Spoleti Ducem, tanquàm præcipuos Nationis Dynaſtas reſpexerunt. Præualentibus ergò Ciſalpinæ Galliæ ſtudijs, Papiam ingreſſus, ab Anſelmo Archiepiſcopo Mediolanenſi fuit tùm ferrea corona decoratus (1), cum Guido ad Gallicum Regnum adſpirans intèr populares tumultus Oddoni ſceptrum ceſſit inuitus. Hac ſpe fruſtratus in Vmbriam iterùm rediens, militum delectus habuit, & in Berengarium Italiæ ſolium occupantem acies direxit. Apùd Trebiam amnem collatis manibus, poſt atrox, & anceps prælium victus Berengarius intèr Cenomanos receſſit, vbì collectis, & inſtauratis copijs rurſùs experiri ſortem ſtatuit: ſed inſiſtente ad tergum Guidone, iterùmque fuſus, Italiam, & Regnum reliquit. Cui in aduersà fortunà profugo Arnulphus Germaniç Rex adfuit: Siquidèm anno 891. Senobaldo notho prouinciam dedit, vt primum Regem in ſuam Sedem reponeret; quod quidèm fruſtrà tentatum, quamquàm validiſſimo exercitu rem egerit, perſiſtentibus in Guidonis fide Populis (2). Berengarius viribus, non animo deſtitutus Arnulphum precibus expugnauit, vt in Italiam præſens deſcenderet. Nequè defuit doloſus fauor; etenìm anno 893. per ſaltus Tridentinos irruens in Galliam, omnia terrore compleuit, & Clientem Regem ſuæ ſedi reſti-

(1) *Carolus Sigonius de Regno Ital. lib. 6.*
(2) *Luitprandus de Geſtis Longobard. lib. 6. cap. 7.*

tuit:

tuit: non tamen quò vota, & conſilia direxerat, peruenire potuit, quippè nouis in ſua Ditione motibus accitus, in Germaniam contendit. Verumtamèn haùd ceſſit à prauo corde, quod intermiſit: cùm ſcilicèt poſterioribus annis Formoſus Pontifex à Romanis angeretur, qui teterrimum tùnc Schiſma confouebant, & ſubſidium laborantibus Eccleſiæ rebus flagitaret. Itaque an. *896.* formidandis copijs Italiam intrauit, Romam vi, & armis edomuit, ac Sergianà ſectà diſſipatà, à Pontificia manu Cęſaream inſulam ſuſcepit. At ecce in Arnulpho tumor, & diù meditata crudelitas, quę nèc à ſacris, nèc à profanis temperans, vbique craſſata eſt. Dùm Tuſciam peragraret, Berengarium ipſum excęcare per ſummam perfidiam cogitauit, vt eo oppreſſo faciliùs Italià potiretur. Ille detectis Tyranni inſidijs, Veronam ſe citus recepit, vt ibi ſuæ conſuleret incolumitati. Exaſperati hac ſęuitie Populi, & potiſſimùm Papienſes, in Germanos paulò poſt aduenientes irruerunt, & magna ex parte trucidarunt. Expauit Arnulphus auditâ clade, & longè peiora timens clàm abire conſtituit, nè ab inſurgentibus ad eius excidium Populis intercluderetur. Quod vt intellexit Guido, tumultuarijs copijs fugientem inſectatus eſt; ſed ad Tarum flumen, ſeù præcipiti labore viæ, ſeù ęſtu animi vltionem appetentis, ex vomitu ſanguinis interijt (1). Arnulpho diſcedente, Guidone extincto, Berengarius miro Italorum conſenſu recepit Regnum, & auxiliaribus viribus inſurrexit. Sed quæ humanarum rerum vices! Nouis tumultibus Ita-

(1) *Luitprandus lib. 1. cap. 10.*

lia

ſta concuſſa eſt. Porrò non defuerunt Principes, qui fortunam Regnantis ægrè intuerentur, nequè intèr iſtos Adelbertus Ephorędię Marchio ſoceri ruinam conflare dubitauit; nàm Ludouicum Prouinciæ Narbonenſis Comitem, & Boſonis Regis filium ad repetenda maiorum iura, fucato Nationis deſiderio illexit. Is an. 899. magno apparatu belli in Italiam deſcendit. Occurrit ad radices Alpium validioribus copijs Berengarius, & in anguſtis locis hoſtem circumuenit; cui tamèn innato clementiæ motu veniam dedit, contentus iuramenti nexu, ſe non ampliùs in Italiam, vim facturum. At Ludouicus monitis coniuratorum fatigatus, fregit, & neglexit fidem, vinculo ſacramenti roboratam: Alpes prætereà tranſgreſſus obuium Berengarium felici pugna fudit, ſed nòn penitùs deleuit, vt euntibus in præceps rebus, & deſerentibus eius obſequium Italis, leui negotio potuiſſet. Verùm quàm imprudenti conſilio vſus ſit, infelix euentus docuit; nàm ſi Competitorem, antequàm colligeret animum, & vires, inſectatus eſſet, futura mala, quæ ab hac velùt origine deincèps emanarunt, ſapientèr reparaſſet. Ille autèm tanquàm omnia beatæ ſecuritatis præſidio vallata intueretur, regiam ſedem Ticini collocauit, & Romam citatis itineribus profectus, à Pontifice Maximo Cęſaris ſalutationem, & tiaram extorſit (1). Intereà Berengarius Ludouici inſanià non parum gauiſus eſt, & vt rès ſuas à ſupremis ærumnis vindicaret, milites inceſſantèr deſcripſit, Arces com-

(1) *Cęſar Baronius in Annal. Eccleſ. ad an. 900.*

meatibus,

meatibus , & copijs egregiè communiuit , vt ſi fortè Ludouicus in ſe reuerſus , & tarditatis pęnitentià tactus in eum arma , impetuſque conuerteret , illos ſuſtinere , & propulſare poſſet. Verùm Ludouicus Auguſtali titulo , & Inſubriæ Regno contentus , in ea conquieuit , & intèr amenæ Regionis delicias laxato in voluptates corpore, quidquid virtutis , & firmitatis habuerat , ſpiritus ſenſim amiſit , & in torpore , ac mollitie contabuit. Sic Italiæ Regnum in duas partes diuiſum obtinebant , Ludouicus in Gallià Ciſalpinà , Berengarius in Carnià , & Euganeorum tractu. Is grauioribus curis feriatus , cum Patriæ amore , qui nunquàm in animis bonorum Ciuium obtepeſcit , conflagraret , vt eam inuiſeret in Flaminiam diuertit anno 903. Tùnc Foroliuium legibus ſuis vtebatur ; non tamèn citrà inſidias , & metum Bononienſis Populi , qui vniuerſà ferè Æmilià ſui iuris factà , iniquo animo ferebat , vnam Ciuitatem eiùs potentiam aſpernari , & vel imperium , vel fędus repudiare. Hæc ſimultatis cauſa , & atrocium bellorum incitamentum fuit. Dùm itaquè æſtuantes irà Bononienſes ad vlciſcendam iniuriam contemptus ſe pararent , & econtrà Foroliuienſes priùs fundere ſanguinem , vitaſque ipſas , quàm pati iacturam libertatis cogitarent , inexpectato aduentu Berengarij confirmantur. Eum ppropterea Senatus ſupplex adijt , [erat Princeps Seuerus Marinellus] illius conſilium , operam , & opem in hoc periclitanti ſtatu rerum implorauit , & nè militare imperium dedignaretur obteſtatus eſt. Rex laudatà virtute Conciuium , eos non ſolùm bono animo eſſe monuit , ſed tàm vehementem concionem habuit,

vt omnes

vt omnes non priuatum commodum, ſed ſolam Patriæ ſalutem intuentes, aurum, & argentum in publicum ærarium certatìm comportauerint, ipſæque Matronæ monilia, totumque muliebrem mundum communi incolumitati offerre non renuerint. Ingenti sic nummorum copià conflatà, locuples ſtipendium indictum eſt, quod multi etiàm exterorum meruerunt: & his aduentitijs, & noſtratibus Copijs Berengarius attentè perluſtratis, decem millia veteranorum militum inuenit. Poſtquàm verò per exploratores nouit adeſſe hoſtem, iàm à Fauentinis terminis in Liuienſem Agrum vexilla, & pedes inferentem, non diutiùs cohibere potuit alacritatem Ciuium expetentium pugnam, quin aduentanti obuiam progrederetur, & inſtructis ordinibus, non modò excipere, ſed illum adoriri feſtinaret. Signo dimicationis dato, apùd S. Mariam Nouam concurſum eſt pari vtrinquè ferocià, atque impetu; cum Bononienſes iniuria repudiati obſequij, noſtros autèm zelus tutandæ libertatis laceſſiret. Iſti enìm prę oculis habentes diſcrimen Patriæ, & ſuorum ſortem, cum non ignorarent, illos conditionem talem ſubituros, qualem aùt victi, aùt victores effeciſſent, ingenti conſtantià vim ſuſtinuerunt, ſummoque niſu nudatis enſibus in hoſtem irruerunt. Diù in ancipiti victoria ſtetit, quæ ad Bononienſium partes inclinare videbatur, ſauciato per telum Imperatore, & perturbatis Foroliuienſium copijs. At non deſpondit animum viſo ſanguine Dux inuictiſſimus, ſed exemplo, & verbis pauidos erexit, diſcurrens equo, vbi præſens periculum ciebat, prælium integrauit, hoſtiles acies ſtrenuè diſiecit, & in apertam, effuſamque fugam vertit.

R r Potitus

Potitus caſtris, & impedimentis ad Patriam reuerſus eſt, triumphali deuectus curru, intèr acclamationes, & feſtiuos prodeuntium obuiàm Ciuium apparatus. Nèc diù poſt Cęſenà, quæ Bononienſium vel fidem, vel amicitiam ſequebatur, Foroliuienſium tutelæ, & adminiſtrationi reſtitutà, Præfecturà belli ſe ſe abdicauit, grauioribus Regni ſui curis accerſitus (1). Cum autèm ei Senatus pro ſummo beneficio tantas referre grates non poſſet, quantas debuiſſet, vt tamèn nonnulla grati animi officia perſolueret, ſpectatæ virtutis cohortes Berengario dedit, quibus opportunè in propulſandis Hunis vteretur. Hæc bellicoſa Natio ab extremis finibus Paludis Meothidis egreſſa, peragratà Germanià in tranſpadanam Galliam irruerat, vbì nèc ſacris, nèc diuinis parcens, eam Regionem incendijs, rapinis, & cędibus miſerè euertebat. Ludouicus, qui in turbulenta tempeſtate non gloriæ ſuæ velificari, & Populorum ſecuritati curabat, ſed Veneri tantùm, & deſidiæ vacare, Hunnos omnia damnis, & terrore complentes, adoriri non auſus eſt. Quod vt animaduertit Berengarius, & Populos effęminati Regis ſæuitiem, & mores odiſſe, eam prouinciam ingenti robore, ac conſtantià ſuſcepit. Verùm cum Barbari intèr arma nati, non ruere ad prælium, ſed bacchari viderentur, ac contemptores vulnerum, & mortis conferre manus, prudens, & ſagax Berengarius primo conflictu improſperè commiſſo, non eſſe virium ſuarum intelligens multitudinem penè immenſam coercere,

(1) *Sebaſtian. Minchiochius in Chron. M.S. Forol. pag. 10. - Alexander Paduanius in eiidem pag. 17.*

ſanio-

ſaniori vti conſilio conſtituit, & eam non ferro, ſed auro ſuperare. Tutior quidèm, & incruenta victoria fuit; quippè auidiſſima pecuniæ Gens, nummorum ſplendore excęcata, & victa ſtatìm prędas, ſarcinaſque collegit, ac ad auitas ſedes reuerſa eſt. Sìc liberatà ab Hünnorum furore Italià, Berengarius vndiquè à Populis prædicabatur, fatentibus illi deberi ſolium, quod Lüdouicus immeritò tenebat. Vniuerſorum obſequia, & ſtudia auxerunt, plura Religionis, & liberalitatis argumenta; publicis enìm, & priuatis calamitatibus conſuluit; Templa, vel ſupellectili diſpoliata, vel euerſa reſtituit, & Sacris vaſis piè decorauit [1]. At quantum eius mores iuſtitiam, pietatem, & munificentiam redolentes Itali deprędicabant, tantundem Lüdouici ſordes, inertiam, & auaritiam inuiti patiebantur. Quæ quidèm Populorum ſtudia, priuſquàm ergà ſe refrigeſcerent, Berengarius experiri ſortem cautius duxit, ſi res iuxtà votum contingeret, Competitorem deturbare. Lüdouicus præſentis diſcriminis obuerſatione expergefactus, quantas potuit contraxit copias, & in fatalem hoſtem caſtra mouit. Vtræque acies propè Veronam digladiatæ ſunt, ſed impari ſanè dimicandi ratione, cum alter fiducià plenus ad victoriam proficiſci, alter, quem malè geſti Regni conſcientia angebat ad cladem trahi, viderentur. Ità Ludouici cohortes vix primum incurſum paſſæ ſunt, nàm vertentes terga, & hùc, & illùc euadentes, vt incolumitatem dumtaxàt ſuam quærerent, deſti-

(1) *Baronius in Annal. Eccleſiaſtic. ſub an.* 993.

tuerunt Regem ſerò inconſultæ , & deſidioſæ vitę pęnitentem ., qui demùm circumuentus milite ad Victoris conſpectum deductus eſt . Rex comperto priorem clementiam ſibi obfuiſſe nimiùm , nullis adſtringi conditionibus prudens voluit , nè fideret ampliùs tàm fędè periuro , cui foret ingerenda iterùm per ſeditioſos regnandi mala cupiditas. Ergò in pęnam turpiſſimæ defectionis à priori fędere , mulctauit oculis victum , vt sic pacifico imperio Italiam regeret , quæ tamen nouis motibus inuidorum mòx concitata eſt . Hi ſiquidèm Rodulpho Burgundionum Regi Italum Regnum obtulerunt , optatiſſimum fore Populis eius aduentum affirmantes, vt à compedibus inuiſæ ſeruitutis diſſoluerentur. Hæc ſpes Rodulphum cæpit. Verùm Berengarius opus eſſe ducens ignem extinguere, antequàm inualeſcens in incendium erumperet, inimicum ab Apenninis deſcendentem , aduerſùs ancipitem fortunam paratiſſimus occurrit, & ſignis collatis profligauit : quo infortunio ille territus in Burgundiam ſuam ſuperatis iterùm Alpium iugis reuerſus eſt . Ea curà ſolutus Berengarius Chriſtianæ Reipublicæ profuit : Cùm verò præſentaneam opem laboranti Eccleſiæ in Infideles, qui vſquè ad Lyrim fluuium omnia depopulabantur, attuliſſet, à Ioanne X. ſæpè expetitum, ſed nunquàm acceptum Cęſareæ Inſulæ ornamentum reportauit an. 915. [1]. In tàm ſublimi dignitate collocatus Patriam decorare conſtituit inſignibus donis , nè apùd poſteros memoria excideret pietatis , & munificentiæ ſuæ ergà chariſſimam Parentem, qua nihil homini poteſt

[1] *Baronius in Annal. Eccleſ. ad ann.* 915.

eſſe

eſſe dulcius, nihil iucundius; męnia ſcilicèt, quæ ad Orientem ſolem Vrbem ſæpiebant, ære ſuo ędificauit, & regias Ludouici veſtes, ac vexilla octo in Veronenſi conflictu capta, ei largitus eſt. Verùm hìc Trophæa Senatorum Aulæ pendentia ſeruata ſunt, donèc Martinus IV. Forolivium in ſuam redegit poteſtatem. Tùnc enìm muros eius iuſſu milites à fundamentis deleuerunt, & bellicà licentià ſigna, & paludamentum victi Regis rapuerunt. Erat inciſum in marmore ſupèr apſidem Gottoniæ Portæ perennis beneficij monumentum:

DIVVS BERENGARIVS IMP. AVG. -- MOENIA, VALLVMQ. FOROLIVIO PATRIÆ -- PIENTISSSIMVS DEDIT ANNO IMP. III.

Huiuſmodi lapidem tranſtulit pennicillo olari nominis Pictor Liuius de Agreſtis, cum in Aulà conſulari magnificè admodùm tùnc reſtauratà, plura Berengarij facinora vidiſſet iniurià temporis pænè perijſſe; vbì antiquę manus labores dignatus eſt, noua claritate colorum, & vmbrarum receſſu, vetuſtatis æmulator excitare. Ergò Berengarius tot rebus egregiè peractis, parto, & firmato Regno, cum iàm ſibi ad beatè viuendum diuturna ſecuritas appareret, nefarià coniuratione oppreſſus eſt. Solebat antequàm Cęlum inalbeſceret, nullis cuſtodibus ſtipatus adire Templum, vt preces ad Deum funderet, cumque propitium in Populorum regimine haberet. Flambertus ingrati animi, & crudelitatis notam impiè aſpernatus, Ductor Coniuratorum fuit, & occultis inſidijs in incautum Imperatorem irruit, in eius pectore ſicam immerſit, & ad

& ad pedes deiectum repetitis ictibus peremit. Hoc triſtis, & lugendæ mortis genus, pius ſimùl, & inuictus Cęſar obiuit anno Regni ſui trigeſimo ſexto, Reparationis humanæ 923. (1). At quàm execrandum flagitium fuerit, ipſæ innocentis cruoris maculæ teſtatæ ſunt, in lapide ſupèr quem ille cadens eflauit ſpiritum impreſſę, quæ nulla lotionis curà poſterioribus annis abſtergi vnquàm potuerunt. Varia Scriptorum ſententia eſt, circà eius legitimi Imperij tempus, quod alij ad octo annos proferunt, intrà quadriennium alij circumſcribunt. Ab Vxore Berta Bauarica Gislam tantùm procreauit, Adelberto, Ephorediæ Marchioni in matrimonium collocatam, ex quo Berengarium II. Italiæ Regem enixa eſt. Erant illi frons lata, naſus oblongus, graues oculi dignitatem Imperatoriam referentes, prolixa concinnè barba, capilli breues, & ad cutem criſpati, vt ex numiſmate penès *Ioannem Palatium* liquet (2). Hæc Berengarij vita, hic exitus. Reliquum eſſet huius Patriæ iura, quæ à Carnis reijciuntur, trutinare. Ne tamèn videar ingenito ergà Patriam amori nimiùm indulgere, rem exteris cognoſcendam relinquo. Lubet tantummodò in medium proferre, non temporibus noſtris eam de ortu Berengarij opinionem Foroliuij prodijſſe, cum adhùc Berengariæ Gentis monumenta in antiquitatis caligine illuceſcant. *Leo Cobellus*, qui Annalia conſcripſit circa annum 1450.

(1) *Luitprand. lib. 2. cap. 2. — Carolus Sigonius de Regn. Ital. lib. 6. ad an. 923.*

(2) *Ioannes Palatius in Aquila Saxonica pag. 78.*

refert

refert ingentia Liuienſis Reipublicæ per maximam Flaminiæ partem incrementa, cum à potentibus Familijs Berengaria, Orgolioſa, Brandula, & Calbulenſi regeretur (1). Nèc Tiberij, Tullij, & Lelij de Berengarijs nomina, & geſta perierunt. Primus enim filiam Allorio ab Affia Ordelaphorum Auctori connubio iunxit [2]; Alter in communi lętitià captæ à Fidelibus Hieroſolymæ ligneam Arcem in maiori Foro erectam, ciuilium cohortium Ductor ſuperauit an. 1099.; Tertius Bonifacio, & Philippo de Torniellis Optimatibus Foroliuianis filias nuptui conceſſit an. 1341. Patebat in D. Mercurialis tumulus, in quo cineres huiuſce Stirpis ſeruabantur depoſitæ, & in lapide Sepulchrali hæc verba legebantur: *Semina Berengariorum*: Erat etiàm ibì ſcalpro impreſſum Epitaphium *Limiatæ de Berengarijs*, & fuſili arte gentilitium ſtemma Bertę ſimilitèr de Berengarijs tribus obliquis Zonis diſcriminatum in ſacrario cernebatur. At quamuis in tenebris vetuſtæ ætatis verſemur, ab his quæ euaſerunt à temporis edacitate documentis conſtàt, quantùm recentiſſimus Scriptor hallucinetur, qui aſſerere non dubitauit nupèr Foroliuienſes Berengarij ſimulacrum in proſpectu occidentalis Portæ poſuiſſe, vt hoc commentum prætereuntibus imponerent. Tandèm Scriptores exteros addam, qui noſtras partes ſuffulciunt, & tuentur. *Fatius de Vbertis*, Florentinus Vates, Berengarium Liuienſem

(1) *Leo Cobellus in Chron. Forol. M. S. part.* 1. *pag.* 55.

[2] *Sebaſt. Minciochius in Chron. Forol. M. S. pag.* 12. - *Alexand. Paduan. in eiſdem pag.* 57.

his

his rythmis modulatur : *Poi Berengario Forliueſe venne , Al quale poſi in teſta la Corona : Quattr' anni poi la gouernò , e ritenne : Prode fù in armi , e de alti meſtieri : Altrui fè guerra , e molta ne ſoſtenne* (1) . Idem paritèr ſentiunt *Cherubinus Ghirardaccius , Dominicus Millinus* referente *Franciſco de Roſieres , Ferdinandus Vghellus , Matthæius Vecchiazzanus , Ioannes Ioſeph Vaglianus* (2), & alij , quibus teſtimonijs compertiſſimum eſt, nèc noſtris diebus Berengariorum nomen in lucem emerſiſſe, nèc me dicta Conciuium, quorum auctoritatem prætermittam, eo ingenio, atque arte confouiſſe , vt in Patriâ meâ Regis , & Cęſaris ortum fabularer .

TAm glorioſum Regem ſubſequentur Proreges, & Senatores Almæ Vrbis, quorum dignitas olìm regalem propè contingere putabatur . Ipſi nimirùm Reges Caſtellæ Henricus , Neapolis Carolus , & Robertus , Cypri Vgo , Ludouicus Boius Imperator , & alij plerique nihil ſupremæ conditioni detrahere ampliſſimum Magiſtratum iudicantes , ſummis eum ſtudijs affectarunt .

NARDINVS DE NARDINIS illuſtres belli

(1) *Fatius de Vbertis in Dictamundo cap. 22.*

[2] *Ghirardac. in Indic. Hiſt. Bonon. ad lit. F. - Millinus in geſtis Comitiſ. Matheldis . - Vghel. in Ital. Sacr. Tom. 2. in Epiſc. Forol. - Vecchiazzan. in Hiſt. Pompil. part. 1. lib. 7. - Vaglian. in Vitis Archiep. Mediol. pag. 189.*

gradus

gradus conſecutus eſt, ſternente tramitem virtute, & comitante fortunà, quarum præſidio ſub Roberto Rege obtinuit vniuerſum Neapolitani Regni moderamen; id ęgrè quidèm ferentibus, quos ingenio, ſtrenuitate, & prudentià vicit. Hoc regimen quàm ſapientèr obierit, fauente admodùm Rege, cuius felicitatem ſempèr incomparabili ſolertià quæſierat, diuturnum adminiſtrati muneris exercitium ſatìs probat. Per ſeptem nempè annos præfuiſſe Apulis compertiſſimum eſt, vſquè ad annum 1317. [1]; an verò in tàm ſublimi dignitate occupatus vità defecerit, haſtenùs in tenebris vetuſtatis delituit.

ANDREAS GVRIOLVS Burſi filius ſub varijs Principibus militarem vitam fecit. Cohortis grauis armaturæ Præfectus, primùm Romanæ Eccleſiæ fidam operam contulit, deindè Venetæ Reipublicæ, & tandèm Vladislao Apulorum Regi, qui videns fortem Virum cęteris Ducibus conſilio, animi magnitudine, & conſtantià præcellere, Exercitui præfecit vniuerſo, & demùm in Vicarià poteſtate conſtituit an. 1412. (2). Quot autèm annos geſſerit ſupremas vices, & vbì diem ſuum clauſerit non conſtat. Ei ſuperſtes Guriolus filius cum ad Patriam, à qua Genitor cum optimatibus Guelphorum eliminatus exulabat, reuerti prohiberetur, Cęſenæ in exilio deceſſit poſtremus Guriolę

(1) *Leo Cobellus in Chron. Forol. M. S. part. 1. pag. 57.*

[2] *Idem part. 1. pag. 1. - Alexan. Paduan. in Chron. Forol. M. S. ad an. 1412.*

ſtirpis (1) .

HECTOR BARTOLINVS, in quo & legalis ſcientia, & cinguli equeſtris decus auitæ nobilitati incrementum dabant. Varijs togæ muneribus egregiè perfunctus, Bononienſem Præturam geſſit an. 1455.; vndè iàm per omnium ora clariſſimus, ad ſummam Capitolij Dignitatem euectus eſt [2], quam intèr cęteras in Italià conſpicuam, nihil fraudatà Quiritum expectatione compleuit.

CECCVS MALDENTIVS domi, foriſque haud vulgarem gloriam nactus eſt, ſeù in publicis officijs gerendis Patriæ felicitati ſtuderet, ſeù ſub galeà fortitèr decertans inſudaret. Intentior tamèn in eo fuit literarum amor, quàm militiæ; Togatus ſiquidèm Præfecturas obijt, & antè decimum quintum ſęculum in Senatoria Sellà collocatus, iura Romanis dixit. Sunt qui ferant in eodem gradu Maldentem conſediſſe ſub anno 1406., & eius Stemma Capitolij muris confictum, ſęculi ſuperioris initio dumtaxàt perijſſe (3), quod tamen cum non viderim certis documentis roboratum, nèc approbo, nèc refello.

SIGISMVNDVS HERCVLANVS in maximis occupationibus nunquàm intermiſit ſcientiarum ſtudia, quibus, & prudentià ſimùl magiſtrà rerùm, optimè paratum regendo ſe reddidit. Fuit enìm

[1] *Andreas Bernardus in Annal. Forol. M. S. pag.* 135.

(2) *Ex Cathal. antiq. Viror. Illuſtr. Forol. ſub an.* 1455.

(3) *Ex Liter. paten. Commun. Forol., Dat.* 10. *Iulij* 1655., *manu Horatij Marcianeſij*.

Florentiæ

Florentiæ Iudex, Peruſiæ Prætor an. 1483., & inſupèr Senator Almæ Vrbis (1); quibus, aliiſque officijs apùd Ciues, & exteros egregium nomen collegit.

LVDOVICVS VRSIVS tanquàm ad ſcientias, & arma natus, Ciuili Iuri, & rei militari ſtuduit, pacis, & belli Præfecturas obiturus. Solemni pompà Equitis Dignitate à Pino Ordelapho inſignitus; eum in Hetruria prò Florentinà Republicà ſummo Imperio dimicantem ſecutus eſt; quo deindè moleſtà ægretudine correpto, Vicarià poteſtate in Ferdinandum Neapolis Regem copias etruſcas duxit an. 1477. Verùm extincto Pino, ſe ad Togæ munera conuertens, Romæ Senatorium adeptus eſt, Matthæo Tuſcano Mediolanenſi ſubrogatus an. 1481.; quod tantà æquitate, & temperantià exercuit, vt illum Pontifex biennali Magiſtratu dignum reputauerit [2]. In Patriam reuersùs, vbi & opibus, & patrocinijs eminebat, cum funeſtæ coniurationi ab Andrea Patre in Hieronymum Riarium inſtructæ, conſilium præbuiſſet, licèt bonis omnibus mulctatus, conſtantèr infortunium tulit, & apùd Camertes in Præturà, vt Sapientem decet, humanarum viciſſitudinum contemptor occubuit anno 1497. (3).

(1) *Ex rogit. Spinutij Aſpini* 13. *Maij anno* 1483. – *Archang. Albertin. in Chron. M. S. Forol. pag.* 432.

(2) *Ioan. Maria Creſcimben. de Statu S. Mariæ in Coſmedin lib.* 3. *pag.* 152.

(3) *Andreas Bernard. in Annal. Forol. M. S. pag.* 136. – *Albertinus pag.* 432.

PINVS NVMAIVS vtriuſque Iuris, ſed præſertim Pontificij, cùm illuſtrium Maiorum exempla ſequi propoſuiſſet, in celeberrimis officijs Iuſtitiæ, Romæ Senator, Mantuæ Prætor an. 1505. (1), & alibi ſubintendendo Iudex virtutem, ac optimas animi ſui dotes fecit clariſſimas, quæ ſicùt meruerunt Vrbium earum beneuolentiam, ità non citò lapſuram egregię adminiſtrationis memoriam apùd illas reliquerunt.

IOANNES MORATINVS legum ſcientiam cum bellicæ Artis peritià coniunxit. Pro S. Sede Gentilium ſuorum veſtigijs inſiſtens, forti, & inuicto corde primùm dimicauit, mòx à Iulio II. ad Capitolinam Dignitatem euocatus an. 1506. (2) in Polidori Tiberti Cęſenatis locum, prudenti regimine Quirites fortunauit. Tandèm in Bononiæ Prętura Vir toti Italię notiſſimus ob munera, & rerum geſtarum famam à viuis exceſſit an. 1511.

DE EXERCITVVM IMPERATORIBVS

CAP. II.

FVLCHERIVS CALBVLVS

INclytum Patrem Ioannem habuit, Petræ Appiæ, Arci Elmicis, alijſque montanis locis imperantem, quę quidèm Ditio vires augebat Calbulenſium Familiæ, nulli, quæ tùm

(1) *Alex. Paduanius in Chron. ſub an.* 1505. - *Albertinus pag.* 432.

(2) *Creſcimbenius lib.* 3. *p.* 154. - *Albertin. p.* 432.

in Pa-

in Patrià floreret, nobilitate ſecundæ. Vocatus naturæ ingenio ad belli paritèr, & pacis munera obeunda, vtriſque egregiè perfunctus, magnam nominis celebritatem comparauit. Mediolani, Florentiæ, & Mutinæ Præturas, ac bìs Bononienſem Præfecturam obijt [1], quarum alterà Ius intèr Ciues dicebatur, alterà militaris Imperij regimen exercebatur. At non minimum interuallum vitæ in ſimultatibus contriuit, & in diſſidijs Guelphæ ſectæ confouendis, vt Ghibellinæ præualentes vires vel conficeret, vel ſaltèm infirmaret; qua tactus dominij prurigine, cui præſens obſtabat Orgolioſæ Gentis fortuna, ſuopte victus voto, aduersùs eam pepigit fœdus, cum Ordelaphis, illoſque licèt iamdiù aduerſarios vocauit in ſodalitij ſortem, quam ſuorum armis tentare potuiſſet. Ergò ſimùl vtraque Gens coactis clientibus, & ſocijs, paratiſſimas copias decem mille peditum, & equitum quingentorum conſcripſerunt, quibus repentè in Regnantes irruère. Prœerant agmini primo Paulucius cum Fulcherio fratres; ſuccedebant cum cohortibus ſuis Robertuus Glaceoli Comes, & Sinibaldus Ordelaphus, quem deindè ſequebantur Raynerius, & Ioannes Calbuli; quartum exercitus ordinem implebant Zappettinus, & Ceccus à Petrà acutà, ac Antonius Ordelaphus; mediam verò aciem Ceccus Ordelaphœ Familiœ primas, ac columen moderabatur. Ità procedentes Vrbem aggreſſi ſunt an. 1315., fruſtrà populſantibus Mar-

[1] *Cherub. Gherardac. in Hiſt. Bonon. part. 1. lib. 1. pag. 163. & lib. 12. pag. 167., part. 2. lib. 19. pag. 3., & lib. 20. pag. 57., & 61.*

chesio

cheſio Orgolloſo, & Ferratino Malateſtà infractis animis impetum inimicorum, & occupatis vijs, in Foro maximo ſummà contentione vtrinquè dimicatum eſt. Victis demùm intùs Competitoribus, partìm abactis, partìm interfectis, ceſſit Ciuitas nouis iamdiù affectantibus Dominis. Cum verò nunquàm fida ſit in Regno ſocietas, Ceccus Ordelaphus propriæ ſecuritati, magìs quàm gloriæ reſpiciens, Fulcherium nihil de conſorte dominij ſuſpicantem deturbauit. Deceptionis huiuſmodi quærebat vltionem Calbolus, niſi vigilantia cautum Dominatorem feciſſet, quam vt viciſsìm eluderet, opportunum tempus, & rerum viciſſitudines morabatur. Anno igitur 1321. delecto militum habito, congregatiſque fęderatorum ſubſidijs, fiducià plenus ad Foroliuij męnia vires, & arma contulit. Ceccus autèm, qui incredibili penè ſagacitate futura prænouerat, inteſtinis motibus ſolertiſſimè cauit, Ciues modicæ fidei detruſit, & ità Patriam muniuit, vt Fulcherius clientum ope deſtitutus, omni ſpe victoriæ poſità, in Picenum abierit, vbì magni populorum tumultus, paſsìm arma canentibus tubis æſtuabant. Tùnc enìm Auximates, Recinetenſes, & Firmani obduratis in ſeditione animis, obſequium Marchionis, qui pro Romana Eccleſia vniuerſæ Regioni præerat, audactèr recuſabant. Is audito Fulcherij aduentu, quem ingens belli peritia commendabat, ad ſtipendia, & imperium Pontificiorum accerſiuit, vt perduelles ad obedientiam, Sacramenti lege firmatam, armorum viribus reuocaret. Cum verò nèc minis, nèc terrore concuſſi in propoſito perſeuerarent, Fulcherius eduxit in aciem copias an. 1322., & ſub

& ſub Auximo montani ſitus aſperitate, ſed magis Ciuium pertinaciâ firmo caſtra poſuit. Hoc poſtquàm diù, & militaribus dolis, & apertis impreſſionibus labefactaſſet, ſummo tandèm conatu facto, per valla, per muros in Vrbem peruaſit, quam interfectis Actoribus tumultus, direptione, flammiſque abſumpſit. Nihil minuit Recinetenſium audaciam infortunium amici Populi, quo minùs defectionis conſilium ſeruarent: in eos propterea Fulcherius auidas prædæ cohortes impulit, Ciuitatem obſedit, inceſſanti aſſultu fatigauit, & tandèm victor expugnauit, nèc modicâ factâ cæde vaſtauit vndique incendijs. Intereà Firmani funeſta exempla ob oculos habentes, nè in ſupremum diſcrimen adducerentur, per Caduceatorem veniam errati flagitantes, deditionem nullis pactis circumſcriptam percuſſerunt [1]. Ità Picentibus ſedatis, depoſitoque Imperio, Fulcherius in Flaminiam redijt, cum Ordelaphis inducias ſub pacis nomine ſanciuit, & ſtimulis gloriæ concitatus eam in alijs bellis conquiſiuit. Multos poſt annos Franciſcus Ordelaphus Cecchi ſucceſſor, & frater, licèt ex Honeſtina Fulcherij ſorore natus, cum vetus odium in Calbulenſes, neglectis legibus conſanguinitatis enutriret, ac illos delere moliretur, an. 1339. oppidum Calbulum eorum Ditionis munimentum, omnibus artibus, ac niſu adortus eſt. Verùm cum inacceſſam Arcem optimè Fulcherius militibus præſidiarijs firmauiſſet, & validam opem à Flaminiæ Dynaſtis impetraſſet, præſertìm à Thaddæo Peppulo

(1) *Leo Cobellus in Chron. Forol. M. S. part. 1. pag. 57.*

Bononien-

Bononienſium Principe, eam à manibus furibundi hoſtis vindicauit. Sic Iacobo Thadei filio intèr montium anguſtias Ordelaphenſem aciem profligante, & Fulcherio mirà virtute, & conſtantià impetus hoſtiles retundente, præſtantiſſima munitio ſeruata eſt, in qua ipſe tandèm palmis, & annis plenus dies clauſit. Fuit illi morum grauitas, ab oris, & oculorum ſeueritate ſpirans, quam *Vsllanus*, & *Bonaſignus* à ſęuitię profectam crediderunt, forsàn excidia rebellium Piceni Ciuitatum metientes. Tradit *Martorellus* Fulcherium Auximates in Vrbani V. fidem redegiſſe an. 1360. [1], quod ſi Fulcherio, non huic certè, ſed iuniori (huius enim nominis plerique intèr Calbulenſes recenſentur) tribuendam eſſe opinor.

FRANCISCVS ORDELAPHVS.

EX potenti Ordelaphorum familià, Genitoribus Sinibaldo, & Honeſtina Calbulà ad humanarum rerum viciſſitudines præcipuè, viſus eſt naſci. Primos florentis ætatis annos militiæ conceſſit; maturiores amplitudo Ditionis illuſtrauit, qua Ciuibus metuendus, & exteris euaſit; poſtremos verò multę, & graues calamitates inuoluerunt. Eius æui Scriptores, & poſteri non ſanè definierunt vtrùm virtutes, an damnandi mores excellerint: fuit ſcilicèt adeò ſtrenuus, conſtans, & prouidus, vt nèc illi in cer-

(1) *Aloyſ. Martorellus in Memor. Hiſtoric. Auximi lib. 3. cap. 4. pag.* 158.

tamihibus robur, nèc inconcuſſus in periculis animus, nèc in aduerſis rebus conſilium vnquàm defecerint. Profuſa porrò ergà milites eius liberalitas extitit, quorum laboribus mercedem non tantùm auro perſoluit, ſed manſuris diuturniùs beneficijs rependit; contrà verò præcipitis iræ fuit, pertinacis, ſęuique animi, nèc non ęffrenis vel per nefas libidinis, quamquàm Eccleſiæ iura prohiberent. Belli diſciplinà à Cecco fratre inſtitutus eſt an. 1337. cum Fauentini Dominio Lugi, Ordelaphæ Domui obtemperantis, inhiarent. Franciſcus vt inimicorum conſilia fruſtraretur, & præſens diſcrimen militari dexteritate caueret, infeſta ſigna in Agrum hoſtilem impulit. Sic atrox, & omnium opinione crudelius intèr confines populos bellum efferbuit, quos fęderatę Ciuitates ex Tuſcià, & Ciſalpinà Gallià, iuxtà ſingularum vires, & ſtudia ſubſidiarijs cohortibus roborarunt. Per biennium acritèr certatum eſt, quo Franciſcus interuallo varijs caſibus pugnarum, & velitationum eruditus, perfectam bellandi Artem, tùm ab experientià magiſtrà rerum, tùm ab alacri admodùm indole ſuſcepit. Quanta fuerit eius in hac facultate peritia patuit præcipuè, cum Foroliuium arma Pontificis obſiderent anno 1331.; Cecco enìm fratre à viuis excedente, ipſe Patriæ defenſionem ea virtute, & fortitudine ſumpſit, vt obſeſſores, qui anteà victoriam impreſſionibus ſuis confiſi certò ſperabant, ob Succeſſoris Principis prouidentiam, & inuictum animum de ſoluendà iàm obſidione cogitarent. Ille verò cum nouiſſet non ſuarum virium eſſe diutiùs obſtare longè validiori potentiæ, conſtituit inſeruire tempori, & initis honeſtiſſimæ de-

 ditionis

d'tionis legibus, Forumpompilium, vbi domi-naretur ſe recepit. Tùm Bertrandus è Podietto Pontificius Legatus, Æmiliâ ſuæ poteſtatis factâ, ad res nouas animum nimis alta voluentem eleuauit, & copias in Raynaldum Eſtenſem Ferrariæ Marchionem conuertit. Raynaldus antequàm obſideretur, ſuos milites, & ſubſidiarios in Bertrandum eduxit, & felicitèr commiſſo prælio profligauit. Intèr captiuos Duces, exauctorati Flaminiæ Reguli numerabantur, quos non ſub rigidâ cuſtodiâ Victor habuit, ſed benignè exceptos liberalitèr dimiſit, vt potiri veteribus dominijs niterentur. Franciſcus, cui acerba regni iactura torquebat animum, euentus huiuſce opportunitatem arripuit, & paratas in plauſtro fęno graui latebras ingreſſus, primo mane per inclinatum pontem Portarum vigiles decepit. Mòx à dolis erumpens, elato enſe, audacique clamore ad arma Clientes, & Ciues excitauit in Pontificiorum excidium; nequè fruſtrà vox Principis audita populo, qui prorumpens domibus paſsìm in excubias fecit impetum, & præſidio partìm trucidato, partìm abacto, ei rursùs fidem iureiurando pollicitus eſt. Similis omninò commutatio rerum Cęſenæ contigit, vbì Rambertus Glaceoli Comes Præturam, Ordelaphus Præfecturam adierunt. Is verò benè Socio callidior ſolus in Regno eſſe machinabatur, paſsìm diſſeminans Rambertum affectare Ditionem, & opprimendæ libertatis conſilia moliri, Populum ad ſeditionem vocauit. Tùm Plebs incondita fidem adhibuit, furenſque Rambertum à Magiſtratu, & Vrbe eliminauit; ſed cum ſe tutam, & extrà diſcrimen ſeruitutis iudicaret, duriora vincula ſu-

bijſſe

bijſſe nouit. Franciſcus etenim competitore detruſo, qui ſolus obſiſtere potuiſſet, ſuperbè imperare cępit, & eos omnes præcellere formidine, quibus animus rebellandi ſuperfuiſſet. Sic partum dominium armis latiùs protulit; præſtantiſſimam nempè Rouerſani Arcem, Brittinorium ſitu validum, montana Ramberti caſtra, Duadulam, Caſtrocarium, Meldulam, aliaque leuioris nominis oppida ſubegit, ac demùm in Feretranà Regione inacceſſam S. Leonis Arcem, à Franciſco Petrelano erogatà pecunià coemit. Hanc potentiam in vi, & bello poſitam colebant ſubditi, timebant exteri, & confines Reguli obſeruabant; cum præſertìm ille magnas affinitates pepigiſſet, clientelas contraxiſſet, regijſque patrocinijs communitam reddidiſſet. Anno ſiquidèm 1347. Ludouicum Pannoniæ Regem ingenti exercitu ad vlciſcendam Andreæ fratris necem in Neapolitanum Regnum properantem, non ſolùm Foroliuij, & Cęſenæ ſelecto equitatu, & regali decore obuius excepit, ſed breui in Apuliàm ſecutus eſt. Ibì rebus benè, ac felicitèr geſtis, ſicùt conſors victoriarum fuit, ità congruam laboribus ſuis mercedem gloriæ reportauit: Qua Pannonici Regis, & Ludouici Boij Cęſareum nomen vſurpantis tutelà confirmatus, nèc iubentem Pontificem audiuit, nèc diras Eccleſiæ minitantem vnquàm pertimuit. Cum autèm perenni pace, & ſecuritate potiri in omnibus crederet, fatali bello circumuentus eſt, quod illi ſupremas calamitates attulit. Etenìm Innocentius VI. à primordijs ſui Pontificatus conſtituit, vel Tyrannos Romanæ Eccleſiæ oppida occupantes pellere, vel ſaltèm cohibere, vt impoſterùm ſeruantes fidem,

& eius mandata venerantes debitum vectigal perſoluerent. Difficilis prouincia Cardinali Ægidio Albernotio Hiſpano commiſſa eſt, qui licèt ſacris muneribus vacaret, tantà in re militari laude ornabatur, vt nulli peritiſſimo Imperatori poſthabendus eſſe videretur. Is claſſe copijs, & commeatibus inſtructà, ſecundum curſum tenens, ex Gallià Narbonenſi anno 1352. ad litora Tyrrheni maris appulit, cohortes in Patrimonio D. Petri expoſuit, & euaginato enſe, Vmbriæ, & Piceni Dynaſtas aùt eiecit, aùt ad obſequium reuocauit. Mox bellum in Flaminiam tranſtulit, vbì Polentanos, Alidoſios, ac demùm Manfredos portorio præſcripto, & imminutà poteſtate vectigales fecit. Solus Franciſcus Ordelaphus, quamquàm Socijs, & Patronis deſtitutus in ſua pertinacià obduruit, paratus de vita priùs, quàm de Regno periclitari. Ei nempè Carolus IV. Cęſar, quem Piſis commorantem adire contendit, opem, & acceſſum denegauerat, cęterique Regionis Principes futuris malis opportunè conſulentes, ab eius amicitià diſceſſerant, & Innocentio Pont. Maximo fidelitatis ſacramentum dixerunt. Verùm vt Ægidius inſpexit virtutem, & duritiem hominis, cum eo, ſeueritate poſthabità, lenitèr agere conſtituit, nèc inhoneſtis conditionibus, atque etiam oblato ſummo exercitus imperio, animum ſuperbum delinire, & à ſuſtinendi belli ſententià deijcere ſatiùs iudicauit. Cęterùm cum illecebras, & minas inanes eſſe comperiſſet, eius peruicaciæ, & crudelitatis Pont. Maximum certiorem fecit, qui Franciſcum de hęreſi ſuſpectum opinatus, Eccleſiaſticis diris deuouit, & æternæ vitæ præmia propo-

ſuit

ſuit Fidelibus ijs , qui ſigno Crucis armati aduerſùs illum ſtipendia meruiſſent. Tandèm Cruceſignatorum Ducem renunciauit Ludouicum Hungariæ Regem , vt tanti apparatus famà pertinacem Tyrannum expugnaret. At ille magis obduratus execrationes contemnere , & in colentes Romanæ Eccleſiæ auctoritatem debacchari non ceſſauit. Quibus Ægidius inſpectis, à vaginà gladium eduxit , & anno 1357. partem copiarum in Cęſenatem agrum impulit , vt ibi infenſæ diſcurrerent , tumultus miſcerent , & cuncta depopularentur. Commoti damnis Ciues, qui iàm crudele oderant Franciſci dominium , ſe vindicare à ſeruitute decreuerunt , & recluſis vltrò portis , excipere prædabundos hoſtes. Quod poſtquàm animaduertit Martia Franciſci coniux , ſtrenuiſſima heroina , & ſexus fęminei prodigium , in Muratam (sic exterior ambitus Arcis vocabatur) cum præſidiarijs militibus receſſit , ad ſubeundos quoſcumque caſus , & mortem ipſam oppetendam prompta. Legatus accepto per nuncios felicis rei euentu , ſtatim cum reliquo exercitu Cęſenam conuolauit , vt Arcem cogeret ad deditionem. In Pontificijs caſtris centum , & octoginta equitum turmę cenſebantur , & numeroſus peditatus : Ordelaphus autèm in præſidijs collocauerat equitum quatuor millia , & nonaginta cohortes peditum , partim ex ſubditis conflatæ , partim auxiliares , partim mercede conductæ. Cùm intereà præualentem numerum inimicorum dignouiſſet, nèc in patentibus campis periclitari fortunam pugnæ abſque notà temeritatis poſſe , munitionibus , & caſtris egregiè communitis, cauere ab incerto præliorum exitu,

& vim

& vim vi repellere niſus eſt. Verùm haud diù pòſt Ceſenati Arce ſummo conatu à Pontificijs impetità, occulto cuniculorum opere proſtratis vallis, & recentibus etiam ſeptis, atque aggeribus, quos Martia prouida, & generoſa cuſtos impreſſionibus hoſtium oppoſuerat, euerſis, cum maxima turris in meditullio ædificata, tota palis innixa tremeret, & ruinam minitaretur, Ægidius ad flectendam inuictæ mulieris conſtantiam, Ioanni Vbaldino Suxinanæ Comiti, qui ſub Eccleſiæ vexillis dimicabat, in mandatis dedit, vt filiam adiret, & denunciato mortis proximæ periculo eam ad ſanius conſilium reuocaret. At neque preces, neque lacrymæ Genitoris Martiam à propoſito detorſerunt; quin audiens aſſerentem, ſe nunquàm dedituram Arcem, niſi Vir ſuus id imperaſſet, virtutem admiratus, & certæ compatiens neci, ad Legatum lacrymabundus redijt. Quod fatale conſilium cum milites Propugnaculum tuentes improbarent, tumultu facto conclamarunt, ſe nolle vitas totiès glorioſis pugnis, & magnis diſcriminibus oblatas, turpitèr ſub laterum congerie terminare. Hac ſeditione inſpectà, Martia ſententiam immutauit, & deditionem pepigit, ea præſertim lege, vt defenſores quò mallent, cum ſarcinis, rebuſque ſuis illeſi demigrarent; ipſa verò cum liberis, & nepotibus captiua remaneret. Verùm eum Ordelaphus infortunia pati, & aduerſis reſiſtere fortis eſſe prædicaret, non deſpondit animum, ſed potiùs meliora ſperans in pertinacià confirmauit. Legatus Ceſenà captà, in Brittinorium caſtra mouit, quod ſub Galeotti Malateſtæ auſpicijs felicitèr ſubegit in conſpectu magnæ Socie-

tatis,

tatis, ad Ronchum flumen intentato ſubſidio confidentis. Nouerat, ſi quiſquam, ſagax Ægidius Franciſcum in feroci phalange ſpem ſuam poſuiſſe, vt propterea ſimili tuitionis fiducià caderet, grandi auri, argentique pondere erogato, venales copias ab Eccleſiaſtica Ditione amouit. Funeſta conditio rerum, quæ proſternere humanam conſtantiam potuiſſet, nihil Ordelaphi inconcuſſum pectus infirmauit in ſuis ærumnis percaleſcens; nàm cum ipſâ deſperatione confligari conſtituit, niſi temporis vices ſalutarem opem attuliſſent. At priuſquàm caritas gliſceret; quantam potuit annonę copiam in Vrbem inuexit, reliquas Arces validiùs muniuit, & Ciues ſęuum Regnum detrectantes, pauore mortis in fide continuit. Vbi Carilla nouit Franciſci peruicaciam, Foroliuium, ducto in coronam murorum exercitu, in quo pedites viginti millia, & equitum duo millia numerabantur, latè clauſit, ac illud premere vehementèr cępit, damnis agrum afficere, & impreſſionibus Vrbem agitare. Dum verò mala obſeſſorum augerentur, & vel nulla, vel modica ſubſidij ſpes populo in anguſtijs laboranti ſupereſſet, Albornotius ab Innocentio Pont. Max. in Galliam Narbonenſem intempeſtiuè vocatus eſt. Eo ab Italia migrante Arduinus Abbas Cluniacenſis imperium exercitus, & oppugnationis ſumpſit. Ordelaphus Ægidij diſceſſu audito ſummoperè exultauit, ac minimè ignarus nouum Ducem, bellicæ rei ſcientià modicè peritum, non eſſe cum veterano comparandum, intumuit. Itaquè crebriùs pontibus portarum inclinatis erumpebat, & velitationibus militari artificio inſtructis, pleroſque inimicorum perimebat; & nemine

& nemine ex ſuis deſiderato, in Ciuitatem recedebat. Quibus detrimentis Legatus terrefactus, ablatis tabernaculis, ad Ronchum flumen caſtrametatus eſt, & foſſis, valliſque caſtra circumſepſit. Cum verò Pontifex, quem enormitas ſumptuum angebat, belli diuturnitatem Arduini inertiæ tribueret, & Ægidij ſtrenuitatis meminiſſet, vt infirmas Franciſci vires penitùs deleret, eum in Æmiliam remiſit. Anno igitur 1358. ad finem properante, in tentoria venit, ſed à premenda Vrbe hyemis acceſſione retardatus eſt; vias tamèn vbique inſedit, vt inopiam commeatus augeret, & Ciues iàm diù inclementiam Principis ægrè ferentes, famis etiam aſpectu ad defectionem tentaret. At Franciſcus res in ſupremo diſcrimine verſantes non deſeruit, ſed vnum remedium labenti, & propè deſperatæ Ditioni videns, magnam Societatem, licèt in ſummà difficultate pecuniæ, ad ſtipendia denuò accerſiuit, mixtamque in priuatis domibus, cum mulieribus, & pueris rapacem militiam collocauit. Hæc iniuria non ſolùm omnes ab eius amore, & reuerentià diſiunxit, ſed ad furorem acuit: quod cum prudens Ægidius reſciuiſſet, nèc ſanum eſſe exiſtimaret certam victoriam incertæ dimicationis fortunæ concredere, ſeptem, & quadraginta millibus ducatorum auri dinumeratis, ſubſidiariam phalangem à Flaminia amouit. Intereà Caſtrocarium, Meldula, Aureolum, Petra Appia, & alia caſtra mœnibus præcincta ad pontificiam fidem redierunt; nequè proptereà vices huiuſmodi, & calamitates, furentem audacià Franciſcum inflexerunt. Mox tamen Ioanne Aulegio ſuadente, Pridie nonas Iulij an. 1359. Patriæ dominium

minium perditè ſuo mœrore confectus dimiſit. *Ioannes Geneſius* belli Ægidiani ſcriptor, Epiſtolam commendatitiam Barnabæ Vicecomitis refert, qua Inſubriæ Princeps Legatum obſecrabat, nè præclariſſimæ Stirpis Virum, non aliâ labe, quàm tyrannidis notâ fędatum, pateretur turpem inopiâ vitam traducere à Progenitorum dignitate abhorrentem. [1]. Quibus Barnabæ officijs Ægidius ad lenitatem adductus, clementèr ea vti victoriâ conſtituit, & per decennium Foripompilij, & Caſtrocarij Vectigalem Franciſcum declarauit, vt eo ſubſidio lapſę Ordelaphorum fortunæ conſuleret. Ità porrò Carillæ placuit Ciuitatis amęnitas vndique turribus refertæ, vt eam Sedem Italicæ Legationis fecerit; ibì deindè Palatium ingens, ac magnificum conſtruxit, Forum lapidibus conſtrauit, & perutiles leges à ſuo nomine Ægidianas appellatas, quæ adhùc florent, promulgauit. At non multò poſt vniuerſæ Regionis tranquillitas turbata eſt; nàm cum Aulegius ex Bononiæ Rectore ſibi ſuperbè dominium aſciuiſſet, & ab armis Bernabouis peteretur, diù reſiſtere deſperans, eam Vrbem in Firmanam commutare non renuit, vt procùl à viribus, ac minis præpotentis hoſtis imperaret. Hanc contumeliam ſibi ducens ab Ægidio irrogatam Vicecomes vlciſci contendit: In Bononiam nempè formidando exercitu vim fecit, & Franciſcum Ordelaphum, & Ioannem Manfredum, qui ad priſcas ditiones aſpirabant, vt per Æmiliam turbas concitarent, prouocauit. His hor-

[1] *Ioannes Geneſius de Sepuluad a in Compen. Belli Ital. lib. 2.*

Va tamentis

ſtamentis Ordelaphus porrexit aures, cum vetus Regnum deperiret; dolos inſtituit, & clientes ad rem iuuandam ſpe meliotis fortunæ accerſijt. At ſtatimàc Patriam adortus eſt, inſidiæ Pontificijs Ducibus, qui Ciuium omnes motus obſeruàbant, ità patuerunt, vt malè adſpirantis Franciſci exierit incaſsùm affultus, & opus habuerit ſe Forumpompilium refugere. Ductores præſidij conſilio inito, vt maiora mala cauerent, quæ prodire ex tumultu poterant, illius Auctorem, ad ſuſtinendam oppugnationem imparatum, obſederunt. Cum autèm ſagax Ordelaphus videret ſe expertem virium, & bellici apparatus, nèc aditum, aùt ſaluti, aùt fugæ ſupereſſe, ſimulauit tentati facinoris pęnitentiam, & ſe in obſidem fidelitatis, Pompilianam Ciuitatem in Pontificijs manibus depoſiturum, donèc æſtus Bononienſis expeditionis quieuiſſet. Firmatis concordiæ pactis, ad ſignandas tabulas Anconem, vbi tùnc Ægidius ſupplementa militum habebat, progreſſus eſt. Qua cognità ab Legato indolis inſtabilitate, noua ſempèr molientis, non ſolùm percuſſas conditiones Pacis repudiauit, ſed eum in carcerem coniecit, & mortis metu adegit, vt quibuſcumque iuribus Ditionis abdicatis, apùd Clodiam Venetorum exularet. Annuit per vim legibus ijs Franciſcus, vt à cuſtodià elaberetur; at vix in libertatem poſitus, ſpem eius decepit, non inhoneſtum periurium ducens, cum ille publicam fidem neglexiſſet. Quapropter citato itinere ad Bernabouem propè Bononiam caſtrametantem ſe ſe contulit, qui officiorum priſcæ amicitiæ non oblitus, eum ingenti benignitate excepit,

& exer-

& exercitus ſui Imperatorem dixit (1). Nèç defuit] eius expectationi Vir peritiſſimus militaris rei, arctiùs ſiquidèm Ciuitatem clauſit, acriùs impetijt, & intercluſo Aquęductu frumentarias molas agente, metuendam famem intèr obſeſſos inuexit, vt iàm omnes ſalutem laborantibus rebus deſperarent. Hanc animorum ægritudinem, quæ ciuium corda premebat, inexpectatum ſubſidium hilarauit; etenìm Galeottus Malateſta, Petrus Nicolaus Farneſius, alijque Eccleſię Ductores, per medios ferè hoſtes nocturnis tenebris protecti, in Vrbem peruaſerunt, & ſalutarem opem proſtratis omninò rebus attulerunt. 17. Cal. Iulij an. 1361. Sic męrore in lętitiam verſo, & Populi audacià confirmatà, poſtridiè eductis, & in ſuas acies redactis copijs, congredi aperto marte ſtatutum eſt. In planicie D. Rophilli collatis ſignis, & poſt atrocem pugnam fuſis Inſubribus, ac profligatis, Bononia tandèm ab imminentibus malis liberata eſt. Tùnc fortè Franciſcus aberat, ab exercitu digreſſus cum Equitum veteranorum turmis, vt Lugum oppidum, ſi in illud fortè hoſtes inuaſiſſent, tueretur. Infauſtæ cladis nuncium magno cordis dolore accepit; at cum infortunijs colluctari ſolitus, nouas ſeditiones miſcere, & aggredi Foroliuium cogitauit. Rem tamèn prudens meditatus, expectandam temporis opportunitatem duxit, & interìm Venetijs declinandas iniquæ fortunæ vices. Dùm autèm illùc graderetur, apùd Clodiam morbo correptus, vitam tot caſus proſperos, & aduerſos

(1) *Bernardinus Corius in Hiſtor. Mediol. part. 3.*

alternantem terminauit [1]. Erat diſciplinæ militaris admodùm ſtudioſus, vt ipſa pacis tempora in ludicris bellis collocaret. At per otium componere venenum acutiſſimi generis conſueuerat, quod ſupèr prunas effuſum, ex vi peſtiferæ naturæ, per nares ad cor deſcendens, repentinam adſtantibus necem inferebat (2). Fuit illi ſtatura mediocris, ſed lacertoſa, frons cogitabunda, & ſeueri vultus lineamentis diſeriminata, quam cutis ignea obducebat, animi ad iram procliuis index, capilli, & barba nigra. Bireto, & veſtibus nigri coloris vtebatur, baltheo præcinctis, cui enſem, & crumenam aptare conſueuerat, vt ſecum vltionis, & præmij inſtrumenta geſtaret, pallio vſque ad genua fluente; quemadmodùm eius Imago in meis ędibus aſſeruata oſtendit. Sociam habuit, non ſolùm thalami, ſed ſtrenuitatis Martiam Vbaldinam, quæ tres mares, fęminas duas enixa eſt, Ioannem, Ludouicum, & Sinibaldum, Honeſtinam Gentili Moliano Firmi Principi, & alteram cuius nomen comperire non potui, Comiti Caſtribarci apùd Tridentum nuptas. Ab Amica autèm honeſti Generis Scarpettam Epiſcopum Foroliuia-

(1) *Matthęus Villanus in Chron. lib. 1. cap. 53. & 77., lib. 7. cap. 64. - Bergomen. in Supplem. Chron. lib. 13. ad an. 1337. - Leand. Albert. Reg. 14. - Hieron. Rubeus in Hiſt. Rauen. lib. 6. pag. 549., & 568. - Vlderic. Raynaldus in Continu. Annal. Eccleſiaſt. ad an. 1355. 1357., & 1359. - Scipio Claramont. in Hiſtor. Cęſenæ lib. 12. 13., & 14.*

[2] *Nicol. Nicolius Medic. Florent. Collogu. 4. tract. 3.*

num

num procreauit. Cum tandèm Inſubres an. 1363. ad Soleriam Mutinenſis agri rurſùs commiſſo prælio, non minorem primà cladem à pontificijs retuliſſent, Barnabas pacem, quam magnà pertinacià recuſabat, interprete Petro Cypri Rege ſanxit. In ea preſertìm cautum eſt, vt Foroliuium, cum iàm Franciſcus ab humanis exceſſiſſet, eius filijs redderetur. Ità ex fęderis lege, Sinibaldus natu maior Patris ſolium aſcendit, cuius cineres hùc ab Euganeis deuectos, in D. Franciſci apùd Auorum oſſa, ſolemni pompà perſolutis Iuſtis inhumauit.

IOANNES ORDELAPHVS

GEneroſis Parentibus in lucem venit, Ludouico, & Catharinà Malateſtà, Principis Ariminenſis filià, in quo Franciſci Aui ſolertia, ſtrenuitas, & munificentia velut renatæ emicuerunt. E' bellis Flaminiæ vel adoleſcens militiæ rerum apprimè peritus euaſit, cuius præmatura virtus ſtatìm excelluit in Clodienſi obſidione à Franciſco Carrario, & à Ligurum copijs inſtitutà anno 1379.; & iàm tùm fuit compertum quantus Ductor à primis periculis exurgeret. Paratiſſima ſcilicèt indoles, & experientia bellorum, in quibus deindè maturiores annos tranſegit cupidiſſimè, parem optimis Ducibus eius ætatis reddiderunt. Et profectò in illo Virtutes omnes eluxere, quæ in ſummo Imperatore deſiderantur; nàm nèc vnquàm ei defuit ſolers ad res magnas ingenium, nequè in conſpectu

malorum

maiorum fortitudo , neque in proſperis modera-
tio . An. 1381. iàm ſatìs vbique celebris, Prætor,
Præfectus, & Defenſor Populi Senenſis creatus eſt;
àt cùm diù poſt abdita Senatorum odia, in apertam
diſcordiam erupiſſent, Ioannes ſe ſe prætorio mu-
nere abdicauit . Mòx priſtinum vitæ genus reſu-
mens (nàm eius animus ad immortalem gloriam
nitebatur) Legioni Roſę nomen dedit. Non ta-
mèn diù ſub huiuſmodi militiæ ſignis dimicauit;
tranſijt ſiquidèm ad Patauij Principes, & Mediolani
Duces, apùd quos diutiùs commoratus eſt bellicis
Præfecturis inſignitus , ibique de ſe per omnem
Italiam præclariſſimum nomen excitauit. Dùm in
grauiſſimis bellis ageret, non ditiora ſtipendia, ſed
incrementa honoris quærens , anno 1386. à Sini-
baldo Patruo ad Dominij conſortium vocatus eſt.
Ei tamèn Regnum perfidia Patruelium interclufit,
quos ditionis libido ad omne facinus aggredien-
dum impulerat . Etenìm Sinibaldum in obſcuram
cuſtodiam poſuerunt , nèc ſodalitium imperij fe-
rentes , opportunè munitâ Ciuitate , Ioannis ex-
pectationem, & votum deceperunt. Qui poſtquàm
vidit , eos conſanguinitatis leges protriuiſſe, ami-
corum ſtudia confouit, domi, foriſque inſidias in-
ſtruxit, & auxilijs Conradi Landi, & Aſtorgij Man-
fredi Patriam ſubigere in iniuriæ vindictam exęſtua-
uit . Verùm ea fuit Cecchi, & Pini prouidentia,
qui de iacturâ Principatus , & vitæ verebantur ,
vt nocte , dieque ciuium conuentus ſpecularen-
tur . Hac ſalubri cautione domeſtica molimenta
detexerunt , & capitali pęnâ à ſontibus exactâ,
arcanum ſeditionis ignem extinxerunt . Re prætèr
ſpem exeunte , Ioannes inoffenſum pedem retulit,
& ſubſi-

& ſubſidiarijs agminibus dimiſſis, Antonium Scaligerum Veronæ Principem, qui à præualentibus armis Ioannis Galeatij Mediolani Ducis præmebatur an. 1387., ſummà belli adminiſtratione donatus, vindicare conſtituit. Cum verò Scaligerorum Regnum iàm ad extremam ruinam properaret, Ordelaphus, licèt omni ſolertià, & virtute componere ordines perturbatos niteretur, & formidoloſos exemplo, & verbis inflammare, ceſſit demùm victus, & in captiuitatem venit. Sed quoniàm ſpectata virtus in hoſte deuicto, quamſæpè de victore triumphat, Vicecomes fortiſſimum Ductorem humaniſſimè acceptum equitatus Chiliarcham renunciauit. Quibus deindè conceſſis viribus poteſtatem fecit, vt auitam Ditionem recuperaret; tunc enìm à viuis ſublato Patruo, ſeù carceris angore, ſeù venenati potus dolo, Patrueles dominium obtinebant. Quamobrèm & turmis ſuis, & Ioannis Vbaldini, exulumque ſubſidijs ad Ciuitatem aduentauit, illam aùt vi apertà, aùt ſtratagemate ingreſſurus. Cum verò prouidi Regnantes hos niſus inanes reddidiſſent, nouum ab euentu conſilium cępit, & caſtris Bulgariæ, Polentæ, Caſalboni, & Cullianelli de iuribus Rauennatis Menſæ felicitèr ſubactis, dum Caminatium Arcem oppugnaret, inſurgente intèr eum, & Vbaldinum graui diſſenſione, iterùm felicitas exitus deſperata eſt. Hinc tùm à Foroliuienſi expeditione, tùm etiàm à ſignis Mediolanenſium diſceſſit, & apùd Carolum, & Pandulphum de Malateſtis, quos & amicitià, & affinitate attingebat, ſtipendia mereri decreuit. Mòx Romanæ Eccleſiæ, & Vladislao Apulię Regi ſtrenuè inſeruiuit, Ioannis de Treccijs

non

non ſanguine, ſed militari fide frater, & indiuiſibilis ad quamlibet fortunam comes. Tandèm diù, ſed fruſtrà optatum Regni conſortium, ad quod à Pino accerſitus fuerat, guſtare vix potuit; nàm, vt in humanis ſępè contingit, Patriam ingreſſus intèr gaudia, clamoreſque Ciuium, morboſà corporis affectione confectus, haud multò poſt intèr eorumdem luctum, peruenit ad exitum an. 1399. (1). Erat Ioannes membrorum ſtaturà ingenti, & appoſità ad dignitatem, obeſo corpore, albo, & formoſo vultu, à quo rari, & velùt ſparſi per mentum pili prodire cernebantur. Hæc exterior ſpecies: interiorem autèm ſagacitas, temperantia, magnanimitas, doctrina, & ſummus amor gloriæ decorabant: niſi tamen has animi laudes nonnihil obtenebraſſet cęterorum contemptus, & nimia regnandi per omnes modos cupido. Ab vxore ex Regulis Corriggij natà, nullos ſuſcepit mares, fęminam verò Catharinam, Bartholomęo Fregoſio, apùd Ligures claritate, opibus, & potentià florenti, nuptam, quæ enixa eſt Ludouicum Reipublicæ Ianuenſis Ducem.

(1) *Flauius Blondus in Ital. Illuſtr. Reg. 6. – Leander Albertus in Deſcript. Ital. Reg. 14. – Hieron. Rubeus in Hiſtor. Rauen. lib. 6. pag. 593. – Archang. Albertinus, Alexander Paduanius, & alij in Chron. Forol. M. SS.*

BROLIAS

BROLIAS BRANDOLINVS.

VEl Brandolini II. huius nominis, vel Guidonis filius, vt variè opinantur, qui rem in obſcuro latentem poſteritati tradiderunt. Ab ineunte adoleſcentià militaris gloriæ motum cum ipſo ſanguine à maioribus inditum, vt foueret altiùs, & exerceret, Brandolinum III. ſeù patruelem, ſeù fratrem enixè ęmulari contendit. Statìm igitur ſub inuictiſſimo, & æternæ recordationis Duce Alberico Veſtrio Cunij, & Barbiani Comite, in Gentes morum immanitate barbaras, quæ pulcherrimam Italiam cędibus, & rapinis deturpabant, robur ſuum palàm fecit. Deindè pro Carolo Malateſta meruit, antequàm diutiùs armorum decus, & potentiam Principum ſuorum Cecchi, & Pini de Ordelaphis bellator augeret, & adeò conſtans in ſuſceptà defenſione fuit, vt Arimini, & Foroliuij dominia ab hoſtilibus damnis vindicauerit. Porrò cum an. 1395. Ordelaphi, & Polentani delectus haberent, vt Azzoni Ateſtino opitularentur, qui Nicolaum fratrem à Ferrarienſi dominio detrudere moliebatur, is verò à Republicà Florentinà in clientelam ſuſceptus fuiſſet, in fęderatos pugnaturus Chunradus Altemburgi Comes Alpes ſuperauit. Magna ſollicitudo ex metu imminentis belli orta eſt. Ità Ceccus, & Pinus proſpicientes infortunia, quæ ſæpè ab incerto Martis exitu contingunt, Arces munire, & copias augere veteranorum ſupplementis ſatagerunt; cum præſertìm inimicos tranſmiſiſſe Apenninorum iuga intellexiſſent, Caſtrocarianę munitionis

quam ab Vrbano V., ſeù iuxtà alios à Bonifacio IX. non exiguo auri pondere coemerant, iugitèr inhiantes. Hæc prouincia tuendi Patriam, & Ordelaphorum Regnum Broliæ, & Brandolino commiſſa eſt, qui inſidias apùd Aureolum caſtrum poſuerunt, à quibus extemplò prodeuntes, Chunradi equitatum inopinato impetu in fugam coniecerunt, & intèr captiuos, & vexilla victis hoſtibus erepta, ouantium inſtàr Foroliuium redierunt. Vicecomitum Domui Brolias diuturnam virtutem, fidemque contulit, quæ publicas Ioannis Galeatij laudes exegerunt, eum velùt prototypum Ducibus ſuis proponentis. In rebus glorioſiùs geſtis Alexandria à Gallicis armis defenſa collocatur. Illam enìm Vrbem acerrimè impetitam, non modò ab oppugnatione liberauit, ſed profligatis ordinibus Gallorum, quibus Ioannes Comes Armeniaci imperabat, Ductorem ipſum ad ſua caſtra captiuum duxit. Hæc merita, ſumma in bellis imperia, & arctam Vicecomitis beneuolentiam Broliæ pepererunt. Ab ijs nempè in Tuſciam legatus eſt, iure penè regiæ poteſtatis, vt cuncta pacis, militiæque negotia, tanquàm verus Princeps gubernaret. Tùnc Senenſes in Ioannis Galeatij dominatum venerant, cui nihil deerat, præterquàm nomen Regis; nàm & ditionum amplitudine, & exercituum potentià, Regibus ipſis æquari poſſe videbatur. Huic tamèn repugnare, licèt eius viribus, & dominijs circumſepta Florentina Reſpublica auſa eſt. Id cum Vicecomes iniquè pateretur, eam & bellico apparatu, & Ductoris famà terrere conſtituit, vt deterioris fortunæ metu, conſilium in melius immutaret. Verùm quià in animis Ciuium dulcis

libertatis

libertatis amor sic hęrebat, vt ab illis nullo modo diuelli poſſet, vtraque pars ad tuitionem, & offenſam ſe parabat. Intereà Bonifacius IX. in Peruſinum Populum iratus, quòd ordine Nobilium deturbato, ſibi dominium temerè aſciuiſſet, Broliam ad illum ſubigendum euocauit, ratus eo Duce plebeios auſus cohibere, & Ciuitatem Pontificia dicta non audientem, cogere ad veteris obſequij fidem. Itaquè Brandolinus inſignibus Imperij acceptis, & exercitu luſtrato an. 1398. caſtra mouit, & in Aſſiſienſi agro metatus eſt, vt indè perduelles priùs terrore, quàm armis profligaret. At poſtquàm nouit irritas cecidiſſe minas, Bratio Montonenſi, & exulum ſectà ſtipatus, vſquè ad Portas Peruſiæ, omnia euertens diſcurrit, vt eam damnis, & rerum inopià fatigaret. His malis Peruſina Plebs vexata, cum ſecùs nequiret Eccleſiaſticum iugum, & optimatum regreſſum declinare, ſe ſe in tutelam Ioannis Galeatij tradidit; cui ſanè opportunum officium contigit, vt clariſſimam Vrbem ſibi compararet, & Pontificis expectationem, & Broliæ conatus præueniret. Hac Regni Inſubrici propagatione Florentini magis expauerunt, periclitantem libertatem intuentes. Vnum ſaluti præſidium reperiebant in ſpectati Ducis prouidentià. Quamobrèm Senatus conſulto habito decennis Armorum Præfectura Broliæ collata eſt, qui Bonifacij Pontificis iuſſione, amicæ Reipublicæ diſcrimen, velut proprium cernentis, oblatum Imperium nequaquàm detrectauit. Dùm autèm in eo ſpem omnem Florentini repoſuerant, inuicèm de publicà ſecuritate gratulantes, poſteriori bellici muneris anno, lętitia omninò in luctum conuerſa eſt.

Etenim Brolias correptus lue, quæ tunc per Etruriam graſſabatur, apùd Empolum è vita migrauit anno Chriſti 1400. (1). Florentiam delatus, & elatus eſt intèr cunctorum lacrymas in S. Mariæ Floris militari pompà. Inclytum, ſtrenuumque Heroem laudat *Pius II. Pont. Maximus in Commentarijs* egregij, & magni Ducis titulo, referens Broliam ſecretioribus militiæ legibus Sfortiam Attendolum Cottignolanum informaſſe, antiquis etiàm præclarioribus Ducibus peritià, & ſtrenuitate comparandum; quo quidèm nihil Viro glorioſiùs contingere tunc potuit, cum Sfortia intèr maximos Imperatores numeretur, qui Italicæ militiæ decus attulerint. Broliam reliquiſſe Franciſcam filiam, Monacho Triuultio Procori Mediolanenſi nuptam compertiſſimum eſt; ſed nequè de Vxore, nequè de maribus, ſi quos fortè genuit, vllum in caligine illius ætatis monumentum illuceſcit.

MOSTARDA DE STRATA.

MOſtarda, vel de Stratà, vel de Perelijs, vt alij ſentiunt, optimas dotes ſortitus eſt, non ſolùm ad ſui nominis, ac familiæ, ſed Patriæ ipſius ornamentum. Eximiè validum corpus illi dedit natura, & ad militiæ labores aptiſſimum, grauem oris habitum, & con-

(1) *Blond. Flauius in Ital. Illuſt. Reg. 6.* - *Pius II. in Comment. lib. 3. pag. 70.* - *Io: Antonius Campanus in Vita Bratij lib. 1.* - *Archang. Albertin. in Chron. Forol. M. S. ad an. 1395.*

filioſum

ſiliòſum vehementèr ad cauenda pericula Ingenij um. Sub Ioanne Aucuto, & Alberico Veſtrio celeberrimis Ducibus, militaris rei ſtudioſiſſimus, belli gerendi leges profeſſus eſt auidiſſimè ; deindè verò à primo abalienatus tanto Albericum amore proſecutus eſt, quanto Ioannem odio, ac ſimultate. Cum enim hi Præceptores diſſimili ratione certarent, & Angelus effręni auaritià ductus, Vrbes, agroſque diriperet, nèc à cędibus ipſis temperaret; Italus econtrà ad gloriam aſpirans, iniquè ferret Italicæ nationis contemptum, quam olim fuiſſe dominatricem Terrarum Orbis recordabatur, eam vindicare ab hac contumelià propoſuerat. Moſtarda Alberico adhęſit, qui Legioni ſub titulo S. Georgij conſcriptæ, ſtudio inſtaurandæ militaris artis, iampridèm in Italià deperditæ, cum pluribus alijs fortiſſimis Viris nomen dedit. Celebre illud Inſtitutum militantes ſacramenti religione ligabat, vt Gentes barbaras Italiam ſubuertentes inſectarentur, nequè priùs modum bello facerent, quàm hoſtes communis boni deleuiſſent. Moſtarda virtute quidèm, & animo eximius, nihil ab aduersà ſorte refugiens, & quæcumque deſpiciens pericula in varijs, atrocibuſque prælijs glorioſè conflixit; præſertìm anno 1378. in celebri ad Marinum pugnà. Ibì cum Albericus Vrbani VI. veri Pontificis cauſam tueretur, & Britones Clementis ſubdititij Paſtoris partes ſuſtinerent, congreſſu facto, in quo Moſtarda Armigerorum Eccleſiæ ordinibus imperabat, cruenta clades barbaris irrogata eſt. Nèc ſemèl victores Itali, quadraginta millibus equitum exterorum partìm fuſis, partìm cęſis, qui latè peragrantes omnia igne, & ferro

vaſtabant,

vaſtabant, hanc publicæ tranquillitatis peſtem tandèm extinxerunt. At laus liberatæ Italiæ à ſeruitute, & damnis efferarum Gentium, quæ vnanimi Scriptorum conſenſione Alberico tribuitur, abſquè iniurià etiàm Moſtardæ denegari nequit, tanti operis adiutori, ac ſocio. Dùm autèm an. 1393. in præſidio Piceni conſideret, ad inferendas ſuppetias Brittinorianæ Arci, quæ Pini Ordelaphi vim patiebatur, à Pontificijs accerſitus eſt. Ariminum profectus, vbi ſubſidia contraxit, poſthabità Principis ſui reuerentià, in quem arma moturus erat, præualentibus auitis ergà S. Sedem ſtudijs, & fide, auxiliares copias in munitionem introduxit. Quod vt audiuit Pinus, peritiſſimi Ductoris conflictum, & Pontificis minas declinaturus ab oppugnatione ceſſit. Poſt Brittinorii expeditionem Moſtarda ad Bononienſium ſtipendia tranſiuit, & intèr varios bellorum motus, cum inexplebili auiditate gloriam quęritaret, ſtrenuè, fortitèrque dimicauit. Etenim an. 1397. à Bonifacio IX. Imperator exercitus Romanæ Eccleſiæ dictus, Aſculum obſedit, impetu, & arte fatigauit, & eo deniquè potitus, ad obedientiam ciues detrectantes compulit. Nè tamèn ad priſtinam inſtabilitatem redeuntes, rursùs ab obſequio deficerent, in auctores ſeditionis, ſeuerioribus pęnis animaduertit. Hoc nuncio Pontifex valdè gauiſus eſt, & laudatiſſimos Moſtardæ labores, præmijs honeſtæ ditionis affecit, quæ caſtra inuicti filij Ludouicus, & Ioannes poſt exitum Patris tenuerunt. At ſeù vir fortis maiora concupiſceret, ſeù de mercede quereretur, non diù poſt à veteri conſtantià deflexit. Magno ſiquidèm intèr Picentes tumultu concitato, Aſculum, Staſ-

ſolum,

ſolum, Montem Filiorum Optrani, Montem Fanum, Offaneam, Montem Luponum, & Caſtrum Ficardum à Pontificià fide ſubtraxit, & omnia prędis, incendijs, & necibus repleuit. Hæc in Bonifacij paginà enarrantur, vbi ille quamuis notà perduellionis inquinatus, eo titulo honeſtatur, quo à Summis Pontificibus non Optimates, ſed celſi dumtaxàt Reguli inſignuntur *Nobilis Vir Moſtarda de Strata Domicellus Foroliuienſis, & nonnullarum Gentium Armigerarum Capitaneus* (1). Non multò tamèn poſt pęnitentià tactus intrinſecùs ad clementiam Pontificis confugit, cui nouis imposterùm argumentis emendaturum ſe collapſam fidem promiſit. Bonifacius, crimen confitenti, veniam dedit, nèc rursùs concredere belli adminiſtrationem dubitauit. Cum itaquè anno 1400. Ioannes Galeatius Mediolani Dux Peruſiam ſuo dominatui adiunxiſſet, Pontifex Bratij tùnc exulis Incitamento, qui opportunum tempus recuperandæ Vrbis demonſtrabat, potentem exercitum conſcripſit ſub Ductoribus præclari nominis Moſtardà de Strata, Paulo Vrſino, & Carrariæ Comite (2). Ab his ea Ciuitas vexata eſt, nèc diù reſiſtentes Vici, & Caſtra Peruſini agri, in Pontificis Maximi poteſtatem deuenerunt. Concidit obſeſſis animus, cum præſens iàm eſſet caritas cunctarum rerum, nullumque refugium futuris malis nanciſcentes, iniquę

[1] *Aloyſius Martorellus in Mem. Hiſtor. Auximi lib. 3. cap. 10.*

[2] *Io: Antonius Campanus in Vita Bratij lib. 1. Pompeius Pellinus in Scholijs Traduct. Italic. Vitæ Bratij libr. 1. pag. 7.*

pacis

pacis conditiones pertulerunt. Hic Bratius Moſtardam nouit præſtantiſſimum Ducem, qualem fama prædicabat; cumque conciliet amicitiam virtutis opinio, & magnum nomen, amabili quodam illigatus nexu, & fortitudinis, & militaris vitæ, eam conſpirationem voluntatis ſummis ſempèr officijs coluit. Innocentius VII. Bonifacij Succeſſor intèr alias ſui Pontificatus curas non poſtremam collocauit Aſſiſij recuperationem, naturà ſitus, & artis induſtrià egregiè communiti. Quaproptèr equites non plùs quàm mille, ſed multas peditum cohortes Moſtardæ ducendas dedit, vt eà qua pollebat ſcientià, rei difficultatem ſuperaret. Ille igitùr caſtris in conſpectu Arcis poſitis, quà impreſſionibus, quà dolis eam diuexauit, & demùm ſuperato pertinaci defenſorum robore ſubegit an. 1404. Poſtero anno ab Vmbrià in Tuſciam progreſſus eſt, Paulo Vrſino copias, & conſilia coniunxit; & Ioanne Columna apùd Pratum profligato, ac fractis Columnenſis factionis, & Vladislai Apulorum Regis viribus, quæ Innocentium opprimebant, Romam victor introiuit. Hæc tùnc ciuilibus procellis commota agitabatur; cùm enìm Ludouicus Melioratus Firmi Princeps, & Pontificis ex fratre filius, in duodecim Proceres Romanæ nobilitatis capitis pęnà animaduertiſſet, tumultuarię voces debacchantis populi per vias, & fora obſtrepuerunt. Quibus perterritus Innocentius exceſſit ipſe ab Alma Vrbe, & Viterbium ſe recepit, ibi permanſurus, donèc ſeditioſus furentium animorum æſtus refriguiſſet. Intereà Bratius, qui magnitudine mentis ad ingentia erigebatur, haud negligendam præclaram occaſionem putans, Romam

feſtinauit. Occurrit venienti ad Pontem Miluium Moſtardæ, qui multùm officere, ac prodeſſe eius molimentis poterat, & priſcam amicitiam nouà fęderis lege roborauit.. Conſilia iſthæc aduerſus caſus euertit; etenìm à Paulo Vrſino, qui amorem in ſimultatem verterat, poſtridiè in inſtructis inſidijs Moſtarda necatus eſt (1). Timuit propterea Bratius inſtabilitatem Fortunæ, & à Latio recedens, non eam prouocandam iudicauit. Ob tanti Viri mortem in ingenti męſtitià populus Romanus fuit, quemadmodùm & milites, qui in publicis, priuatiſque pugnis eius inſuperabilem virtutem viderant, & ſępè vulnerum cicatrices refricatas contempſiſſe, immemorem vitæ, & ſolam gloriam anhelantem. Ipſe Pontifex acerbum, & infauſtum ſtrenui Ductoris obitum commiſeratus, eum efferendum in Vaticanà Baſilicà mandauit, & imperatorijs Iuſtis, prout decebat, ſepeliendum. Erat Moſtarda exiguà facie, anguſtà fronte, quam non obliquæ, ſed rectæ rugæ interſecabant; magnis, & micantibus oculis, naſo exili, ore mediocri, à quo labrum inferius prominebat, barbà breui, & retortà, vt ex naturali effigie comperitur. In militari diſciplinà Liuienſis heros iſte auxit nonnulla; plura etiàm in melius immutauit; galeam nempè, thoracem, ocreas, clypeum, & reliqua veſtimenta belli, quibus tùnc ho-

[1] *Flauius Blondus in Ital. Illuſtr. Reg. 6. - Iacob. Philippus Bergomen. lib. 6. - Paulus Iouius in Elog. Vir. Illuſtr. - Franciſcus Maria Torriggius in Sacr. Antris pag. 601. - Pompeius Compagnonus in Regia Piceni pag. 264.*

mines protegebantur corio conſtructis , ferrea excogitauit . His inuentis poſterior ætas (in qua ab experientià ſempèr acuuntur ingenia) nihil abſtulit, præterquàm pondus , nè militum vires nimio ſudore minuerentur, & tolerandis laboribus redderentur infirmæ.

FRANCISCVS GAMBARALDVS

EX Comitibus S. Martini , ab adoleſcentià, vt Parentibus obſequeretur, habilis ad Sacerdotia fieri permiſit . Cùm verò ad belli ſtudium propenderet magis, Clericorum inſigne depoſuit , ijſque laboribus omninò ſe addixit . Nòn tamèn apùd milites clericalis titulus , iàm in cognomentum verſus obſoleuit , nàm & Presbyter, & Comes vocatus eſt . Militiæ pręcepta ſumpſit ſub diſciplinà fortiſſimorum Ducum, quorum imitari virtutem contendit , & illius fructus, laudem, & gloriam comparare. Hoc militari ſtudio tantus euaſit Ductor , quantus ad imperia , quæ geſturus erat, exigebatur. Diù ſub Philippo Maria Mediolani Duce , & diutiùs ſub Ludouico III. Hungariæ , Hieruſalem , & Siciliæ Rege varijs muneribus , ac Præfecturis non ingloriè perfunctus, robuſtiores annos intèr bella traduxit. Eum enim longa exercitatio armorum , & ancipites pugnarum caſus, adeò verſatum , & fortem , in vtraque fortunà reddiderunt , vt nequè in fauſtis moderatione, nequè vnquàm in aduerſis rebus fortitudine caruerit. Licuit ſibi permittente Rege Foroliuium reuerti an. 1433., vt ibi coniu-

gem

gem duceret Thomæ qu: Nerij Coltrarii genitam: quibus quidèm nuptijs magnifico luxu celebratis, feſtinauit, antequàm ver appeteret, ad Regem [1]. Opportunus eius aduentus fuit; exorto ſiquidèm belli motu circùm oppida Roſiti, Boliti, Nucerię, & Chorinti, Ludouicus valido copiarum apparatu facto, ſummum Franciſco imperium commendauit. Quæ verò initia bellum ſortitum ſit, quos progreſſus, quem exitum, nihil memoriæ porditum eſt. Id ſanè comperitur, cum viriles annos intèr militiæ curas tranſegiſſe; ingraueſcentes autèm in paternæ domus requie. Cùm igitùr ad S. Martini Vicum, ſtirpis ſuæ Dynaſtiam, ſeceſſiſſet, vbì reliquias ſenectutis ageret, bellicis, & ſenatorijs officijs expeditus, Florentini, qui citrà Apenninos latè Caſtrocarium vſquè dominabantur, populabundi in Foroliuienſem Agrum irruerunt. Non pertulit Franciſcus contumeliam, etenìm Colonis ad eam vlciſcendam excitatis, tumultuarijs copijs Tuſcos inſectatus, non modò prædam abſtulit, ſed alios fudit, alios captiuos fecit, pleroſque in Caſtro Belfloris ex fugà receptos circumſepſit. At non diù poſt Etruſci vt ignominiam extinguerent, ac detrimentum repararent, acceſſitis copijs, quæ Ciſapenninam Reipublicæ Ditionem tuebantur, in Liuienſem planiciem iræ, & minarum pleni deſcenderunt, Culmanum ſubegerunt, & in præſidiarias Antonij Ordelaphi cohortes, in Pagorum cuſtodià collocatas, vim fecerunt. Dum autèm iſtæ inopinato impetu perculſæ ſe in fugam conieciſſent, &

(1) *Ioannes Dipintor. in Chron. Forol. M. S. Rubr. 643.*

rurum incolæ de propriâ, pecudum, & ſupellectilis incolumitate metuentes, à caſis pauidi, ac proſtrati ad Ciuitatem demigrarent, Franciſcus eo ſtrepitu excitatus, priùs enſe, quàm veſtibus correptis, ſeminudus è cubili proſiluit. Tùm verbis, & auctoritate fugientes remoratus, Agreſtes in ordinem redegit, & vt ſuſtinerent diſcrimina, ſpe proximæ opis erexit animos. At metu prçoccupati, non modò congreſſum, ſed nè aſpectum quidèm hoſtium ferre valuerunt. Fortiſſimus tamèn Ductor, quamquàm ab armatis deſtitutus, maluit prçclaram oppetere mortem, quàm turpem fugam eligere; etenìm licèt ægrè pedibus hærens, quos nèc tibialibus, nèc calceis munitos aſperæ viæ ſaxa vulnerauerunt, Tuſcos in ſe ruentes incredibili virtute excepit, & retudit. Cùm autèm innixus gladio pedetentìm referret greſſum, ſocium Andreæ Corſi Comeſtabilis Florentinorum, eum in ſuam poteſtatem redigere nitentem, toto collecto ſpiritu, poſt acerrimam colluctationem, extorto felici auſu à dexterà enſe, hoſtem lethali vulnere deiecit. Dimicauit egregiè vſquè ad inclinatum ſolem; in quo conflictu vulneratus vndiquè, deficientibus qui mederentur, ferrentque opem, effuſo penitùs ſanguine Franciſcus occubuit. Laniatus crura, & femur poſtridiè repertus eſt, effuſique ab Vrbe Ciues, corpus fortiſſimi Ducis ad tumulum proſecuti ſunt, militari pompà elatum [1].

(1) *Leander Albertus in Deſcript. Ital., Reg. 14. - Dipintor. in Chron. Forol. M. S. ad an.* 1441. - *Alexander Paduanius in Chron. Forol. ſub an.* 1434., *&* 1441.

ITALIA-

ITALIANVS ARMVTIVS.

ITalianus ex Plebe Quinti Foroliuienſis Agri, Mutium Parentem habuit, Virum opulentum, ſed limitibus ruſticæ conditionis circumſcriptum. Cum ſublimem ſpiritum ſortitus eſſet, ac pleroſque ab humili emergentes ſorte ad magnas dignitates, ac ſplendorem gradus perueniſſe meminiſſet, eorum exemplis conformari, & perſequi virtutes incępit. Vigebat tùnc vbiquè locorum Sfortiæ Attendoli Cottignolani nomen ampliſſimum, qui ob miram rei militaris experientiam, ac relatas ab hoſtibus victorias penè ad laudem veterum Imperatorum pertingere videbatur. Tantum Ducem adiuit Armutius, ac ſe Flaminium profeſſus, rogauit, vt ſub illo liceret militiam ſequi. Admiratus Sfortia Iuuenis alacritatem, ac robuſtas vires ad quoſcumque labores perferendos aptas, vt bono animo eſſet, & ingentia ſperaret monuit, ac illi honeſtum intèr Cataphractos ſuos locum dedit. Breui inſtitutus rudimentis belli, cum in periculis, & conflictibus, robore ſimul, & expertâ dexteritate cęteros vinceret, ad munera promotus eſt Centurionis, Primipili, & Tribuni. Nèc ſolùm Sfortiæ, ſed etiàm Franciſco eius filio peracceptus fuit, cum illius conſilia plena prudentiæ, & fidelitatis inueniſſent. Ei ſcillicèt, creſcente amore, qui à ſimilitudine virtutis, & morum generatur, in arduis expeditionibus non ſemèl partem copiarum ducendam crediderunt. Dùm igitur an. 1435. in Nicolaum Fortebratium implacabilem Rom. Eccleſiæ hoſtem ſigna inferret,

milites tanti hoſtis acceſſu pauidos, & proſtratos non modò erexit, & propoſità Iuſtitię causà, ad dimicationem acuit, verùm etiàm Franciſcum Picentium Marchionem, infortunijs vbiquè obſęptum, in ſpem optimam induxit retinendi Dominij. Cum verò prudentis ſit futuris malis prouidere, nè ſubeundi belli prouinciam temeritati committeret, primùm conſtituit Alexandro Franciſci fratri in ſummis aſperitatibus rerum, & anguſtijs temporis opitulari, deindè in vnum recipere diſperſas vires, vt validiori acie ſuſtinere impetum hoſtilem poſſet. Quod vt ingenità ſolertià Fortebratius nouit, aùt impedire copiarum coniunctionem, aùt ſaltèm retardare ſatiùs iudicauit, & citatis itineribus progreſſus ad Montem Floris, Armutium aſſecutus eſt. At aſſuetus vincere priuſquàm confligeret, nimiùm virtuti militum, & fortunæ fretus, haùd dubitauit, licèt in arctis, abruptiſque locis, Hoſtes adoriri, quos putabat non ſolùm impreſſionem, ſed nè aſpectum quidèm ſuum laturos. Italianus autèm, quamquàm numero inferior, nil deſpondit animum, & accomodatà tempori concione, commilitonum animos tanti hoſtis aſſultum metuentes, felicis prælij fiducià impleuit; ſtatìmque nudato enſe antè omnes, quaſi ad certam victoriam procedens, virtutem ſuorum accendit ad prælium. Collàtis vtrinquè ſignis, cum Armutiani terribili impetu ab hoſtibus excepti obtepuiſſent, & confuſis ordinibus inclinare ad fugam viderentur, eos & imperio, & exemplo Italianus reſtituit, ac diſcurrens quò præſens periculum vigebat, digeſtis, & glomeratis agminibus pugnam integrauit. Sors hactenùs amica Bratio, tùnc eum dereliquit. Suis enim

enim demùm fuſis, & vertentibus terga, dùm per anguſtum callem intèr palantes, & inordinatas copias, propriæ incolumitati conſuleret, ruente in ſemitam nemoroſam equo, euadere nequaquàm potuit. Quippè cum ſub pondere armorum, & intèr ceſpitum impedimenta ſe reſtituere à lapſu fruſtrà niteretur, & indecoram captiuitatem pati recuſaret, honeſtam mortem pręponens turpi vitæ, à ſtrenuo bellatore Criſtophoro Taurello, dùm ſecum iurgijs, armiſque contendebat, lethalitèr confoſſus eſt. Eo proſtrato, alij capti, alij fuſi ſunt; currus qui in Bratianis caſtris erant ad ſuos iterùm deuenerunt, & Leo Sfortia ab Aſſiſienſi Arce eductus, vbi vel ſeruitutem, vel necem expectabat, in libertatem vindicatus eſt. Fortebratio extincto, in Piceno Italianus non minori laude certauit, & veterum Heroum gloriam affectans, ſibi à Camertibus oblatam eorum Ciuitatis ditionem, raro moderationis exemplo detrectauit. Nèc diù poſt ſęuiente intèr Pontificem Maximum, & Mediolani Ducem bello, ad Inſubres acceſſit, Nicolai Piccinini ſummi Ductoris pollicitationibus illectus, qui ab Armutij operà, & conſilio magnum emolumentum ſperans, eum & amplioribus ſtipendijs, & trium Caſtrorum Tortonenſis agri dono, à Pontificijs ad Mediolanenſium ſigna abduxit. Sic anno 1438. intèr Cenomanos ſub Brixia progreſſus, quam Inſubres atroci oppugnatione petebant, varià fortunà dimicauit: Primò enim inſeſſis vijs trium mille peditum, & ſexcentum equitum pręſidio, per quas & auxilia militum, & commeatus in obſeſſam Vrbem importari potuiſſent, à Paride Lodronij Comite exinopinatò circumuentus, ſuorum

fugam

fugam cohibere nequiuit, qui metu perculſi, & audire imperia, & reuerti ad ſtationes neglexerunt. Hæc Italianus damna meliori euentu reparauit; etenim dùm equitibus, peditibuſque ſuis vim in hoſtes, ſaltum Tieni cuſtodientes, intuliſſet, partem militum necauit, partem cum Ducibus, & annonà cępit. Qua re valdè elatus Madernum, Penetras, & Torbulas occupare contendit, nè illàc ſubſidia Brixiam veherentur. Dùm autèm Petrus Zenus Venetę claſſis legatus in Benaco lacu, & Petrus Auogadrius validis copijs obſiſterent, eiuſq; conatus propulſarent, apùd Madernum collatis manibus, Armutium profligarunt, qui fugà elapſus, Salodium ſe recepit, & Nicolaus Guerrerius, Antonius Triuultius, Gherardus Tertius, alijque Duces, vel in poteſtatem inimicorum deuenerunt, vel obtruncati ceciderunt (1). Hanc cladem, non minùs funeſta conſecuta eſt: Anno ſcilicèt 1440. exercitus vterque ad Olei fluminis ripas prælium commiſit, quod Venetis ſecundum, Mediolanenſibus infauſtum contigit; deſtitutis nempè ſignis paſsìm delabentes, nullum aditum aùt ſaluti, aùt fugæ repererunt, vt propterea Italianus nocturnis tenebris prætectus, per medios hoſtes, Cremam euaſerit. Hæc triſtis rerum aduerſarum ſeries animum Philippi Mariæ Vicecomitis, eam non caſui, ſed vel incuriæ, vel infidelitati Ducum tribuentis, non parùm à beneuolentià Armutij abalienauit. Nèc reuocatus ad lenitatem fuit Princeps Italiani proteſtationibus, ſe nihil muneri ſuo defuiſſe

(1) *Ludouicus Cauitellius in Annal. pag. 180, & 181.*

concla-

conclamantis; ac oppida Buſchi, & Fregaroli in Alexandrino Agro pro ſtipendijs, & mercede laborum flagitantis. His precibus parùm acquieuit Vicecomes; ipſum tamèn ab Inſubria in Picenum vltrò miſit, equitibus mille, ac quingentis, ac ſelectis peditibus tercentum, vt in Franciſcum Sfortiam, priùs ad Generi gradum euectum, tùnc verò ob mentis inconſtantiam habitum hoſtis loco, feliciùs præliaretur. Ceſſit Italianus tempori, & Philippo Mariæ obtemperauit; At dùm in Pontificijs caſtris degeret, criminatione æmulorum oneratus, quòd cum Iacobo Vainà Equitatus Tribuno conuolare ad hoſtilem exercitum pararet, Aloyſij Cardinalis Patauini Pontificis Legati iuſſu, cui Vicecomes incitamentum dederat, ambo ſub firmà cuſtodià detenti ſunt. Mòx in ſeueram criminis quęſtionem poſiti, quamquàm illius confeſſionem nulla vis tormentorum extorſerit, inſontes (vt referunt) apùd Roccham Contrariam capitis pęnam luerunt an. 1446. Is Italiani fuit exitus, cuius vitam abſtulit miſerè ſecuris Carnificis, quam delere nunquàm potuerunt enſes inimicorum. Ab Vxore Helenà Tomacellà Neapolitanà, Andreæ Piceni Marchionis, & Agnetis Trinciæ ex Principibus Fulginatium natà, nulla ſoboles remanſit. Itaquè Armutium Genus à Ioanne eius germano, ob inſignem prudentiam Caput-hominis appellato, propagatum eſt. Cùm autèm ingenerentur mores non tàm à ſanguine, quàm à maiorum exemplis addiſcantur, Italiani ſtrenuitas etiàm in fraternam poſteritatem deriuaſſe viſa eſt. Cęterùm quamuìs in dubium vocari huius viri Patriâ non debuerit, *Palladius Oliua*, eum prodijſſe ex oppido S. Viti, & ex Familià

Lyntheria ſcribit [1] . At ſimilitudo nominum , qua non rari Scriptores allucinati ſunt , ſatìs reuelatur ab Inſcriptione Sepulchrali in S. Mariæ Seruorum Ferrariæ inciſâ , Vitaliani Lyntherij Clementis VII. Caſtrorum Præfecti, Furlani nuncupati, & Vitaliani Senioris ex fratre nepotis (2). Ex ea nimirùm liquet duos, & diſſimiles prorsùs Viros extitiſſe, alterum Italianum Foroliuienſem , alterum Vitalianum Foroiulienſem . An verò poſtremus , qui celebris Italianus falsò à nonnullis iudicatur, ex Foro Iulio, an ex oppido Sabionetæ ortum trahat, vt variè *Oliua* , & *Guarinus* ſentiunt, cum mea non interſit , alijs relinquam cognoſcendum . *Andreas Bernardus* Bononienſis, qui Patriâ cedens, Foroliuij ſedem collocauit , & propè coętaneus fuit Italiano , viditque Antonellum ex Ioanne eius fratre natum , Armutiam Gentem originem duxiſſe è Plebe Quinti Foroliuienſis Agri affirmat (3). Ruſticam conditionem , ac initium , *Albertus* , *Scottus* , & alij Scriptores memoriæ poſterorum demandarunt, licèt ex rure Pompilienſis ſoli , cui conterminum eſt , eam falsò iudicarent (4) . *Rubeus* tamèn in ſententiam Pompilianis fauentem cadit; tradit enim Armutiam ſtirpem Forumpom-

(1] *Palladius Oliua in Hiſt. Foroiul. part.* 2. *lib.* 1.

[2] *M. Antonius Guarinus in Ferrar. Sac. lib.* 2. *pag.* 50.

(3) *Andreas Bernardus in Chron. Forol. M. S. pag.* 70. *ſub an.* 1484.

(4) *Leander Albertus in Deſcript. Ital. Reg.* 14. *Franciſ. Scottus in Itinerario part.* 1. *pag.* 262.

pilium

piſſum coluiſſe, antequàm à Card. Ægidio Albornotio deleretur; mòx in Plebem Quinti Foroliuienſis Ditionis ſeceſſiſſe, & tandèm oppido poſterioribus æuis reſtituto, in priſcum domicilium rediiſſe. Quæ opinio etsì nonnihil aliorum Auctorum ſenſui aduerſatur, tamèn Foroiulienſium iura eliminat. Cęterùm coętaneo Scriptori, & extero magìs quàm ſequentium ætatum credendum eſt, in quibus caligo præteritarum rerum infuſcat humanam fidem. *Volaterranus* etiàm, *Textor*, *Panuinius*, *Sanſouinus*, *Ammiratus*, *Saluius*, & potiſſimùm *Guicciardinus*, & *Iouius* poſteros Armutiæ, vèl Zampeſchæ propaginis ità non obſcurè Foroliuienſes vocant (1), vt ineptum eſſe videatur, in re tàm certà, & grauiſſimorum Auctorum teſtimonijs comprobatà, ancipiti animo ęſtuare.

BRANDOLINVS DE BRANDOLINIS

AD arma natus eſt an. 1365. ex Guidone Patre, tertius huius nominis in hac familià. Magnam rei bellicæ peritiam ſub Bratio Montonenſi accepit, cui tantà fidei conſtantià adhęſit, vt vnius Ducis illius fortunam ſequi voluerit, prætereà neminis. Iſtius mutuæ amicitiæ nexus ità Brandolinum ab amicitià Sfortiæ Cotignolani amouit, vt aduersùs illum, licèt Broliæ Tyronem æternum odium exercuerit. Apùd Bratium belli præceptionibus imbutus, per-

[1] *Guicciardinus in Hiſt. lib.* 9. 10. 13.- *Iouius in Hiſtor. ſui Temporis lib.* 4. 12.

uenit ad gradus quàm honeſtiſſimos: nempè fuit inconcuſſo in periculis corde, prouido in arduis rebus conſilio, & inuictà quibuſcumque in euentibus virtute. Anno 1417. cum in expeditione Almæ Vrbis ſectatus eſt, & Hadrianam molem validè, & inceſſantèr impetitam, in ſupremas anguſtias poſuit, vt iàm perculſis terrore defenſoribus ad deditionem propè cogerentur. At improuiſa lues, quæ obſidentium pleroſque inuaſit, & extinxit funeſtiſſimè, Bratij felices exitus inuertit; nàm ille ſtatìm tabernaculis ablatis, in Vmbriam cum ſuis cohortibus receſſit. Ibì Aſſiſium difficultate ſitus, & munitionibus protectum, Bratius, & Brandolinus adorti ſunt; ſub quo caſtrametantes, per ſollicitos nuncios audierunt, Sfortiam cum ſelectiſſimo equitatu (erant vndecim equitum millia) in eos mòx pugnaturum. Bratius non expectandum deſidiosè hoſtes decernens, in Viterbienſem Agrum feſtinantibus occurrit, & acie ſtatim inſtructà, bellicum cecinit. Dum clangentibus tubis vtrinquè prçlium miſceretur, Brandolinus in primis ordinibus decertans ſecundus nemini ſtrenuitate, cum Sfortià congreſſus eſt. Atrocius certamen reddidit confligentium ſeù laudis cupiditas, ſeù vetus odium, ſeù vtrumque, diſpari motu animorum. Tandèm præceps enſium colliſio Sfortiæ fatalior quidèm contigit; quippè non leui vulnere petitus vidit Brandolinum eodem calore pugnæ intèr confertos hoſtes ruentem; quibus circumſçptus, poſtquàm diù vibratos in ſe mucrones declinaſſet, quà potuit humana virtus, demùm feſſus, at non inglorius in captiuitatem venit. Quæ certè captiuitas dolenda admodùm Bratianis euenit, ſed non diù dolor

confecit

confecit animos: etenim victus Ductor fortiſſimus coràm Sfortia deductus, certæ morti, vt credebat, paratiſſimus, memor ſcilicèt antiquæ hoſtilitatis, ſecùs quàm crediderat factum vidit; quippè cum Victor vltoris notam vellet effugere, & clementiæ laudem affectaret, non modò non illuſit victo, ſed eius fortitudinem in conſpectu exercitus ſummis præconijs celebrauit. *Haùd me pudet*, inquit, *Commilitones infortunij mei; etenim nèc à vili, nèc à gregario-milite ſauciatus fui, ſed à ſtrenuo, nobiliſſimoque Duce; eius propterea exemplum antè oculos veſtros conſtituo, vt impigrè innitemini, ſi per virtutis gradus peruenire ad nominis immortalitatem exoptatis*. Poſt laudes huiuſmodi, Brandolinum à militari cuſtodia iuſſit educi, qui lętior de reditu ad ſummum Ducem, quàm de Vita, tantam in ſuis caſtris exultationem commouit, quantus anteà męror vultus militum, iacturam deplorantium, fędauerat. Haùd multò poſt in Guidonem Feretranum, & in Pontificios caſtra mouit; ſed hos armorum ſtrepitus initum fędus cum Martino V. extinxit. Itaque Bratianæ copiæ in Flaminiam progreſſæ ſunt, vt indè detruſà Bentiuolorum ſtirpe, quæ Bononienſibus dominabatur, eam Ciuitatem ad S. Sedis obſequium reuocaret. Peractis Vmbriæ, & *Æ*miliæ bellis, Bratius ab Alphonſo Neapolis Rege, & Ioanna coniugibus, ad ampliſſimum Imperatoris, & Magni Comeſtabilis miniſterium accerſitus, in Apuliam contendit, omnium rerum, & conſiliorum conſorte Brandolino. Cum verò Ioannam ex inconſtantià, & leuitate fęmineæ naturæ duxiſſe Virum pęniteret, atque eum exauctorare, & contrudere in carcerem

cerem

cerem machinaretur, Bratio regias fouenti partes, perduellionis iudicium intendit. Iſte irà, odioque concitatus Amiternum adortus eſt.; In quibus, & ſuperioribus etiàm prælijs intèr veteres competitores Sfortiam, & Bratium commiſſis, Brandolinus illud virtutis ſuæ ſpecimen oſtendit, vt ſępè ipſis hoſtibus ſtupori eſſet. Deniquè Bratio ex graui vulnere obeunte anno 1424., eam ipſe iacturam vſquè ad lacrymas doluit. His Iuſtis fido, ac indiſſolubili Amico perſolutis, apùd alios Principes militarem gloriam, quæ laborum, periculorumque merces eſt ſempiterna, obtinuit. In primis pro Philippo Maria Mediolani Duce, deindè pro Republicà Venetà certauit, Eraſmi Narnienſis eorum Imperatoris conſors, intèr quos arctæ amicitiæ memoria reſtaurata eſt. Qua sìc recenti nexu vicisſìm renouatà ad eam firmitatem creuit, vt nullo vnquàm inuidiæ, & æmulationis malo potuerit labefactari. Ambo enìm tanquàm Duces, ambo milites, alter alterius obibant munera, nullo diſcrimine Imperij, & obedientię detrimento. Quam fidem hìnc indè datam, & acceptam Tiberti, & Romagnolę, vtriuſque natorum, nuptiæ inconcuſſam reddiderunt. Hæc virtutum adiutrix beneuolentia fortiſſimis Ducibus à naturà conceſſa, oculos in ſe conuertit vniuerſi Senatus, qui vnanimes voluntate, & rebus gerendis XII. Cal. Martij an. 1437. Comites Vallis Marini, & Soleghetti in Cenetenſi Agro renunciauit. Verùm ea caſtra Tiberti poſteris nequaquàm paruerunt ex teſtamento Patris, quod Rolandus de Aſolo obſignauit ſub an. 1456. Ille enìm iuribus Ditionis abdicatus eſt, cùm iuſſus Reipublicæ parùm reueritus, ad Inſubrium ſtipendia perrexiſſet.

perrexiſſet. Tandèm celebris Ductor præcipitatà ætate, & ſub galeà confectà, in Dynaſtià requieuit (1); duobus liberis relictis, à primà, nempè Vxore ex Dominis de Tella, Tiberto VIII., & à Lippa Alidoſia Ioannis filia ex Principibus Foricornelij, Cecco: Totidem ex Amica ſuſcepit Semideam, & Hectorem Venetæ cohortis Ducem, qui intèr arma prodijt in lucem, vitam traduxit, & clauſit.

TIBERTVS BRANDOLINVS

IN hac ſtirpe octauus, Brandolini ex primà Vxore Dominorum de Tella natus anno 1414., non ſolùm auitę, paternęq; virtutis imitator, ſed & æmulus laudis cunctos ex maioribus prætergreſſus eſt nominis glorià, & rerum geſtarum celebritate. In illo ſiquidèm mira rei militaris peritia emicuit, quam multæ ſtipabant dotes, prudentia, ſolertia, magnanimitas, fortitudo, & quotquot in eximio Imperatore requiruntur. Sub Patris tyrocinio in Caſtris Venetis accepit militiæ præceptiones, quibus præſtantiſſimè ſe imbutum, & excellentiſſimis Ducibus parem, cum primùm pro Florentinis certabat, palàm fecit. Mòx Philippi Mariæ Vicecomitis vexilla ſe-

(1) *Ioannes Dipintor. in Chron. M.S. Forol. ſub an. 1434. - Simonetta in Hiſtor. Mediol. lib. 1. - SanJouin. in Famil. Illuſtr. Ital. pag. 208. - Hieron. Heninges in Tabulis Genealogicis tom. 4. - Io. Baptiſta Contarenus in Hiſtor. Venet. lib. 14. & 15.*

cutus

cutus eſt, cui tàm ſpectatà fide, & inconcuſsà ſtrenuitate inſeruijt, vt ab illo in Familiam Ducalem inſeri, Generalis Præfecti gradu decorari, & Ditionibus Arquati, Caſtrinoui, & Saliceti augeri meruerit. At Philippo Maria à viuentibus ablato, ipſe ad ſigna D. Marci redijt anno 1448. quibus Michael Attendolus Cotignolanus prçerat, & apùd Carracam, vnius Tiberti conſilio, nìl niſi opportunitatem clara, & glorioſa tentandi conquirentis, Veneti manus cum Sfortianis contulerunt. Verùm impar pugnantium numerus non diù reſiſtere præualentibus hoſtium copijs potuit: quamobrèm Veneti fuſi, ac profligati, magnam, & memorandam cladem ſubierunt, licèt Tibertus ad quodcumque diſcrimen promptus, vt ſe ſe à notà audacis conſilij vindicaret, omnia militis, & Ducis munia præſtitiſſet. Duo enìm millia curruum, & octo millia peditum deſiderata ſunt, prætèr multa Cremonenſis, & Bergomatis Agrorum loca, quæ Victorum imperio paruerunt. Dùm autèm an. 1453. Patris exempla, & iuſſa ſubſecutus, Venetorum ſtipendia promereret, equitum mille, totidemque peditum Præfectus, in Commilitonum inuidiam repentè offendit. Quam cum nèc extinguere, nèc pati poſſet, ad Franciſcum Sfortiam tùnc Mediolani Ducem, copijs maturè ſe contulit. Ex qua quidèm defectione abalienatus Parens, perenni odio exarſit in Filium, à quo nequè ceſſauit moriens, quemadmodùm nouiſſimis tabulis teſtatus eſt; nàm Vallisſmarini, & Solighetti Dynaſtiam Cecco minori natu, & in Reipublicæ obſequio permanenti adiudicauit. Tibertus tamèn paternà ſimultate haùd fractus, humanas viciſſitudines, aduerſamque tùnc

fortunam

fortunam vincere conſtituit præclaris rebus. Itaquè ad Ludouicum Gonzagham Mantuæ Marchionem, ab armis Caroli fratris, quem Venetorum fędus roborabat, diuexatum, ſalutari ſubſidio miſſus eſt. Copià pugnandi datà, cum infenſæ acies concurriſſent, non ſolùm ipſe competitorem vicit, ſed & Ditione, qua potitus fuerat, deturbauit. Atrox deindè prẹlium cum Venetis ad Goitum commiſit. Ibi videns ancipitem conflictus ſortem, ſeque ab hoſte plurimo circumueniri, arte fruſtrandum diſcrimen illud cenſuit. Igitùr modò vrgendo, modò referendo pedem, protraxit pugnam vſquè in Franciſci Sfortiæ aduentum, quem per celeres nuncios incertæ fortunæ admonuerat. Ille ſtatìm præſtò fuit periclitantibus Tiberti copijs, quæ acceſſione recentium inſtauratæ, in feſſas Iacobi Picinini vim fecerunt, & iàm vndiquè fatigatas in exitialem fugam compulerunt. Ex victoriæ fructu Goitum ſubegit, & quatuor millibus equitum Gallorum auctus, quibus Renatus Andegauenſis imperabat, alia Cremonenſis Agri oppida recepit, alia Brixiani per vim comparauit. Quæ inuicti cordis argumenta cum in magna difficultate rerum Franciſcus inſpexiſſet, & acre, promptumque ingenium, omneſque militaris ſcientiæ dolos eſſet admiratus, vt mercedem rependeret meritis, & adderet cęteris glorię ſtimulos, Tibertum ſummum exercituum ſuorum Ducem renunciauit. In hac ampliſſimà dignitate conſtitutus, cum illi Sfortia arbitria pacis, & belli credidiſſet, percuſſit fędera, inducias ſanxit, expeditiones ad exitum perduxit, quæ in prępotenti, niſi maximo Italiæ Dominatu, in dies contigerunt: Ianuam ipſam ad Sfortianæ propaginis

 obedien-

obedientiam reuocauit; nàm cum Galli eam occupantes meminiſſent Tiberti virtutis, in Ciſalpinà Gallià iàm probatæ, aſſultum declinantes, pedem retulerunt. At quàm ſit mutabilis vitæ ratio, quàm inconſtans fortuna, ex ęrumnis, quibus in apice felicitatis ſuæ Tibertus iactatus eſt, ſatìs ſupèrque liquet. Euulgatà ſcilicet paſsìm Franciſci Ducis morte, Agricolæ Placentini Agri ſeditioſos motus ediderunt, & incredibili audacià debacchantes, noua miſcere, & agere moliti ſunt. Ab hoc tumultu inuidi anſam lacerandi Tiberti nomen acceperunt; nàm iniquis oculis eius magnitudinem cernentes, ipſum rebellionis notà calumniati ſunt. Cum autèm credulitatem facilè pariat Regni metus, Franciſcus ijs inſimulationibus non ſolùm aures prębuit, ſed & dedit ſuſpicioni locum. Iuſſit propterea vt eo nomine inuſtus Tibertus in carcerem contruderetur. Hæc fallax opinio magìs irrepſit in mentem Sfortiæ, poſtquàm intellexit illum in Flaminiam feſtinare, quemadmodùm rebatur, vt eius iram declinaret; cum reuerà à nuptjis, intèr Leonellum *filium*, & Camillam Piam ex Dominis Carporom ineundis, ad Patrias ędes acciretur. Statìmac Principis iuſſum emanauit, momento eodem profectionis Tibertus interceptus eſt, ac ſub firmà cuſtodià in Arcem Portæ Vercellinæ ductus, vbì in ſeueram quęſtionem inflicti criminis poſtulatus fuit. Ibidèm è vità migraſſe compertum eſt, non quidèm (vt vulgarunt publica inuidorum colloquia) quod ſibi mortem conſciuerit lychni manubio, ſed vt ſapientum communis opinio extitit, Cecchi Simonetæ ſupremi Adminiſtri, & antiqui hoſtis crudeli molimine; qui tamèn demùm pęnam eo

ſcelere, alijſque pluribus dignam decollatione luit. Franciſcus impensè doluit Tiberti morte, cum ſtrenuiſſimum Virum non damnare, ſed clementèr reſtituere libertati ſtatuiſſet. Obijt Vir præſtantiſſimus IV. Cal. Maij, an. ætatis ſuæ quadrageſimo octauo, Sal. 1462. (1), ſi metimur dona naturæ, & ornamenta artis, heroibus priſcis coęquandus. Duas Vxores duxit, alteram Polixenam Eraſmi Narnienſis Venetorum Imperatoris filiam (2), quæ illi Sigiſmundum, & Leonellum, ac Iacobam Ioanni Franciſco Pallauicino in matrimonium datam, peperit, alteram Corneliam Manfredam ex Principibus Fauentinis, quæ tanquàm ſterilis nullos filios enixa eſt.

PINVS ORDELAPHVS.

ANtonij, & Catharinæ Rangoniæ ex Comitibus Spilimberti filius, VI. Cal. Martij an. 1436. ab aluo maternà egreſſus eſt. Duodennis ſucceſſit in Regnum Patris, quod tamen Cecco fratri adminiſtrandum omninò concredidit, vt Regiminis curis expeditus, cuncta animi ſtudia in militari diſciplinà addiſcendà col-

[1] *Ex Annal. Forol. Anonymi, ſub an.* 1462. - *Ioannes Simoneta in Sfortiade. - Sabellicus, Tracagnotta, Brianus &c. - Io: Baptiſta Contarenus in Hiſt. Veneta lib.* 16. - *Franciſcus Sanſouinus in Famil. Illuſtr. pag.* 210.

(2) *Ex rogit. Ioannis Reſti, Not. Forol. ſub an.* 1433.

locaret. Prima tyrocinia in bello Brutio accepit ſub Iacobo Picinino memoriæ immortalis Duce, vbi ſuperato Truento amne, multis Caſtris, & Oppidis potitus eſt, & eà ſempèr conſtantià, ac alacritate dimicauit, vt non tyro, ſed ſpectatæ virtutis Ductor in ipſis militiæ primordijs videretur. Cum autèm præcipuum poſt Imperatorem locum meruiſſet, & iàm per totam Italiam ſtrenuitatis laude celeberrimus, & omninò bellicis præceptionibus inſtructus, biennio ferè elapſo ad Patriam rediuit an. 1462. At non diuturna fides Regni eſt: Hæc enìm acerbam in cordibus fratrum ſimultatem genuit, quam vt Pinus abſentià ſuà extingueret, vel ſaltèm temperaret, in Galliam Ciſalpinam cum ſelectis equitum turmis, ſub Bartholomæo Colleonio, ſummo Venetorum Duce, in Mediolanenſes arma adhibiturus feſtinauit. Cùm verò regnandi cupiditas ad negligendos extraneos gloriæ fructus impelleret, & ſatiùs duceret vtiliores domi quærendos, anno poſteriore Foroliuium reuerſus eſt. Ibi Ceccus in lentam ægritudinem conciderat, & magìs conquirendæ ſanitati, quàm regendæ Vrbi vacare cogebatur. Ex aduentu Pini ſuccreuit intèr Germanos ad Regnum æmulatio, nec defuerunt coniurantium hortamenta, quæ Principem incitarent ad ſcelus. Ceſſit tandèm iniquis conſilijs Pinus, præſertìm cum à memorià infidæ dominij ſocietatis angeretur; & poſtquàm diù motibus internis obſtitiſſet, ad internecionem fratris conſenſit an. 1466. Sunt tamèn qui Ceccum è medio ablatum non ferro ſcribant, ſed adhibito veneno peremptum. Eam flagitij labem vt Pinus ritu quodam amoris deleret, ſolemni ad magnificen-

tiam

etiam pompâ Iuſta Fratri perſoluit. Nèc multò poſt Barbaræ Manfredæ mors, quæ itèm à viro eneca-ta politicis de cauſis tradebatur, Aſtorgium Patrem Fauentiæ Principem, in Pinum prouocauit. Ille ſiquidèm, & tumultus conflare, & Pontificem Maximum laceſſire non deſtitit, vt fratricidam abigeret, & perempti Cecchi filios in dominio ſubrogaret. Sedauit verò procellas huiuſmodi opportunus Aſtorgij exitus, poſt quem vbiquè ſeditiones quieuerunt, & Pinus ipſe ad meliorem frugem reuersùs eſt; nempè mores egregios reſumpſit, & generoſę vitæ rationem, glorioſis deinceps rebus inſtituit. Anno igitùr 1469. Cum Paulus II. Roberto Malateſtæ atrox bellum intuliſſet, & Pinus ſubſidiarijs Venetorum agminibus præeſſet, apùd Collem Vergianum improſperè commiſſo prælio, præualentibus fęderatis, non exigua Pontificio exercitui clades illata eſt. Haùd tamèn Ordelaphus ſibi, & Eccleſiæ defuit, ſed munia inuicti Ducis expleuit. Dùm autèm Eccleſiaſtici mutato fortunæ aſpectu, ſe in defenſione, ab offensà temperantes, continerent; Pinus Venetis copijs Caminatenſem Arcem, iàm à Belmontia ſtirpe reſtitutam, & perennibus ferè damnis Liuianum Agrum diuexantem obſedit, expugnauit, & penitùs proſtratis vallis, ac muris æquauit ſolo. Quieſcentibus deindè in Æmilia armis, Pinus exercere clementiam, quam popularem ſciebat eſſe, & Religionem in Deum conſtituit, vt fraternæ cędis labem omninò abſtergeret. Itaquè Patrià extorres ad domos, & bona clementi edicto reuocauit, Templa, & Cęnobia profusà liberalitate alicubì erexit, alibì reſtaurauit, potiſſimùm D. Hieronymi, & S. Mariæ ad Ripam, vbi

vbi centum Virgines ſacro velo initiantur. Tàm claris geſtis rebus, eam de ſe opinionem peperit, vt æquè ſtrenuus ac pius, vno omnium ore prædicaretur. Quas ob laudes à Franciſco Sfortia potentiſſimo Mediolani Duce anno 1471. Generalis Præfectus, & Conſeruator Inſubricæ Ditionis in inferiori Flaminia dictus eſt. His temporibus florentis pacis ad ornandam, & muniendam Patriam animum adiecit; etenim proprias ædes vetuſtate collabentes non modò reſtituit, ſed magnificis aulis, cubiculiſque auxit, ac eorum laquearia ſuperinducto auro decorauit. Porticum deindè pulcherrimam, nouà tùnc arte, diſtinctis innixam lateritijs columnis addidit, quæ ab præſtantiam operis ſummam habet dignitatem. Caſtra Sadurani, Elmicis, & Petræ Appiæ aùt menijs præcinxit, aùt firmioribus vallis roborauit, & præſertìm Oppidum Fori Pompilij. Omnium verò ædificiorum ſumptus, & amplitudinem excedit Arx Raualdina aptiſſimis foſſis, intùs, & forìs aggeribus, turribus, ſeptis, propugnaculis egregiè vallata, vt tùm intèr validiores Italiæ numeraretur. Alia, quæ vel à fundamentis extruere, vel reconcinnare cogitabat, nouis, & magnis diſtractus bellorum curis prætermiſit. Quapropter an. 1474. Imperator exercitus Romanæ Eccleſiæ renunciatus, aduersùs Nicolaum Vitellium, Typhernum vſurpantem, cohortibus, & turmis Ioannis Gonzaghæ, Ioannis Franciſci ex Comitibus Guidis, Antonelli Zampeſchi, & aliorum nominis illuſtris Ducum, Ciuitatem, vi, & arte fatigatam ad obſequium Pontificis redire compulit. Hoc bello exacto, non ſe ſe exauctorauit Pinus, ſed retinuit inſupèr ad inſequentes annos ſibi

colla-

collatam poteſtatem. Verùm exortà intèr Ferdinandum Neapolis Regem, & Rempublicam Florentinam diſſenſione, quæ in duriſſimum erupit bellum, Ordelapho ſuprema copiarum Etruriæ Præfectura collata eſt. At non multò poſt cum Xyſtus fędere regio adſtrictus, ſuas illius viribus vires coniunxiſſet, Pinus ea, qua proſequębatur S. Sedem reuerentià percitus, à militari Imperio refugit, nè maculà inobſequentis, aùt perduellis notaretur. Placuit ità Pontifici hoc fidelitatis argumentum, vt illi, niſi imperatoria inſignia, quibus Hieronymum Riarium ſororis filium decorauerat, ſanè auctoritatem largitus ſit; Huic tamèn in mandatis dedit, vt prudens, & ſtrenuum Pini conſilium in quibuſcumque rebus, & coleret, & ſequeretur. Dum autèm ſecundus nomine, ſed poteſtate primus Imperator in Reſpublicas Venetam, & Florentinam, ac Mediolani Ducem pręliaretur, vigilijs, & laboribus, qui militarem vitam comitantur, infirmatus, in quartanam incidit. Ea modò augente, modò ſuos æſtus remittente, in Patriam recedere, & ab armis feriari coactus eſt. Ibì ſpes ſalutis cum mortis pauore confligebat, intèr quem Pinus ſtellarum omen ab Aſtronomis ſuis inquiſiuit. Hi Principis importunitate feſſi, cui malos ſyderum influxus occuluerant, eorum tandèm minas præmonſtrarunt, imò fatalem diem aduentare. Inhorruit pręſagio Ordelaphus, vt tamèn męrores cordis intimos leniret lętis ſpectaculis, & relaxationibus iucundis, ſolemnes choreas indixit, ad quas agendas, celebrioris formę, & agilitate pręſtantes Ciuitatis fęminas accerſijt. Cùm iam veniſſet funeſta dies, nèc ſentiret adeò languidas, &

confectas

confectas vires, vt ſibi timendum de proximo interitu videretur, fabuloſis diuinationibus Aſtronomorum illudebat. Verùm poſtquàm inclinato ſole, tenebræ acceſſerunt, violentà febri rursùm impetitus, medià nocte à viuis emigrauit IV. Idus Februarij an. Salutis 1480., quinto ſuprà quadrageſimum ætatis ſuę (1). Fuit cunctis dotibus ornatus, quę iuſtum, munificum, & clementem Principem, ſolertem, prouidum, & inuictum bellatorem decent. Cęterùm tàm pulchra animi ornamenta, interdùm notà crudelitatis inquinauit, cum vel libidine acquirendi Regni, vel ſuſpicione amittendi cruciaretur. Tres Vxores habuit Barbaram, & Saphiriam de Manfredis, alteram Aſtorgij Fauentiæ, alteram Thadęi Imolę Regulorum filias, ac demùm Conſtantiam de Pichis, Ioanne Franciſco Comite Mirandulano natam. Iſti autèm thalami nullam legitimam prolem attulerunt. Ex inhoneſtis amoribus exorti ſunt Sinibaldus, Lucretia, & Catharina. Maſculus in Ditionibus ſucceſſit ex Teſtamento Patris, à quo in clientelam relictus fuit Xyſti Pontificis, & Ferdinandi Regis (2). Ex fęminis maior natu Andalao Griffonio Bononienſi, minor Ioanni Thomaſolo Foroliuiano Optimatibus nupſere. Elatus eſt Pinus in D. Hieronymi, non militaribus inſignibus, non byſſo, & purpurà, ſed humili, & laneà Minorum Obſeruantiæ veſte, vt

(1) *Iacob. Philip. Bergomen. in Supplem. Chron. lib. 15. ad an. 1480.- Hieron. Rubeus in Hiſt. Rauen. lib. 7.*

[2] *Ex rogit. Thomæ Palmeggiani 9. Februar. an. 1480.*

ipſe

Ipſe in periodo lethalis morbi iuſſerat, proſequentibus funus non abſquè męrore, & lacrymis Senatu, ac populo. Iacet antè Aram maximam ſub rubro lapide, in quo hæc carmina leguntur

TERTIVS ARMORVM, PACIS QVOQVE GLORIA PINVS -- ORDELAPHVS, PER QVEM NOMINA SANGVIS HABET: -- POSTQVAM ARCEM, MVROSQVE DEDIT TIBI LIVIA, SEDEM -- HANC SIBI DELEGIT. LVSTRA NOVENA SIBI.

Nèc diuturnum Sinibaldi Regnum extitit, intèr pueriles ętatis limites extincti. Conſtantia Pini relicta, theſaurum, & familiares apparatus ſecùm aſportauit. In eo numerabantur centum triginta ducatorum millia, prætèr tercentum viginti currus ſupellectilis. Hinc facilè depręhendimus quantis opibus, & ſplendore familiaris rei circumflueret ea Domus, ijs maximè temporibus, quibus niſi rerum affluentià, certè non viuendi luxurià vincebamur.

ANTONELLVS ZAMPESCHVS

ANtonellus Ioanne natus ex Plebe Quinti, Foroliuienſis Agri, cui Caput hominis cognomentum fuit; qua verò matre, vt ab humili genere procedenti, non eſt memoriæ proditum. A Patris prudentià non fuit degener, nequè à ſtrenuitate Patrui, apùd quem traduxit primordia adoleſcentię intèr bellorum perennes motus, illis velùt ſtimulis ad immortalis

gloriæ curſum concitatus. Poſtquàm Italianus ſuſpectæ fidei notà inuſtus, indignum præclaræ vitæ exitum ſubiuit, Antonellus à bellicà cuſtodià, in quam contruſus fuerat, elapſus, præſtantiſſimos Duces ſecutus eſt, vt militarem artem, quæ non ſolùm præceptis, ſed plurimùm experientià continetur, perficeret. Rebus propterea gloriosè geſtis, Magnifici titulum, qui non domeſtico ſplendore, non potentià Ditionum, ſed proprià dumtaxàt virtute acquirebatur, vt Laurentius Medices ſenior, & Fridericus Dux Vrbinatium fecerant, in flore ætatis meruit. Quamobrèm in dies celebrior & habitus, & factus, cùm equitatui præeſſet Anuerſi Anguillariæ Comitis, ſummum imperium Pontificij Exercitus gerentis, eo robore, & conſtantià dimicauit, vt illi maxima victoriæ pars, abſquè iniurià negari non potuerit: cumque infirmato per vulnus crure, quod rude Vulgus appellare ſolet Zampam, claudicaret, Zampeſchus vocabatur, quod deincèps infortunio ſibi partum cognomentum, obſoleto familiari, deriuauit in poſteros. Ipſe Anuerſus Imperator inuicti Iuuenis virtutem admiratus, nè de ingrato animo culparetur, illi Caſſandram filiam ſacro connubij nexu copulauit. Strenuam etiàm operam nauauit Sigiſmundo Malateſtæ in Faneſtri bello, ad Vicariam Præfecturam accerſitus. Cum autèm ille an. 1460. Pij II. armis premeretur, tentandam pugnæ fortunam duxit. Sic copijs Eccleſiæ, prelij opportunitate oblatà, vtrinquè manus Pontificij, & Malateſtiani contulerunt, ac ipſi primarij Duces Petrus Paulus Nardinus, ac Antonellus ſingulari certamine congreſſi ſunt. Tandèm ordinibus Eccleſiaſticorum fuſis, & Petro Paulo,

enſe

enſe Competitoris interfectò, oppugnantium vis, & ardor obtepuit, nèc Senogallia repudiare Victoris iugum auſa eſt. Pontifex de iacturà certior, delectus habuit, exercitum reſtituit, & ſub Friderico Vrbini Duce, nouum impetum in hoſtem fecit. Proceſſit obuiàm aduentantibus Pontificijs Sigiſmundus, ac ad Cęſanum flumen denuò conflixit, ſed diſſimili admodùm euentu ſortis; etenim poſt diuturnos pugnæ labores funeſtam cladem reportauit. Infauſtæ igitùr viciſſitudines illum conflictum conſecutæ ſunt: ſiquidèm Vicariatus Fani inimicorum deprædationi patuit; multa Ariminenſis, & Cęſenatis Agrorum caſtra, in S. Sedis dominium deuenerunt, & ipſe Malateſta ingentibus malis circumſeptus, Ariminum ſe ſe recepit. Intereà Zampeſchus partìm ſpe munerum illectus, partìm ſpiritualium pęnarum minis territus, ad Eccleſiæ vexilla migrauerat, & aduersùs Malateſtam conuertere virtutem, & omnem operam, ac debitam Pontifici fidem voluit. Subactis interìm in Flaminià Montecucclo, Cuſerculo, Valliſoppio, Ciuitellà, & Meldulà, ad oppugnandum Fanum Fortunæ, adhùc in obſequio Sigiſmundi perſeuerans feſtinauit. Quæ merita vt Pontifex metitus eſt, nè illum abſquè retributione relinqueret, quatuor caſtris in Æmilia donauit, S. Mauro, Giouedià, Tumbà, & Talamello an. 1462. Leges qualeſcumque fuerint, quibus Malateſta diuturno bello fatigatus tandèm ſe obſtrinxit, inducias potiùs, quàm pacem afferre viſæ ſunt. Eo ſiquidèm à viuis abeunte an. 1468., cum Robertus Sigiſmundi filius, fractis conditionibus cum Eccleſià Romanà initis, ſibi Ariminenſe Dominium aſciuiſſet, à

Paulo II. Pij ſucceſſore impetitus fuit, ſub militari Neapolionis Vrſini ductu. Laboranti Regulo, ſubſidio venerunt copiæ Ferdinandi Neapolitani Regis, & aliorum Italiæ Principum, quibus ille confirmatus, periclitari dimicationis exitum nequaquàm dubitauit, & collatis ad Collem Vergianum infeſtis ſignis, Pontificios profligauit. Ex oppugnato oppugnator factus, propè Arcem S. Archangeli caſtrametatus eſt, eamque & arte, & impreſſionibus ſuperare ſtuduit. Verùm illud fuit Zampeſchi robur munitionem defendentis, vt Robertus deſperatà prouinciâ, multis ſuorum deſideratis, referre pedem coactus ſit. Confecto Ariminenſi bello, non minori virtute in Typhernati dimicauit aduersùs Nicolaum Vitellium; & tandèm in Etruſco, anno 1478., quod Ferdinandus Rex, Reipublicæ Florentinæ infenſus ſuſcitauit. Cum verò Xyſtus IV. ad regium fędus acceſſiſſet, & Pinus Ordelaphus, nèc multò poſt Robertus Malateſta, Beneficiarij S. Sedis, nè in anathematis pęnas inciderent, & Ditionum iacturam paterentur, copiarum imperium reieciſſent, Antonellus omne diſcrimen ſubiturus, illud haùd recuſauit. Quod vt intellexit Pontifex, in eum tanquàm perduellionis reum vtroque gladio animaduertit; quippè à Fidelium communione eliminauit, & Caſtris, Hieronymo Riario adiudicatis, abdicauit. Demùm ſedatis tot tempeſtatibus bellorum effulſit lętiſſima Pax, tùm intèr Pontificem & Regem, tùm intèr Florentinos, & Fęderatos: Hinc indignatio Xyſti refriguit, qui Zampeſcum diris expiatum, honoribus, & bonis reſtitutum, in gratiam recepit. Verùm Antonellus non diù optatà tranquillitate gauiſus eſt, nàm paulò

poſt

poſt ab inconſtanti terrarum requie exceſſit . Ei Caſſandra Vxor Brunorium , pellex Hectorem , & Meleagrum pepererunt , qui paternæ gloriæ æmulatores, nati , atquè enutriti in caſtris, extiterunt .

IN ampliſſimo Imperatorum cętu , quibus ſumma belligerendi poteſtas concredi ſolet , non tàm ob eminentiam principis in re militari dignitatis , quàm ob geſtorum magnitudinem , & gloriam celebris famæ apùd poſteritatem extitere

VVALPHRIDVS RAYNERIVS ex fratre Paſchalis II. natus, cum bellicoſum ſpiritum , & à Sacerdotijs abhorrentem enutriret , à Patruo Confalonerius, vt vocant , Romanæ Eccleſiæ dictus eſt. Illi autèm in difficili Pontificatu, ac intèr magnos motos laborante , Armorum regimen commiſſum fuit, & præſidium Almæ Vrbis anno præſertìm 1108., quo Paſchalis in Apuliam diuertit , vt clericalis diſciplinæ corruptelas expiaret (1). At geſta , quæ ei maiorem nominis celebritatem pepererunt , caligine antiquitatis offunduntur .

ALLORIVS II. DE ORDELAPHIS cum dotibus illis eluceret , quæ optimum Ductorem ornant , ex Reipublicæ Foroliuienſis Principe an. 1273., ad militare Imperium aduersùs Bononienſes euectus eſt . Iſti enìm præualentes & potentià virium, & amplitudine Ditionis, vniuerſæ ferè Flaminiæ iura dabant , & Foroliuium detrectans iugum , formidando exercitu , etiàm ex fęderatis

[1] *Bartholom. Platina in Vita Paſchal. II.*

populis

populis coacto, ſubigere affectabant. His conatibus occurrit Allorius, prout charitas Patriæ exigebat, & instructis aciebus, aduentantes hoſtes ad Caſſiranum, ea arte, & virtute inuaſit, vt de illis fuſis, & in fugam actis, claram victoriam reportauerit (1).

ALIOTTVS DE PEPPIS, Vir ſiquis alius ſuæ tempeſtatis fortis, ſummus Dux Lambertacciæ Factionis fuit, in Hieremeam Bononiæ imperitantem. Is Fauentinæ militiæ, Liuienſium ſubſidijs, & Tigrini Comitis Mutilianæ conſtipatus, ad Plancaldolum Caſtrum Maynardi Pagani progreſſus eſt, vbi hoſtiles copiæ oppugnationi intentæ conſidebant: quæ tamèn nihil moratæ conſpectum auxiliaris exercitus, correptæ formidine declinauerunt certamen, & relictis tabernaculis, omnia impedimenta ceſſerunt, arreptà fugà an. 1276. (2). Aliottus in Annalibus Patriæ nobilis, prudens, magnificus, & potens appellatur (3), quorum præſtantiam titulorum, quotquot veteris æui temperantiam metientur ſatìs noſcent.

GVIDO BRANDOLINVS cognomento Bontempus, quem rei militaris ſcientia, adiutrice fortunà ad ſupremam conditionem eleuauit. Diù ſiquidèm pro Mediolani Principibus copiarum Imperium tenuit, quibus cum illuſtres victorias ma-

[1] *Leo Cobellus in Chron. Forol. M.S. part. 1. pag. 13.*

(2) *Iulius Cæſar Tonduc. in Hiſtor. Fauen. part. 2. pag. 308.*

(3) *Cobellus in Chron. Forol. M.S. part. 1. pag. 25.*

gnà

gnà felicitate peperiſſet, Alexandriæ, & Nouariæ dominium in mercedem exantlatę militiæ adeptus eſt an. 1263. Dùm verò eas Ciuitates ab inſidijs, & impreſſionibus Turrianæ Gentis propugnaret, & proprijs rebus egregiè pręcauiſſe fędere Venetorum iudicaret, in odium Ianuenſium incidit, qui ſuam amicitiam neglexiſſe iniquè admodùm ferebant. Sic æſtuantibus vtrinquè animis ad arma ventum eſt. Cum autèm Guido in primo conflictu Victor euaſiſſet, & in altero ordines turbatos reſtituere, nihil arduum eſſe virtuti, & ſtrenuitati putans, niteretur, generoſam oppetijt mortem, quæ Brandolinæ ſtirpis Regnum intercępit [1].

GVIDO COMES MONTIS FERETRI, Galaſſi filius: Hic quamuis latà intèr Feretranos Ditione frueretur, Foroliuium elegit in Patriam, & tanquàm filius amauit, renunciatus propterea omnium conſenſione Populi Præfectus. Illi porrò incrementa Dominij felicibus pugnis non ſemèl procurauit, & præſertìm Martini IV. exercitum, Ioannis Epę imperijs parentem memorandà clade affecit anno 1282. [2]. At reſtitutis Pontificijs copijs, cum Foroliuium ad S. Sedis fidem redijſſet, & poſterioribus annis Guido omnes Flaminiæ clientes amiſiſſet, ab Honorio IV. in gratiam ſuſceptus eſt, ſed in Pedemontem amandatus, nè tumultus

(1) *Franciſ. Sanſouin. in Famil. Illuſtr. Ital. pag.* 207.

(2) *Ioannes Villanus in Chron. lib.* 7. *cap.* 81. - *Iacbet. Malaſpina in Hiſt. Florent. cap.* 225. *pag.* 164. - *Vlderic. Raynald. in Continu. Annal. Baronij ad an.* 1282. 1286. 1296.

Æmiliæ

Æmiliæ conſoneret. Nèc diù poſt Piſanorum ſtipendia meruit, quibus primùm vt Imperator, deindè vt Princeps imperauit. Verùm cum eius non modò menti, ſed penè oculis obuerſarentur dirarum contemptus, in quas inciderat, ſanguinolentæ clades, & damna, quæ Eccleſiæ intulerat, iàm ſenio ingraueſcens, humilem Minorum Obſeruantium veſtem Anconæ induit an. 1297., vbi intèr exempla pietatis reliquum vitæ ſpatium terminauit, quatuor relictis filijs in ſęculo, hæredibus familiaris gloriæ, Chunrado, Hugona, Bonconte, & Friderico.

SCARPETTA III. DE ORDELAPHIS Theobaldi filius, cuilibet maiorum par, intèr arma nominis celebritatem conquiſiuit. Patriæ iàm à Guelphorum viribus oppreſſæ non ſolùm proprijs, & Ghibellinorum copijs preſtò fuit, ſed eam inimicis profligatis à ſeruitute vindicauit an. 1296.: Illum, & federati Flaminiæ Populi, & Canis Scaliger Veronę Princeps conſtituerunt Ducem ſubſidiarij exercitus ſex mille peditum, & octingentorum equitum, vt Albæ Factioni Florentià eiectæ ſuccurreret an. 1302. Scarpetta ſuperatis Apenninorum iugis, & exulibus coniunctus, ſuburbio, & podio Montis Politiani potitus eſt, cuius Arcem obſidione cingens totum ſubigere Mugellanum tractum, atque ipſam Florentiam confidebat. At de ſpe, quam conceperat deiectus fuit, cum inimici in eum audactèr erupiſſent, & Bononienſium, ac ſociorum vires, Ferrariæ Marchionis bellicum apparatum formidantes, ſilenti agmine citrà Alpes redijſſent. Quamobrèm Scarpetta in medio rerum deſtitutus in Æmiliam ſe recepit, illamque non ſemèl inteſti-

nis

nijs tumultibus concuſſit, quos vt ſedaret Robertus Rex Neapolis, ac Prouinciæ Comes, & Ordelapham Stirpem ad confouendam pacem alliceret, eum Magni Architriclini dignitate decorauit. Fuit Scarpettæ à Secretis celebris Poeta Dantes, qui demùm apùd Polentanos Rauennæ occubuit, an. 1321.

RAMBERTVCCIVS ORGOLIOSVS Atauis ſuis militari virtute præluxit, & illuſtrium geſtorum famà. In Bononienſi Præfecturà an. 1312. intèr alia, quæ memoriæ digniora præſtitit, Guillelmum Caualcabouem Cremonà eliminatum, ad ſuum Principatum reſtituit. Etenim ſubſidiarijs cohortibus vi factà, in Vrbem peruaſit, & poſt atrox, & diuturnum prælium victis Galeatio Vicecomite, & Manfredo Pallauicino, qui ad Forum armatis copijs obſiſtebant, eam prouinciam glorioſè perfecit. Poſteriore anno ſummum Imperium à Bononienſi Republica in Mutinenſes ſumpſit, qui varia eius Agri caſtra ad defectionem incitauerant. Collectis ex Flaminia, & etiàm Patauio auxilijs, ac quatuor millibus peditum veteranorum roboratis, in Oppidanos obſequium repudiantes progreſſus eſt; & ad augendum terrorem tradens ea loca direptioni, Montem Secchianum primò inuaſit. Caſtrum iſtud non diù vim ſuſtinuit, ſed ictis deditionis legibus, à defectione rediuit in fidem. Durior tamèn Gengiani oppugnatio fuit; nàm poſtquàm multos dies hoſtiles acies victoriæ inhiantes, fruſtrà ſub munitione conſediſſent, aſperitate aduentantis hyemis coactæ, Bononiam receſſerunt (1). Rambertuccius

(1) *Cherub. Gherardàc. in Hiſtor. Bonon. lib. 17. pag. 558., & 572.*

tuccius autèm reliquum vitæ ſpatium in bellis ſuæ ætatis egit, vt pulſum propinquis annis à dominatu Patriæ Orgolioſum Genus, armorum exercitio ab iniurijs iniquæ ſortis vindicaret.

TIBERTVS VI. DE BRANDOLINIS, Guidonis filius, intèr Ductores illius ætatis ità claruit bellicæ virtutis laude, vt ad Mediolanenſium Armorum Præfecturam an. 1372. fuerit euocatus. Vxorem habuit Ioannam Ordelapham ex Principibus Foroliuij natam; quo ſublimi connubio, eum propria, & Anteceſſorum fortitudo dignum reddiderunt. In Tabulis teſtamentarijs ſic inſcribitur: *Nobilis, & Egregius Vir Tibertus qu: Guidonis de Brandolis de Bagnacauallo, Habitator Foroliuij* (1), vbì iàm ſenectute grauis diem obijt ſupremum an. 1397. Duo ab illuſtri thalamo filij prodierunt, Brandolinus IV., & Guido V., qui paternis veſtigijs inſiſtentes, æmulari Genitorem contenderunt. Extat Tiberti effigies equo inſidentis in D. Franciſci Balneocaballi (2).

BRANDOLINVS DE BRANDOLINIS Tiberti filius, quartus hoc nomine, in Brandolinà ſtirpe. Editus eſt Tiberiaci claro inferioris Flaminiæ Oppido, vbì hæc Gens vetus domicilium habuit, & adhùc ſeruat, tanquàm ſeceſſum, & deliciarum locum. Proauorum veſtigijs inhęrens, & Patris exemplum ſecutus, militari diſciplinæ ſe tradidit, quam deindè ſub auſpicijs Pini Ordelaphi ſempèr coluit. Diù pro Ioanne Galeatio Mediolani

(1) *Ex rogit. Petri Benuenuti*, *Not. Forol. an.* 1397.

(2) *Sanſouin. in Famil. Illuſtr. Ital. pag.* 208.

lani Duce ſtrenuè, fortitèrque Summus copiarum Præfectus dimicauit; Veronam ſcilicèt ab Antonij Scaligeri Dominio ereptam comparauit: Pluribus inſupèr inconcuſſę fidei argumentis clarus, in tot laborum, & virtutis pręmium Gemelli Dynaſtiâ donatus eſt. Glorioſam prætereà operam impendit S. Sedi, & demùm plenior meritis, quàm annis, Taruiſij deceſſit 15. Cal. Nouembris an. 1396. Iacet in D. Franciſci, vbi in ſepulchrali monumento Gemellarum Comes, & Capitaneus Romanæ Eccleſiæ nuncupatur (1).

CECCVS III. DE ORDELAPHIS, Ioanne ex Principibus Foroliuij, & Thadęà de Malateſtis natus, eam rei militaris peritiam adeptus eſt, vt in maximà Reipublicæ Venetorum calamitate ad armorum Imperium euehi meruerit an. 1379. Tùnc enim Ligures, & Franciſcus Carrarius Patauij Princeps, formidandis armis ſubactà Clodià, Dominatrici Adriatici maris Vrbi, à ſeruitutis nomine abhorrenti, extrema vſquè ad excidium minitabantur. Hanc tamèn gloriam à Cecco acquiſitam forìs, & in tanto Venetorum diſcrimine, domi maculauit, nàm in ergaſtulum contruſo Sinibaldo Patruo, vbi non diù poſt occubuit, Regnum cum Pino fratre ſibi aſciuit an. 1385. Eo Sarſinà, & multis montanis Locis aucto, ſe totum ad inertiam, temulentiam, & laſciuiam conuertit; quæ vitia illi odium Ciuium peperere, & maturarunt mortem. Cum itaquè Ceccus in lethiferum morbum incidiſſet, & iàm proſtratà vitali facultate ad exitum accederet, vulgato eius obitu Populus præ-

[1] *Sanſouinus in Famil. Illuſtr. pag.* 208.

ſtorianis militibus diſiectis, ac fugatis, in Palatium more bacchantis irruit, & vltimos anhelitus reciprocantem, à cubile per ſcalas crudelitèr raptauit: intèr quæ tormenta, & ludibria infelix Princeps ſpiritum efflauit. Ei Catharina Gonzagha, Feltrini Regij Lepidi dominantis filia nullam progeniem edidit; Pellex autèm Antonium, Equitem priùs Rhodienſem, & tandèm dimiſſa Cruce, per varias fortunæ vices in Patris ſede collocatum.

PINVS II. DE ORDELAPHIS Cecchi germanus, & natu minor, ſed æqualis & Principatus iure, & dimicandi arte. Anno 1400. à Bononienſi Senatu ſummum exercitus imperium adeptus eſt in Aſtorgium Manfredum Fauentiæ Principem, qui Solaroli Arcem ab eius obedientià ereptam vſurpabat. Nihil ſanè defuit Pinus & amici Senatus expectationi, & ſtrenuitati ſuæ; nàm & munitionem validiſſimam, & Fauentiam ipſam, fędè depopulatis Agris, arctè obſeſſas, in magnas anguſtias poſuit, vt actum iàm eſſe de Manfredæ Gentis Regno videretur. Cum verò Ioannes Bentiuolus ſuffragijs Populi ſtipatus, ad ſolium aſcendiſſet, nè recens, & nondùm ſatìs firmatum Dominium nutaret, pacem Aſtorgio petenti dedit [1]. His Pinus bellicis curis expeditus, dùm in regendà ſapientèr Patrià totus erat, veterno oppreſſus è vita migrauit intèr lacrymas militum, & ſubditorum. Ex Venantià Brancaleonià Vxore, & Nicolai Dynaſtæ filià nullos liberos reliquit.

[1] *Gherardaccius in Hiſtor. Bonon. part. 2. lib. 28. pag. 512. - Tonduccius in Hiſtor. Fauent. part. 3. pag. 452.*

PETRVS

PETRVS PAVLVS NARDINVS, quem non modò ſtirpis obſequium, & fides de Romana Sede benemerentis, verùm etiàm geſtarum rerum claritas Pio II. Pont. Maximo impensè commendarunt. Iſte Virum bellicà ſcientià, & diſciplinà perfectè inſtructum, & iàm præcipuis honoribus militiæ decoratum, in Faneſtri expeditione, copiarum Eccleſiæ Imperatorem renunciauit an. 1460. At Nardinus infauſtas, & fatales in primo conflictu vices paſſus eſt; nàm cum infeſta ſigna in Sigiſmundum Malateſtam intuliſſet, & Pontificios ordines dilapſos reſtituere nequiret, honeſtiùs ducens pugnando fortitèr mori, quàm fugiendo turpitèr ſeruari, vtroque exercitu ſtupente occubuit.

HIERONYMVS RIARIVS Sauonæ, ex nobiliſſimà familià natus, Genitricem Blancham Roboream, Xyſti IV. ſororem ſortitus eſt. Plures annos Foroliuij Regnum tenuit, vbi & nonnullos ſuſcepit filios. Militare Imperium pro Romanà Eccleſià exercuit in Ferdinandum Neapolitanum Regem, non exiguo ſui nominis incremento, & glorià. Fuit humanitate, munificentià, prudentià, & fortitudine ſiquis alius id temporis celebris [1]. Hanc rei bellicæ ſupremam Præfecturam, non ſolùm ſedente Auunculo, ſed & Innocentio VIII. obiuit. Verùm poſt felix octo annorum curriculum, quo Foroliuienſibus dominatus eſt, in funeſtà coniuratione à Cecco Andreę Deddi, cognomento Vrſi, præpotentis Ciuis, filio inſtructà, ſicà traiectus in vulnere occubuit an. 1488. Ex Catharinà

[1] *Bergomenſis in Supplem. Chronic. lib. 15. ſub anno Chriſti 1474.*

Sfortià

Sfortià Galeatij Mariæ Mediolani Ducis, quæ illum auxerat Imolenſi Ditione dotali iure acceptà, genuit Octauianum, alterum ſuæ Gentis Principem, & Iſottæ Bentiuolæ, Ioannis Bononię Dominatoris, Virum; Cęſarem Patriarcham Alexandrinum, & Archiepiſcopum Piſarum; Ioannem, Liuium, Galeatium & Sfortiam militari ſcientiæ potiſſimùm inhiantes; Franciſcum Epiſcopum Lucanum; & Blancham, Aſtorgio Manfredo Fauentino Regulo, matrimoniali nexu copulatam: Ex illegitimis autèm amplexibus Scipionem. Hanc illuſtrem Sobolem Dogenardus Riarius Scotus, inuictiſſimus Ductor Othonis I. in Liguriâ propagauit, à qua poſterioribus ſęculis emerſit Deſiderius Riarius, ſub Paſchali II. Presb. Cardinalis S. Praxedis (1), antequàm limites priuatæ conditionis ſupergreſſa, intèr Flaminios ad ſublimem efferretur.

NANNES MORATINVS, in quo mira comitas fuit, ſingularis ergà Patriam amor, & inconcuſſum robur. In rebus belli, paciſque præſtitit; Principibus quibus paruit, & tandèm Romanæ Sedi verè fidus. Antonij II., & poſteà Ludouici de Ordelaphis copias duxit ſummus earum Præfectus, & Raualdinam Arcem adhùc in obſequio Cęſaris Borgiæ permanentem oppugnauit. At proſtratis Ordelaphorum viribus, quorum poſtremum ſapientèr monuit, vt iniquæ temporum fortunæ deſeruiret, claues Ciuitatis Ioanni Archiepiſcopo Raguſino, & Iulij II. Legato obtulit an. 1504.

(1) *Ex Chronic. Iannæ M. S. Corelli - Ex Apoſtillis Franciſci Card. Boncompagni in libro Fanuſij Campani de Famil. Illuſtr. Ital. cap. 15.*

In his

In his Pontificij Regiminis primordijs, flagrante ſimultate intèr ſuam, & Numaiam ſtirpes, quibus tota Ciuitas hęrebat, ex priuatis odijs innumerę ferè calamitates ortæ ſunt. Nannes Patriæ amantiſſimus, poſtquàm victo naturæ inſtinctu, mutuis cędibus inimicorum iniurias vltus eſſet, inteſtinæ paci locum dedit, in qua licèt inſtabili tranquillitate à vità diſceſſit.

BRVNORIVS II. DE ZAMPESCHIS, Antonelli, & Lucretiæ de Comitibus Domicellæ Romanæ filius paratam indolem militiæ tribuit, magìs ſplendidam gloriæ mercedem, quàm fluxas opes quærens, vt Auorum merita, & bellicos gradus exæquaret. Pro Paulo IV., & Pio V. Pontificibus Maximis, Republicà Venetà, Amedeo Sabaudiæ, Guidone Vbaldo Vrbini, & Hercule Ferrariæ Ducibus gloriosè certauit: Annoque 1567. duobus millibus peditum, & biſcentum Cataphractis in Hugonottas Gallię, vbì clariſſimum torquem S. Michaelis à Chriſtianiſſimo Francorum Rege in ſtrenuitatis argumentum, & præmium reportauit. An. 1570. Senatus Veneti ſtipendia meruit, primùm equeſtris Tribunus in Illirico, & Epiro, deindè Generalis Foroiulienſis Prouinciæ in qua męnia Vtini, & aliarum Arcium inſtaurauit: Cuſtos prętereà Metamaucenſis Portus, cum de ipſà Venetiarum Vrbe aduentantibus Turcis timeretur. Suſpicione belli extinctà, ſummus Armorum Præfectus ab Vrbinati Duce creatus eſt in perduellem Ciuitatem, quam & vi, & prudentià ad præſtandam legitimo Principi obedientiam adduxit. Demùm Cretenſi Regno præfuit, Ducis, vt aiunt, nomine; ſed non diù ampliſſimum Magiſtratum geſſit, aduerſante

ſaluti

ſaluti illius cęli naturà . Vt autèm penè redactus ad tabem ſe reſtitueret , in ſaluberrimam Ditionem Foropompilij ſeceſſit, ac ſęuiente in dies morbo, 3. Nonas Nouembris 1578. ætate iuuenis, ſed bellicà peritià ſenex obijt , annum agens trigeſimum ſeptimum (1). Ei Coniux Baptiſtina Sabella, ex Principibus Albani , Heroina Romana , in D. Rophili monumentum poſuit , cum ſimulacro è marmore equo inſidente. Cum verò ſterilis thalamus nullam prolem attuliſſet , Zampeſcha ſtirps defecit , & Foropompilij oppidum , & S. Mauri , ac Giouediæ caſtra ad veterem S. Sedis fidem rediere.

DE COPIARVM DVCTORIBVS.

CAPVT III.

BRVNORVS ZAMPESCHVS.

Genitus magnifico Patre Antonello , matre Caſſandrà nobiliſſimæ ſtirpis ex Comitibus Anguillariæ , nouum ſuæ Domui decus allaturus in lucem venit anno 1465. Non addiderunt quidèm ſtimulos ad gloriam Proauorum Imagines ; quippè Italianus Patruus huius nobilitatis initium fuit : ipſe verò intèr arma natus , quaſi cum lacte ſpiritus ad militiam ſuxiſſet , ab ineunte adoleſcentià feroces equos aſcen-

(1) *Nicolaus Brigantius in Panegyr.*, *Patauij Impreſſ. ſub an.* 1606. - *Matthæus Vecchiazzani in Hiſtor. Pompil. part.* 2. *lib.* 21.

debat ,

ſcebat ad ludicras pugnas, vt ijs bellorum ſimulacris, veris diſcriminibus præludens, victorias iàm tùm portenderet. Huiuſmodi ſtudijs ætatem primam exercuit. A Roberto Malateſtà Arimini Principe, & celebris famæ Imperatore ſplendidiſſimà pompà in Cathedrali Templo equeſtris balthei inſignia ſuſcepit, quibus tùnc non obſcuri, ſed clariſſimi ſanguinis dumtaxàt Viri exornabantur. Robuſtior annorum acceſſione factus diſciplinam Virginij Vrſini diù coluit, quæ fuit velùt præſtantiſſimorum Ducum Academia, nequè priùs ab ea ſe ſubduxit, quàm omnes belli gerendi, & ſuſtinendi leges perfectè didiciſſet. Sodalis fidiſſimus, & incomparabilis Ioannis Iordani, & Caroli Vrſinorum extitit; nèc vnquàm eorum fortunam vel proſperam, vel iniquam dereliquit. Iulius II. acceptà bellicæ virtutis famà, Illum ad Aulam Romanam euocauit, prætorianæ cuſtodiæ prępoſuit, & à ſecretioribus conſilijs dixit. Cùm autèm Pontifex ea videret plena prudentiæ, & fidelitatis, nequè in arduis rebus infirmari, tantum auctoritatis Brunoro detulit, vt grauiora difficilis Pontificatus bella illi omninò credita eſſe viderentur. Anno 1508. in Venetos ad vniuerſæ Flaminiæ dominium adſpirantes, ſecundis non ſemèl pręlijs dimicauit: Poſteriori victor Rauennam ingreſſus eſt; deindè Ioanni Saxatello Imolenſi iunctus, egregias Munitiones Solaroli, & Brixichellæ in fidem Eccleſiæ redegit; quarum alterà Fauentiam in anguſtias coniecit, alterà velùt fræno, totam Anemonis vallèm in S. Sedis obedientià continuit, priùs à Dionyſio Naldo inuictiſſimo Venetorum Duce ad Reipublicæ obſequium, veterum clientelarum ope

illectam. Anno 1510. Fuſignanum in deditionem ſumpſit, quamuìs exitu minùs felici; etenìm ab eiſdem turpitèr proditus, à quibus accitus fuerat, enormem iacturam reportauit (1). Mòx Iulium ad obſidionem Arcis Mirandulæ pergentem ſecutus eſt an. 1511., ſummà Caſtrorum Magiſtri Præfecturà, quam tantà laude abſoluit, vt Pontifex fateri cogeretur optimi euentus fructum referendum inprimis Brunorij prouidentiæ, & ſtrenuitati. Itaquè vt tot præclara ergà ſe, & S. Sedem officia remuneraretur, benemerentem Ductorem Oppido S. Archangeli donauit, quod in amęniſſimo Colle Ariminenſis Agri locatus eſt. Extincto Iulio imperium cohortium Prætorianarum Leonis X. retinuit; & Laurentij Medices, cui Pontifex exauctorato Franciſco Maria Roboreo ob necem Franciſci Cardinalis Alidoſij, Rauennæ ſub Pontificijs oculis patratam, Ducatum Vrbini adiudicauerat, phalanges, & turmas duxit. Eum propterea armis vbiquè fatigauit; Piſaurum infeſtis ſignis, & impreſſionibus vexauit, Maioli, & penè inexpugnabilem S. Leonis Arcem expugnauit. In his, alijſque bellis plerique ab eo Optimates bellicæ Artis documentis imbuti ſunt, vt eius vexilla ſectari, & iuſſis parere, tanquàm gregarij, biſcentum Dynaſtæ nequaquàm erubuerint; quæ res tantam illius nomini celebritatem attulit, vt clariſſimis ſuæ, & ſuperioris ætatis Ducibus hoc gloriæ emolumentum minimè contigiſſe iudicetur. Sic poſtquàm ſexaginta expleuiſſet annos intèr arma, conflictus, &

(1) *Sebaſtian. Minciochius in Chron. Forol. M.S. ad an.* 1509. 1510.

palmas

palmas debitum naturæ perſoluit an. 1525. A Lauŕà. Pignattà pulcherrimà Rauennatium fęminarum Matronà, ac præ generis nobilitate conſorte digniſſimà, Antonellum vnigenitum, Baptiſtam, & Claudiam fęminas genuit; quarum prima Hieronymo Baſſio Rauennæ, altera in primis nuptijs Iuliano Haſtèo, in ſecundis verò Sigiſmundo Brandolino Foroliuij Proceribus tradita eſt. Militari honore, & ſolemni funere humatus fuit in Oppido S. Archangeli. Cùm autèm Antonellus filius an. 1535. paternam Ditionem in Foropompilium præſtantèr munitum, & Patriæ ſuæ proximius commutaſſet, in D. Ruphilli cineres Parentis, & oſſa comportauit, quæ in Mauſoleo albi marmoris cum Effigie militaribus indumentis adopertà, & dormientis inſtàr recubante, iacent. Ità inſcriptum lapidi Epitaphium inuenitur:

BRVNORVM ZAMPESCVM FORDPVLIENSEM -- BELLICIS ARTIBVS INSIGNEM IVLIO, II. AC -- LEONI. X. PONTIFICIBVS MAX. CARVM ANTE -- DIEM VITA FVNCTVM ANTONELLVS FILIVS SAN -- CTORVM MAVRI ET ARCANGELI OPPIDORVM PRIN -- CEPS CLARISS. DECORAVIT. VIXIT ANNOS LX. OBIIT. MDXXV. OCT. KL. DEC.

In hoc Epitaphio Verbum

FORLIVIENSEM in FORDPVLIENSEM immutatum, Corruptoris infelicem auſum, & crimen futuris ætatibus oſtendet; Patet ſiquidèm ex quarta litera, quam L fuiſſe teſtantur adhùc haſtæ non

penitùs exciſæ, & ſublatæ confictum fuiſſe O. Quintam anteà I in P. doloſè conuerſam, & intèr ſextam, & octauam, licèt ſpatij æqualitas verſutiæ locum denegaret, L breuioris menſuræ impreſſum, dolum accuſat, & oculos ipſos de veritate teſtes habet. Verùm enìm verò non diù inſudandum eſt in quęrendà Zampeſchæ Gentis Patrià, quam grauiſſimi Auctores ſatis probant, & obſignatæ Scribarum tabulæ. In Conſilij magni inſtauratione, à Iulio II. anno 1508. Foroliuij per Ioannem Archiepiſcopum Raguſinum, & Pontificium Legatum ordinatà reperitur Brunorus; quod ſanè omnem diſcutit vmbram dubietatis, cum in Patriciorum Album non alienigenæ, ſed originarij tantùm Ciues deſcriberentur (1). Erant eius ædes finitimæ Domui Herculanæ familiæ, & in D. Mercurialis extabat lapis gentilitij ſepulchri cum ſtemmate impreſſo, enſium videlicèt, & aſtri. Quæ licèt ita ſint, *Matthæus Vecchiazzanus* impotenti ergà Patriam amore victus, Brunorum Foropompilienſem aſſerere, & omnem Zampeſchi Generis poſteritatem haùd dubitauit. Hæc ſententià, vt infirmis rationibus innixa, euerti ſanè facili negotio, & certis documentis poſſet, ſed ſolo Pompilienſis Ciuis *Nicolai Brigantij* è Familia Seruorum teſtimonio proſternetur, qui Zampeſcham ſtirpem Foroliuianam affirmauit. In Oratione ad Patres Liuienſes habità, quæ à typis Patauinis egreſſa eſt an. 1606. hęc, & alia de Zampeſchis memorauit. In Apparatu: *Si fortè in meis naturalibus Dominis commemo-*

[1] *Ex rogit. Ioannis Portij 17. Martij anno* 1508.

randis,

vandis, *inquè Patriæ veſtræ ſinum proſilire tantiſpèr audieritis*, *ignoſcatis oro*, *nàm amor Patriæ*, *Dominorumque memoria id effecit*, *omnia tamèn in veſtræ cedunt Ciuitatis honorem*; *Zampeſchi ſiquidèm Liuienſes fuere*. In Oratione: *Brunorus Zampeſcus Patricius veſter*, *rebus in bello milliès præclarè geſtis*, *à Summo Pontifice Forumpompilij adeptus eſt*, *alijs Ditionibus auctus*. Inferiùs vbi de Brunoro II. loquitur: *Heù Pompilium infelix tanto Principe ſinè ſucceſſore priuatum*, *& tibi compatior ò Liuia illuſtriſſimo Ciue*, *interitu tàm glorioſæ Proſapiæ penitùs iàm tandèm orbata* (1). Is Brunorus ſecundus nomine, Antonelli filius, & Brunorij ſenioris nepos ſemet Liuianum faſſus eſt in Epiſtolis ad Magiſtratum Nonaginta Paciferorum Foroliuij miſſis, quæ in illius Collegij Tabulario, tanquàm perpetui certæ rei teſtes vigent, & ſuperſunt. Sic corruptoris impudentia ſatis confutatur, qui non modò antiqua M.SS., ſuperinductis literis, & fabuloſis ſcholijs in orà paginarum appoſitis vitiauit, ſed nèc ipſis marmoribus pepercit.

ANTONIVS NVMAIVS

TOgæ muneribus Bartholomęo patri, Viro præſtantiſſimo antecelluit, bellicà verò virtute maiorum nemini conceſſit. Natus anno 1470. cum virtutibus per beneficam naturam inditis adoleuit, quas decorare belli,

(1) *Ex Panegyr. Forol.*, *Auctore Nicolao Brigantio*, *Impreſſ. Patauij an.* 1606.

& pacis

& pacis artibus contendit. Iunior cępit cum iniquà fortunà colluctari; ægrè tamèn ferens ab illis premi, quos anteà depreſſerat, & in ciuilibus prælijs victor perterruerat. Verùm vt hæc infortunia declinaret, apùd æui ſui Męcenatem Ioannem Gonzagam Mantuæ Principem ſeceſſit, qui poſtquàm nouit illuſtris animi ornamenta, illum à Secretis, ab intimis Conſilijs, & Domus Præfectum declarauit (1). Erat Antonius non parùm inſtructus humanà eruditione, cui omne tempus dabat, quod ſibi politicis, bellicisque curis reliquum eſſet. Bis Oratoris munus in Aulà Germanicà Maximiliani, & ſemèl in Gallicà Franciſci I. obiuit, magnà vtrobiquè ſplendidiſſimæ vitæ, & dexteritatis laude: Indè in Italiam reuerſus eſt, non modò ſtipatus Cęſareà, & regali gratià, ſed & magnificis donis honeſtatus. Itineris comitem habuit Chriſtophorum Cardinalem conſobrinum ſuum, ad pedes Leonis X. properantem poſt Lugduni Comitia, in quibus Præfecturam Seraphicæ Familiæ depoſuerat. Pontifex memor priſcæ intèr Mediceam, & Numaiam Gentes amicitiæ, Antonium perhumanitèr excepit, & varijs amoris argumentis inſigniuit. Cum autèm traxiſſe dies, non ſolùm in officijs pacis, verùm etiàm belli minimè ignoraret, & in martialibus ludis accepiſſe ſub excellentium Ducum diſciplinà, præſertìm Friderici Gonzaghæ, rei militaris ſcientiam, eum Gentium Armorum, & Taxarum Commiſſarium Generalem renunciauit.

[1] *Ex Epiſtolà Ioannis Gonzaghæ ad Fridericum fratrem, S. R. E. Imperatorem, Dat. Mediolani* 8. *Nouemb.* 1515.

Nèc

Nèc Succeſſores Pontifices Maximi Hadrianus VI., & Clemens VII. illi minuerunt gradus, ſed poſtremus honores auxit, & ſpectatiſſimæ virtutis Virum ad Summi Collateralis dignitatem, tanquàm ad latus ſupremi Ducis collocatum eleuauit (1). Per id temporis Pontifex, & Veneti ſimùl percuſſo fędere, Franciſcum Sfortiam in Arce Mediolani acritèr obſeſſum, ab anguſtijs liberare, & Carolo V. Italicum Regnum affectanti, coniunctis viribus obuiàm ire niſi ſunt. In hoc bello, quod ingentibus malis viam aperuit, tantam Antonius exercuit auctoritatem, vt ferè nihil eo vel inconſulto, vel reprobante, Clementis iuſſu gereretur. Verùm hęc potentia in illum inuidorum odia exacuit, & necem eius maturauit; etenim licèt belli muneribus intentus, nihil tamèn vrbanitatis officijs oblitus, cum ad inuiſendum pergeret nobilem Conciuem Hermolaum Beccium tormento bellico ſauciatum, dùm Eccleſiæ ſtipendia merebat, erumpente ab inſidijs ignoto milite leuis armaturæ, impio ſanè auſu clauà ferreà percuſſus, penè exanimis ab ephippio corruit, nequidquàm ferentibus opem aſſeclis, qui demùm Cremam deuexerunt, ſi fortè ſpes eſſet ſalutis curaturi. Iuit intèr fęderatos exercitus fama ſceleris, quam ingens motus militum, Ducumque ſecutus eſt. Graſſatoris nomen diris deuouebant, & infortunio Viri ſummoperè dolentes, fortitudinem, prudentiam, cęteraſque virtutes amantiſſimi celebrabant. Cum intereà nihil

(1) *Ex Epiſtola Cardin. Armellini Medices, Camerarij ad Nob. Antonium Numaium, Dat. Romæ* 30. *Iulij* 1525.

valerent

valerent remedia, vt exundans ab ictu lethali cruor ſiſteretur, breui occubuit, glorioſiore quidèm dignus exitu, anno ætatis quinquageſimo ſexto, Reparationis noſtræ 1526. Cadauer aromatibus imbutum in Patriam translatum eſt, vbi peractis Iuſtis militari pompà, in D. Franciſci ſepulturæ traditum requieſcit. Extabat marmoreum monumentum ad leuum parietem maioris Aræ, ſed poſtremò Patres Ordinis dexteram ingredientibus Templum humiliori loco poſuerunt, vbi hoc Epitaphium legitur:

D. M. S.

ANTONIO NVMAIO VIRO OMNIB. VIRTVTIS ORNAMENTIS -- ABVNDANTISSIMO QVI QVVM IN CASTRIS ECCLESIASTICIS -- EQVESTREM QVÆSTVRAM SVB TRIBVS PON. MAX. -- LEONE X. HADRIANO VI., ET CLEMENTE VII. SVMMA -- CVM LAVDE GESSISSET, AD MEDIOLANVM INOPINATA -- MORTE EREPTO, VXOR, ET SIMON FILIVS LVGENTES -- P. VIXIT ANN. LVI. M... D.... OB. ANNO A CHRISTI -- NATIVITATE MDXXVI. KAL. SEPTEMB.

Fuit illi Vxor Clara ex veteri Florenà Gente; filius autèm Simon, eius virtutum hæres, & poſt Franciſcum Guicciardinum etiàm Queſtoriæ dignitatis.

CÆSAR.

CÆSAR HERCVLANVS

INtèr illuſtrium maiorum imagines ortus eſt, parentibus Ludouico, & Burghina Beccia; cui claras dotes natura indidit robuſtum corpus ad perferendos militiæ labores, ſtrenuum, & ingentem animum ad quęcumque audenda. In extraneis bellis adoleuit, Auguſtiſſimi Caroli V. Imperatoris auſpicia ſecutus, & inuicti Ducis Ferdinandi Arconi ſigna. A poſtremo non ſolùm præceptiones militiæ ſumpſit, ſed & illi, & ſocijs palàm fecit, ſe nihil intolerandum putare, quod ad conſequendam gloriam deduceret. Poſtquàm in Iuuene Ferdinandus nouit ſtrenuitatem, & belli ſcientiam, eum peditum, equitumque Ductorem renunciauit, vt alijs, & imperio, & exemplo præluceret. Belli fortuna quàm varia, & quàm ab inopinatò quandoque fauet! In celebri apùd Ticinum pugnà intèr Auſtriacum, Valeſiumque exercitus commiſſà, Cęſari contigit, vt Franciſcum Galliarum Regem animaduerteret, ſe in aperta diſcrimina conijcientẽ, & intèr denſas hoſtium copias equo curſitantem: nè proptereà tàm inſignis victoria à manibus excideret, totis viribus contendit. Plerique fortes Viri ad illam adſpirantes, incredibili, non quidèm reprobandà tùm audacia, Regi circumſteterunt, & potiſſimùm primus omnium Cęſar, qui militis, & Ducis munia præſtantèr ſuſtinebat. Sortis igitùr opportunitatem ſecutus, intèr cęteros aggreſſores per arma, per enſes, penetrauit, & equum haſtà tranſuerberans, Regem ad ſolum cadentem appre-

hendit. Nè tamèn in dubium reuocari poſſet, quinam ex tot affectantibus eam laudem, primus meruiſſet, abſtulit regium calcar., & aurei Centonis fruſtum, vt ſecum teſtes glorioſi facinoris deferret (1). Capto Rege, Francorum copiæ próffligatæ ſunt, à corde in externos etiàm ſenſus exundante Imperatoris lętitià, qui magnos à felici victorià fructus, ſibi, Regniſque ſuis pollicebatur. Vt autèm fortiſſimi Bellatoris facinus grati animi judicio quopiam Carolus compróbaret, quippè in memorando apùd futuras ætates prælio octo haſtas perfregerat, dùm Lacippone in Hiſpanijs degeret, non ſolùm honeſtiſſimis elogijs, ſed equeſtris dignitatis inſignibus coràm Chriſtianiſſimo Rege, & Aulæ Proceribus ornauit, vt ex honoraria pagina ſequentis tenoris innoteſcit. *Carolus &c. Multa ad Imperialis, ac Regiæ dignitatis culmen pertinere dignoſcimus, ſed illud inprimis, vt quemlibet, prout eius merita expoſcunt, præmijs, & honoribus afficiat. Cum dignitas, & tituli cumulatiùs illis ſoleant exhiberi, qui claris Natalibus orti, clariſſimis virtutibus enitescunt: quo ſit, vt animaduertentes qua fronte, qua ſtrenuitate, & fidelitate, animoque indefeſſo Magnificus Cęſar Herculanus, Armiger fidelis noſter dilectus in conflictu, qui dudùm fuit intèr felicem exercitum noſtrum, quem tenuimus in Lombardia ſecùs Ciuitatem Papię, contrà exercitum Sereniſſimi Regis Francorum, vna cum alijs talitèr certauit, quod non ſolùm exercitus prædictus*

(1) *Mambrinus Roſeus in Hiſt. Mundi part. 3. lib. 2. pag. 54. - Ioannes Tracagnotta part. 3. Hiſtoriar. pag. 55.*

Regis

Regis Francorum debellatus fuit, verùm enim verò perſonæ dicti Regis Francorum, aliorumque Principum, Ducum, & militum illi famulantium captæ, ad noſque deuectæ fuere, de prædictis, & alijs pro ſeruitio noſtro diuerſimodè per dictum Cęſarem Herculanum factis certiorati oretenùs per Illuſtrem Carolum de la Noi Ducem, & Capitaneum noſtrum Generalem, & Sanctiſſimæ Ligæ in Italia, vt pro meritorum ſuorum cumulo, aliquod teſtimonium noſtri de ſe iudicij circumferat, cuius incitamento poſthàc promptiori ſtudio operam ſuam nobis exhibeat, illùm dignitate infraſcripta decorare decreuimus. Præmiſſis itaque motis reſpectibus, die ſubſcripto in pręfatorum Sereniſſimi Regis Francorum, & Illuſtris Comitis Naſſau noſtri magni Camerarij, D. Caroli de la Noi noſtri in præfato Regno citerioris Siciliæ Viceregis, Locumtenentis, ac Capitanei Generalis, D. Laurentij de Goruoij noſtræ Domus Magni Magiſtri, & aliorum præſentià, præfatum Cęſarem Herculanum enſe noſtro, vt moris eſt, & per nos fieri conſuetum tangendo, Equitem auratum armauimus, & fecimus, militarique cingulo decorauimus, & inſigniuimus &c. Illi prætereà Carolus, & toti Herculanę ſtirpi attribuit nouum gentilitium ſtemma, alternis coloribus aureo, & cęruleo diſtinctum, ac à Zona rubri coloris, quæ ab ore Aquilarum prodiret, obliquè interſecatum. Ibi duo alba ignitabula, & in medio coronam auream; Porrò circà ſcutum in linea purpurea octo lanceas grauis armaturæ collocauit, *ad denotandum*, vt inquit, *quòd ſe tàm ſtrenuè habuit dictus Cęſar Herculanus, quod octo Lancearum prædictarum haſtas in hoſtes contrarij exercitus viriliter fregit, ac rupit,*

 quemadmo-

quemadmodùm Pictoris ingenio in præſenti Priuilegio figurata , & picta meliùs cernuntur : Volentes præfata Inſignia eſſe prædicto Cęſari Herculano , & ſuis Succeſſoribus munus ſempiternum (1) . Cum verò laudata virtus creſcat , & in nobilioribus animis gloria virtutis vberrimum ſit alimentum , Cęſar eo pręmio confirmatus aggredi cępit maiora . Quapropter merens Auſtriaca ſtipendia, Vrbem Neapolim à fęderatis oppugnatam, ſumma fide defendit ; quæ virtus profundis in eo fixa radicibus, nunquàm labefactata eſt . Vt propterea Imperator benemerito Cęſari æquiorem rependeret mercedem, Philiberto de Chialon Proregi Neapolitano iuſſit, vt eum Comardæ, & Araneæ Amiternenſis Agri caſtris , Aquilanorum defectione ad regiam Cameram ſpectantibus, Dynaſtam inſtitueret . Extant conceſſionis tabulæ ſub an. 1533., quibus illa, etiàm filijs, & poſteris adiudicantur, cum omnibus (ſunt earundem tabularum verba) fortalicijs , caſaliclis, prædijs, oliuetis , nemoribus , & molendinis intrà ditionis fines collocatis (2) . Fuerat & paulò antè Cęſar, viam vniuerſę carnis ingrediente Pyrro Caraffa Comite Buxenti, intèr quinquaginta Regni Continuos (sic enim appellantur) cooptatus [3]. Cùm autèm ad Patriam conſanguineos ſuos inuiſurus diuertiſſet, impià coniuratione perditorum

(1) *Ex Priuil. Cęſareo, Dat. Granatæ die 3. Octobris an.* 1526.

(2) *Ex rogit. Sebaſtiani Comorij, Not. Neapol.* 20. *Decembris an.* 1533.

(3) *Ex Epiſtola Cęſaris Pignatelli, Dat.* 1. *Auguſti an.* 1533.

hominum

hominum interceptus eſt. Hæc tùnc Ciuitas inteſtinis odijs, quæ non tacitis diſcordijs continebantur, ſed in optimi cuiuſcumque Ciuis fortunas, & vitas erumpebant, inſtàr proccelloſi maris æſtuabat. Intèr hos fluctus ſuo nimiùm confidens robori, ac virtuti Cęſar, cum Scipione Angelerio, nullo ad latus ex famulis adſtante, per Vrbem ſpatiabatur. At repentè à factioſorum cętu [quatuordecim numerabantur] qui in inſidijs latebant, circumuentus, cum ſecum pugnare gladijs non auderent, eum haſtis traijcere, proditorum notam contemnentes, niſi ſunt. Cęſar inconcuſſo animo, & mortem clariſſimæ vitæ dignam obiturus, euaginato enſe furentium inimicorum arma mirà conſtantià ſuſtinuit, & pedetentìm recedens, ſe ſe in ædes Antonij Herculani à præſenti periculo ſubduxit. Ibi cum depoſito gladio, expers ſuſpicionis requie frueretur, ab improbis ſatellitibus perfractà ianuà impetitus eſt, & truculentèr interfectus. Statìmac rumor increbuit per Ciuitatem tantæ proditionis, & ad aures peruenit Baccij Valorij Florentini, Flaminiæ Præſidis, qui nupèr cum tercentum peditibus Foroliuium introiuerat, vt ſuæ caueret incolumitati, Rauennam feſtinantèr redijt (1). Accidit incomparabilis herois mors VI. Idus Septembris, anno Reparationis noſtræ 1534., eius ætatis trigeſimo quinto, cunctis plorantibus iacturam, & exitus profectò funeſti miſerentibus. Ferunt ad ſcelus impuliſſe aduerſæ factionis ciues, & impotentiam ferinæ vltionis, cui inhiabant, & ſuſpicionem nimię

(1) *Ex Chron. M. S. Forol. Sebaſtiani Mincicbij ad an.* 1534.

auctori-

auctoritatis, quam Cęſar, & rebus geſtis, & affinitatibus inclytarum ſtirpium comparauerat: Timebatur ab illis nempè tùm ob clientelas ſoceri Franciſci ex Comitibus Carpinei, tùm ſtrenuæ Naldorum Gentis, in qua eius Amita Mattheo illuſtris famę Ductori nupſerat. Elatus eſt in D. Hieronymi, more militari, & poſt luctum bonorum omnium, qui perijſſe Patriæ ornamentum prædicabant, ſepulturæ datus, vbi ſub Imagine leguntur ſequentia:

D. O. M.

CÆSARI HERCVLANO FOROLIVIEN. GENERE -- NOBILI SED PROPRIJS VIRTVTIBVS NOBILIO -- RI, QVI SVB FELICISSIMI ROMANOR; IMPE -- RATORIS CAROLI V. AVSPICIJS, AB ADOLE -- SCENTIA INVICTISSIMO DVCE FERDINANDO -- ARCONO, MVLTA PRÆCLARÆ REI -- MILITARIS OPERA NAVAVIT, A' QVO -- EQVESTRI ORDINE ORNATVS, PEDITVM -- EQVITVMQ; DVCTOR CREATVS DVOB. OPPIDIS -- ARAGNA, ET CAMARDA IN AMITERNEN. A -- GRO HONESTATVS POST V. ET XXX. AN: -- TANDEM IN PATRIOS REVERSVS LARES DVM FLVC -- TVANTIS PATRIÆ DVBIJS IN REBVS, PVBLICÆ SA -- LVTI OMNIVM CIVIVM, SVORVMQVE INCOLVMITATI -- CONSVLIT, OPITVLATVRQ; HEV' IMPIETAS PLVS -- QVAM BARBARA, POST TOT BELLORVM DISCRIMINA -- POST TOT FORIS PARTOS HONORES A' SCE -- LERATIS SICARIJS NEFARISQ;

CRASSA-

CRASSATORI — BVS TANQVAM AGNVS INNOCENS CONFODITVR TRV-- CVLENTISSIME' GRAVI OMNIVM BONORVM MOERO-- RE. RELICTA CONIVX, ORBATI FRATRES-- MOESTI GENTILES POSVERE. VIX: ANN: XXXV. -- RAPITVR ANN: SAL: DOM: MDXXXIIII.

Æmilia de Carpineo poſt Viri interitum enixa eſt fęminam, cui in magnanimi Patris memoriam Cęſarinæ nomen ad Sacrum Fontem indidit. Ei Dynaſtiam Petrus de Toleto Prorex Neapolis, paternæ virtutis, & meritorum conſcius, beneficiario iure adiudicauit an. 1547. (1), quam illa primò in Taurinum Genus è Ciuitate S. Sepulchri Hieronymi Vxor (2); demùm in Matthęiam Familiam Foroliuienſem Fabritio ſecundis nuptijs copulata inuexit. Non tamèn in hac muliere defecit nobiliſſimæ familiæ Poſteritas, ſed ex Petro Cęſaris fratre longà Nepotum ſerie, in Cęſarem iuniorem Equitem S. Stephani viuentem promanauit.

POMPEIVS MATTHÆIVS

EX nobiliſſima familià natus, quæ citrà commentum à Matthęijs Romanis iactat originem, XIX. Cal. Ianuarij anno 1556. Genitorem Franciſcum ſortitus eſt primarium Virum.

(1) *Ex Inueſtit. Don Petri de Toleto, ſub die* 14. *Octobris an.* 1547.

[2] *Ex rogit. Angeli, Not. Sepulchrani ſub* 7. *Decembris an.* 1563.

Celebres

Colebres ſuæ ætatis Duces exequauit, niſi belli Præfecturis, ſaltèm ſcientià, & militari laude, longo vitæ interuallo, & claris experimentis comparatà. Vix præmaturum ad martialem gloriam impetum cohibere potuit, vſquè ad ineuntem adoleſcentiam; ſiquidèm decimum, & quartum annum agens Chriſtianorum claſſem aſcendit, & ad Echinadas eo ſpirituum igne in communem hoſtem dimicauit, vt vel tùm pericula, & mortem contemnere aſſueuerit, videritque admirantes de ſe veteranos. Hęc primordia militiæ haùd diſpares ſucceſſus conſecuti ſunt. Sub vexillis Philippi II. Hiſpaniarum Regis glorioſos ſuſtinuit labores in Pedemonte, & Luſitanià, vbì velùt in bellicis ludis optimè inſtitutus, Artem, qua oppugnari, & defendi Arces, conſeri, & ſuſtineri pugnæ, ac tutiori victoriæ normà circumueniri ſolent inimicorum ordines, percepit. In Hungariam deindè profectus eſt, immortalitatis cupidus, quam quidèm mereri potiſſimùm ſperabat, ſi ſanguinem pro Chriſti lege profudiſſet. Commendatione Hiſpani Regis adauctus, ſtatìm à Rodulpho Imperatore ad Equitum Præfecturam promotus eſt; quod quidèm munus illicò non modò commilitonibus, ſed & ſummo Duci virtutem eius glorioſè comprobauit. Hæc vt accepit Cęſar, ei præſtantiſſimam Comariæ munitionem, in angulo Inſulæ Schutæ erectam, & egregijs ſeptis vallatam credidit, quæ ingens Regionis ſpatium à Thracum rapinis, & damnis prætegebat. Pompeius futuris periculis occurrens, & hoſtiles minas anteuertens, nouis aggregibus difficultatem oppugnationis auxit, commeatus ſedulò congeſſit, & accomodatà concione præſidiarios

milites

milites ſpe nunquàm interituri nominis confirmauit, quam vel morituri pro Chriſtianà Republicà, vel ſuperſtites à tuitione retuliſſent. Expleto vix apparatu, Turcæ infeſtis ſignis propugnaculum adorti ſunt, & de more tentantes aſſultum, & ferino vlulatu perſtrepentes, ſuperare mœnia, & inconditis clamoribus terrere defenſorum conſtantiam nitebantur. Iſti excepere Infidelium impetum, alios à muris præcipites egerunt, alios atroci prælio trucidarunt, vt propterea barbari deſperatà expugnatione, non abſquè dedecore receſſerint. Poſtquàm Rodulphus optatiſſimum audiuit nuncium, ad ſe ſtrenuum ſeruatæ Arcis Præfectum euocauit, in conſpectu Ducum magnis præconijs exornauit, & aureo Torque ingentis ponderis, nèc non celſiore gradu, ac auctoritate remuneratus eſt. Tandèm inducijs intèr Auſtriacam, Ottomanamque Domos obſignatis, Romanæ Eccleſiæ ſtipendia meruit, in Flaminià Prouiſor, in Piceno Tribunus, ac Caſtrorum ſummus Magiſter. Nè tamèn in S. Sedis militià feriaretur, Pontificis Maximi permiſſu ad Venetam acceſſit. Ibì præcipuis muneribus perfunctus eſt, Prouiſoris Generalis Arcium quarumcumque intèr Cenomanos, Euganeos, & Carnos; Tormentorum bellicorum Prȩfecti, ſub Ferrante Rubeo Parmenſi, Marchione S. Secundi, in Illyrico, & Epiro; & deniquè poſt eum Legati: Hȩc enìm imperia annos quindecim ſummà fide, & ſtrenuitate exercuit, ſempèr pro viribus amplificandæ Venetorum fortunæ intentus, vt ex Patentibus Literis Reipublicæ Sereniſſimorum Ducum Ioannis Cornelij, Antonij Prioli, & Franciſci

Eritij (1). Cum autèm vixiſſet vſquè ad extremam ſeneſtutem vegeti mente in fatiſcenti corpore, & vniuerſus Senatus conſilij robur, ſpecimina fidelitatis, & rei militaris ſcientiam ob oculos haberet, meritiſſimo viro ad exitum vitæ, officia, & honores prorogauit. Ità annis ſex, & oſtoginta laudabilitèr intèr bella traduſtis, requieuit VI. Idus Martij anno 1642. In D. Leonardi magnificè elatus eſt, & ſepultus, hoc ſempiterno munerum, & virtutum ſuarum monumento:

FRVSTRA TEGIT LAPIS -- QVEM FAMA SVPERBIENS VENERANDVM EXHIBET ORBI. -- POMPEIVS MATTHÆIVS -- FOROLIVIENSIS, ET ROMANVS PATRICIVS -- PRÆTER FVNERA VERE POMPEIVS -- AB EMPYRIO DOCET HIC.-- PVGNAVIT IN IVVENTÆ VESTIBVLO AD ECHINADAS: -- LVSITANVS EIVS VEXILLA SVSPEXIT, AC SABAVDVS; -- IN PANNONIA COMARIAM RODVLPHO SECVNDO IMPERATORI -- A TVRCARVM SERVAVIT ASSVLTIBVS; -- FLAMINIA TANTVM AGNOVIT PROVISOREM -- TRIBVNVS IN PICENO, ET CASTRORVM SVPREMVS EXTITIT PRÆFECTVS -- TANDEM -- IN SINV VENETÆ REIPVBLICÆ TORMENTORVM BELLICORVM LEGA-

(1) *Ex Priuil. Ioan. Cornelij, Dat. 13. Aprilis an. 1600. - Ex Priuil. Antonij Prioli, Dat. 8. Nouembris, & 8. Iunij 1601. - Ex Priuil. Franciſci Eritij, Dat. 14. Aprilis an. 1610.*

TVS --

TVS -- OCTOGESIMVM SEXTVM EXPLEVIT ANNVM, ET MVNERA, -- INTER GENTILES, INTER OTIA, INTER ARMA, INTER ARAS -- ILLVSTRIS, PROVIDVS, INVICTVS, IMMORTALIS -- ANNO DOMINI MDCXLII. DIE X. MARTIJ.

Eius Vxor Hippolyta Numaia, ex ampliſſimo, & paris nobilitatis Genere enixa eſt filios Proſperum, Petrum, Hippolytum, & Vincentium, veſtigijs glorioſi Genitoris inſiſtentes; quorum poſtremus in Arcis Anphi Præfecturà occubuit.

HIc eorum memoria repetenda eſt, qui Ciuitatum Præfecturas, ſummum bellici imperij apùd Italiæ Populos munus deferentes, obierunt, magnàque ſui nominis celebritate functi ſunt.

ALLORIVS AFFIÆ, intèr Germanos Regulus, cum intèr Italiæ motus honoris, & opum honeſtè ſtipendia quæreret, fortem Liuianis præſtitit in Bononienſes operam an. 903. Quamobrèm Publici Conſilij Patres gratos ſe præbuerunt, impoſità ipſi Ciuitatis Præfecturà, in quo Magiſtratu filiam Tiberij Berengarij in vxorem duxit, Caſtrorum Podij, Culmani, & Latini hęredem. Ab hoc coniugio prodierunt Sinibaldus, Philippus, & Scarpetta. Verùm tanta in Allorio regnandi libido fuit, vt per tumultum libertatem opprimere moliretur. Secùs verò quàm ſperauerat, euenit, nàm populari impetu depulſus, Venetijs exul dies ſuos terminauit. Vt proptereà Philippus natù minor odia

inimicorum declinaret, inuerſà *Ordelaf* voce, quæ retrogradis literis *Faledro* ſonat, nobiliſſimum Genus edidit, à quo Sereniſſimi Venetiarum Principes Ordelafus, Vitalis, & Marinus orti ſunt. Sinibaldus autèm, & Scarpetta ſedatis Ciuium animis, ad Patriam, & bona reuocati, magnanimæ Ordelaphorum Stirpi, nouo ex copulatione nominum Allorij, & de Affia parto cognomento, initium dederunt [1].

SCARPETTA II. DE ORDELAPHIS forsàn Sinibaldi filius in militari Officio, quod Auus occupauerat, collocatus eſt: Illud tamèn diſſimili ratione tenuit, cum ille ſuperbè Regnum affectaſſet, iſte communi felicitati, ex animo prodeſſet. Anno 1042. Forumpompilium dirutum à Longobardis inſtaurauit, & Aquaquietam flumen, identidèm intumeſcentibus ex magnis imbribus aquis, extrà ripas effuſum, & Foroliuium obruens, in Montoni alueum traduxit, relicto ad Incolarum commodum, & oportunitatem aquęductu. Quibus, & alijs rebus, non ſolùm claram, ſed æternam ſui regiminis recordationem fecit.

SIGISMVNDVS BRANDOLINVS cupidus martialis gloriæ, in Orientem ſub Gottifredo Bullioneo progreſſus eſt an. 1095. Ibì dum intèr celebres Chriſtiani exercitus Athletas, periculorum, mortiſque oblitus, in Infideles prælia retur, ad ſingulare certamen prouocatus, cum Arabo Principe conflixit. Poſtquàm diù anceps ſtetiſſet pugna,

(1) *Alexand. Paduanius in Chron. Forol. M.S. pag. 18. - Franciſc. Sanſouinus in Famil. Illuſtr. Ital. pag. 28.*

Sigiſmun-

Sigiſmundus in hoſtem irruens vtraſque manus cuſpidè iniecit, & poſt maximos vtrinquè niſus proſtrauit, interfecit, & ſpolia reportauit. Cùm autèm in eius clypeo nouem Scorpiones expreſſos inueniſſet, eos in felicis dimicationis monimentum, gentilitijs inſignibus ſuperaddidit (1). Hæc inclyta Brandolinorum Gens, à Brando extincti iàm Brandeburgenſis Generis, qui Fanateum Herulorum Ducem in Italiam ſecutus eſt an. 450., exorta memoratur (2). Ab Auctore Brandæ, mòx Brandolæ, & tandèm Brandolinæ cognomentum, ſensim flectentibus eam appellationem poſteris, accepit.

RICCIARDELLVS BELMONTIVS Dominus Caſtrinoui, virtute politicà, & militari non modò laudandus, ſed clarioribus ætatis illius comparandus. Anno 1221. Foroliuij Præfectus omnium ſuffragijs declaratus, Patriæ multùm profuit, ad ipſius conſilium grauiora ſempèr negocia deferenti. In varijs expeditionibus robur manus, & mentis palàm fecit; eo præſertìm anno, quo Liuienſes fędere Ariminenſibus coniuncti, arma in communes hoſtes impulerunt (3).

RAMBOTTINVS DE RAMBOTTINIS Germanus origine, ab Auo eiuſdem nominis Barone,

[1] *Andreas Clauenna in Hiſtor. Brandolina. - De Nigris in Bello Sacr. pag.* 128.

(2) *Hieronymus Heninges in Tabulis Genealogicis tom.* 4. - *Franciſ. Sanſouinus in Famil. Illuſtr. Ital. pag.* 206.

[3] *Petrus Belmontius in Geneſi Famil. ſuæ pag.* 182. - *Io: Petrus Creſcentius in Corona Nobil. Ital. part.* 2. *pag.* 386.

& Po-

& Pocillatore Friderici Æneobardi. Siquidèm Auus, domicilio Foroliuij poſito, vitam clauſit in ædibus, quæ ſunt ad latus ſeptentrionale Fori. Nepos Præfecturam aggreſſus eſt anno 1233., quo Fridericus II. Foroliuianos priuilegijs auxit Aquilæ Imperialis, cudendæ pecuniæ, & purpureæ Senatorum veſtis. A Gratioſa de Herculanis mares genuit Fridericum, & Martinum bellatores egregios, ac Seraphinam Ricciardello Domino Caſtrinoui nuptam. Cum tandèm Martinus Franciſci filius anno 1378. in odium regnantium Ordelaphorum incidiſſet, à Patria migrauit, & intèr Ariminenſes poſteritatem ſuam propagauit (1).

SVPERBVS II. DE ORGOLIOSIS, vt ea ferebant tempora, exercendæ militiæ ſe ſe dedit. Poſtquàm domi, foriſque ſtrenuitatem ſuam cognitam fecit, Præfecturam Fauentiæ obtinuit anno 1241., quo Fridericus Cęſar eam Ciuitatem, obdurato ad ſupremum malorum animo, armis ſuis obſiſtentem, ſeptimo oppugnationis menſe ſubegit, ac domouit.

RAYNALDVS EX GENTE CALBVLA, S. Sedi fidiſſimus, & diſciplinâ etiàm belli pluribus æui ſui præſtantior, à Martino IV. Foroliuienſium Armorum regimine tùm ornatus fuit an. 1284., cum primùm pertinax in defendendà libertate Populus iura ceſſit Pontifici. Conſtitutus in ea dignitate nutantes, & ſeditioſos in fide continuit.

PINVS DE ORDELAPHIS ſcientià militari celebris, dum Præfecturà Liuienſi fungeretur

(1) *Belmontius in Geneſ. Famil. Belmontiæ pag. 183.*

anno

anno 1306., ſibi à Brittinorienſibus oblatam ditionem adiuit, qui Calbulenſium potentiam auerſantes, maluerunt huic tanquàm mitiori Domino parere. Tandèm initâ cum hoſtibus inteſtinis pace, à quibus Pinus Bulgariæ Caſtrum dono accepit, ibì ad relaxationem animi, voluptatis ędem erexit, & Foroliuij publicæ magnificentiæ cultor, ſenatoriam Domum ſplendidus excitauit.

LVCIVS VALBONÆ COMES Vir ſtrenuus, ſed inſtabili ergà Patriam amore; nàm ad partes Reipublicæ Florentinæ acceſſit, & Ciuitellam, Galeatam, Planetum, & alia montana loca à Ciuium obſequio, & fide abalienauit. Verùm cum non diù poſt, commiſſo intèr vtrumque Populum conflictu, Tuſci vertentes terga, & profligati, Apenninorum iuga tranſmiſiſſent, Lucius aduerſę ſortis vices pertulit. Dùm autèm bonis, & Ditionibus mulctatus, in perduellionis pęnam apùd Bononienſes exularet, qui priſcas cum Foroliuianis ſimultates exercebant, ad Bononiæ Præfecturam, præcipuum tùnc munus elatus eſt anno 1310. (1). Hæc generoſa, & potens Valbonæ Comitum Propago, Foroliuienſium fiduciaria, pleriſque caſtris imperauit. Ex illà nempè Leoncinus Monti Nicolao, Riuoſalſo, Ripetroſæ, Puteis Laſtę, & Rondinariæ an. 1334.; Malateſtinus Monti Saxo, Taibo, Piaiæ, Collonatæ, & Monti Spellano anno 1351. dominati ſunt; quæ poſtrema antè eum oppidula Ioanni de Honeſtis Rauennæ op-

(1) *Cherubin. Ghirardaccius in Hiſt. Bonon. part. 1. lib. 16.*

timati

timati paruerunt (1).

MARCHESIVS DE ORGOLIOSIS clariſſimæ familiæ decus, S. Martini, Collinæ, Belfloris, & Meldulæ Dynaſtiam habuit. Militari, & politicà virtute emicuit, ac Præfecti, & Prætoris munera in varijs Ciuitatibus gloriosè obiuit, præſertim Florentiæ. Fuit Guelphæ factionis Ductor, & columen, cuius viribus, & Gilberti Sentilli Flaminiæ Rectoris auctoritate fretus, Patriæ dominium ſibi aſciuit an. 1313. In ſummà dignitate non ſe velùt Principem, ſed tanquàm Patrem communem geſſit; verùm duo tantùm poſt annos, à Stirpibus Ordelapha, & Calbulenſi acerrimè impetitus, poſtquàm mirà conſtantià, & robore, cum Ferratino Malateſta, irruentibus vndiquè inimicis reſtitiſſet, coactus fuit illis cedere, & Fauentiam apùd Manfredos vel amicos, vel conſanguineos receſſit, vbì mœrore animi confectus occubuit. Graues de eo Scriptores meminerunt [2], & in tabulis antiquis modò Marcheſius, modò Marcheſinus appellatur. Adeletam genuit, Hoſtaſio Polentano Rauennæ Principi, florentibus rebus Gentis ſuæ copulatam (3); Mares autèm Moldum, Caratum, & Nicolaum, qui diù procellis aduerſæ ſortis agitati, ſub inuolucro noui cogno-

(1) *Ex Actis in Archiuio Ceulæ, ſub annis 1334, & 1351.*

[2] *Dantes in Purgatorio, Cant. 24. - Benuenutus Imolen., Alex. Velutellus, alijque Expoſitores Comediæ Dantis.*

[3] *Hieronym. Rubeus in Hiſtor. Rauen. lib. 6. pag. 564.*

menti,

menti, vt *Bonolus*, aliique ſentiunt, poſteritatem reliquerunt.

RAYNERIVS III. EX COMITIBVS CALBVLI, S. Caſſiani, Caſtrinoui, & aliorum, quę ad Apenninos accedebant, locorum Princeps, magnam celebritatem acquiſiuit, potiùs fortitudine in varijs bellis comprobatà, quàm ergà Patriam dilectione, ac fide. Cum infenſis enim Populis non ſemèl fęderatus, Florentinorum, & Bononienſium partes fouit. Cum tandèm dominium impotentèr affectaret, & Orgolioſæ Stirpis amplitudinem ægrè intueretur, tumultuario exercitu decem mille peditum, & quingentorum Equitum Forolium improſperè tentauit. Cęterùm poſteriore anno 1315. Ordelaphis ad cuiuſcumque fortunæ conſortiùm euocatis, renouato feliciùs impetu, Competitores à ſolio deturbauit. At in atroci dimicatione cadens, guſtare non potuit victoriæ fructum. Eum honorificentiſſimis ornat præconijs *Dantes* (1), Vir cęteroquìn in laudando parcus, & honorem, ac decus Familiæ Calbulenſis appellat.

SINIBALDVS II. DE ORDELAPHIS Vir fortis, ſed tumultuum amator, quibus Domus eius intèr ciuiles motus ad Patriæ ditionem elata eſt. An. 1310. Bartholomęo Accariſio Fauentinos Ciues ad ſeditionem excitanti, ſubſidio fuit, eamque Ciuitatem à Romanæ Sędis obedientià ſubtraxit. Maiora etiàm in animo latebant; nàm Calbulenſi Proſapiæ iunctus, Orgolioſo Generi aduerſatus eſt an. 1315., quo exterminato, contentus honore nominis, regendæ Præfecturæ pondus Cecco filio

(1) *Dantes in Purgatorio, cant.* 14.

Ggg commen-

commendauit. Tandèm cum vixiſſet ad ſummam ſenectutem, egregiè munito Principatu, in ſęculo iàm felix ab hac vità diſceſſit an. 1337.

CECCVS DE ORDELAPHIS Sinibaldi filius, ſtrenuitate par cuilibet maiorum, prudentià verò, & ſagacitate longè maior, intèr publicos, & inteſtinos motus, iuueniles annos præſtantiſſimè fecit. Tandèm de Regno abactis Orgolioſis, & Patrià cum Calbulis per vim potitus anno 1315., ſolertèr Socios dominij pepulit, nè ab illis pelleretur. Patre ſenectute confecto, regere Ciuitatem cępit, Perpetui Pręfecti nomine contentus. Vt recens Imperium, nèc ſatìs tutum confirmaret, diù in Didacum à Ratta, Flaminiæ Procomitem conflixit, & Rontam Cęſenatis Agri munitionem, quam ſtrenuus Vir Taſſolinus de Saffis Foroliuienſis exul tuebatur, expugnauit; & sìc vim inferendo, & aſſultus ſecundis armis retundendo, pacem viſus eſt extorquere feliciùs. Verùm dùm an. 1331. à Bertrando de Podietto Pontificio Legato, ad vniuerſæ Regionis recuperationem aſpirante, acritèr, & arctè premeretur, ac ad inflammandos Ciues equo ſedens diſcurreret, eo in præceps cadente, lethalitèr ſauciatus occubuit. Ità fortis Princeps deſinere debuit, vt vel moriens, imperanti ſimilis, vità cederet.

PAVLVTIVS EX COMITIBVS CALBVLI, Fulcherij filius, à cuius virtute, ac fide ergà Romanam Eccleſiam non degenerauit. Varias enìm Arces inuictà conſtantià tutatus eſt; & præſertìm Meldulam à Franciſci Ordelaphi violentis, & furentibus armis. Fuit Senarum Prætor, & tandèm anno 1344. Florentinæ Reipublicæ Pręfectus, Defenſor

ſenſor Artium, & Conſeruator Pacis. Ab hoc Paulutium Genus, ac Framontium, vt ſanguinis conſortium ſatìs vna, eadèmque inſignia teſtantur, profectum eſſe nequaquàm dubitatur.

LVDOVICVS ORDELAPHVS ex Franciſco natus, militare baltheum accepit à Ludouico Pannoniæ Rege, priuſquàm victorias Patris, nouis dominij incrementis fortunaret: Brittinorium nempè, Caſtrumnouum, Fontanam frigidam, Cuſerculum, Glaceolum, Duadulam, & alia montana loca, ſuæ, & paternæ poteſtatis fecit. Gentilem Molianum, Firmi Principem, & Leuirum ſuum ſubſidiario equitatu liberauit; nàm ex Arce, quam ſilenti agmine introiuerat, eruptione in Milites Pontificios factà, eos à Ciuitate, iàm occupatà, deturbauit. Cum tandèm felix prælium aduerſùs copias Rom. Eccleſiæ commiſiſſet, in Cęſenati Prætura occubuit an. 1356., à Catharinà Malateſta, ex Principibus Ariminenſium, genitis Ioanne, & Theobaldo.

SINIBALDVS ORDELAPHVS Ludouici frater, Auorum veſtigia, & gloriam ſecutus eſt. Dùm Barnabæ Vicecomitis præeſſet turmis, Inſubrium acie ad Soleriam profligatà, in poteſtatem inimicorum venit, à qua tandèm eductus fuit, intèr vtroſque ſancità pace. Anno 1376. Guelpham pellente Ghibellinorum ſectà, Patriæ dominari cępit, quam ab Anglorum, Britonumque ſęuitie, in finitimas Vrbes debacchantium, incolumem ſeruauit. Non modò Aſtorgium Manfredum, inani ſpe ductum Cęſenatis Dominij, commiſſo prælio inuertit, ſed quod humanam fidem ferè excedit, Aloyſium Andegauenſem, cum quinquaginta mil-

libus armatorum Foroliuium adorientem, mirà virtute reiecit (1). Forumpompilium ab Ægidio Albornotio deletum, Flumanam, Belflorem, & Caminatas vel reſtituit, vel communiuit. At demùm à fratris filijs perpetuis tenebris, carcerique damnatus, annum ſui dominatus decimum infauſtè clauſit 1386.; Vir ſiquis alius, pius, eloquens, ſobrius, & fortis. Ex Paula Blanca de Malateſtis, Pandulphi Principis Piſaurenſis filia, nullam prolem reliquit.

IOANNES DE TRECIJS, ſic forsàn nuncupatus, quod comam in nodos vinctam ferre conſueſceret, nè illi corporis motu exagitata, in prę-lijs eſſet impedimento. Adeò præſtitit diſciplinà belli, vt prætereà nemo maior haberetur. Pro S. Sede, & Vladislao Apulorum Rege fortitèr arma contrectauit, vt aiunt, Fortunæ Ductor, Ioannis de Ordelaphis non ſanguine, ſed militari ſacramento frater, & ſucceſſuum quorumcumque comes. Rex propterea æquam laboribus, meritiſque ſoluturus mercedem, ambos inſigni Dynaſtia intèr Salentinos decorauit an. 1412. (2).

HENRICVS DE TRECIJS, quem celebrem militaris Virtus reddidiſſet, ſi ſortis iniquæ vices eidem non modicè offeciſſent. Dùm enim Rhodigium ab obſidione vindicare tumultuario Venetorum delectu niteretur, & contemnens pericula, &

(1) *Hieron. Rubeus in Hiſt. Rauen. lib. 6. pag.* 589.

(2) *Leo Cobellus in Chron. Forol. M. S. part. 1. pag. 1. - Orlandus Malauoltus in Hiſt. Senen. lib. 3. pag. 3.*

multitu-

multitudinem inimicorum ſpe gloriæ, infeſtis ſignis in illos irrueret, profligatus eſt an. 1404. (1).

THADDÆVS MARCHESIVS virtute belli, ac ſingulari fide ad militares gradus, & Philippi Mariæ Mediolani Ducis gratiam eleuatus, nomen clarum adeptus eſt. Ab eo intèr Tribunos equitum deſcriptus, res peregit memoriâ, & celebritate dignas: Anno præſertìm 1443. Neapolis Regem propè Fanum Fortunæ confidentem, ſubſidio miſſus Franciſco Sfortiæ, cum Guidone Rangonio, & Tiberto Brandolino expeditionis ſocijs, colligere tentoria, & referre pedem compulit (2): In quibus, & alijs bellis tranſegit vitam militaris gloriæ plenam.

GEORGIVS ORDELAPHVS, Theobaldi nothus, à ſtudijs maiorum tantum non abfuit, quantum dominij cupiditate flagrauit; Patriam igitùr armatis copijs ſæpè inuaſit, nèc eam priùs ſui iuris fecit, quàm an. 1410., vnà cum Antonio Cecchi filio. Haud tamèn diù Collegam ſuſtinuit, quem in cuſtodiam poſuit arctiſſimam: Foroliuium ab armis Bratij Montonenſis magno robore animi defendit: Martino V. Pont. Max. in œcumenico Conſtantiæ Concilio per Oratorem ſuum ſuffragatus eſt, quem poſteà in Italiam redeuntem, ea qua par erat pompâ excepit, & tanquàm fiduciarius coluit. Tandèm cruciatu articularis morbi extinctus an. 1422., reliquit Theobaldum filium, ſub Vxoris

(1) *M. Antonius Guarinus in Comp. Hiſt. lib. 3. pag. 93.*

[2] *Ioan. Dipintor. in Chron. Forol. M. S. pag. 230.*

tutelà

tutelà Lucretiæ Alidoſiæ, Ludouici Principis Forocorneliani natæ, non diù poſt à ſæuitie luis, Regno, vitàque priuatum.

CHRISTOPHORVS TAVRELLVS Vir fortis, & animoſus, qui in magnis periculis ſe morti non ſemèl obtulit, & ſub Alexandro Sfortia meruit. Celebris famæ Ducem Nicolaum Fortebratium, ab equo in anguſtum callem lapſum, & turpis deditionis notam recuſantem, ſtrenuè ſauciauit, & vicit, in memorandà ad Collem Floris pugnà anno 1435.: quæ victoria illi peperit æternum nomen; & Romanam Eccleſiam à tanti hoſtis metu vindicauit (1).

SCARAMVCCIA DE FOROLIVIO fuit intèr Duces Reipublicæ Venetæ ſtrenuitate ſecundus paucis, quam rerum geſtarum laude in varijs bellis ſatìs comprobauit: & quidèm magnum emolumentum gloriæ nactus eſt, cum Brixiam arctè ab Inſubricis copijs impetitam, ſupplementis, quæ in Bergomati Agro cogebantur, mirà ſolertià ingreſſus an. 1438., ità ſupremis malìs mederi potuit, vt Nicolaus Piccininus, deſperatà prouincià eam oppugnationem deſtituerit (2).

ANTONIVS ORDELAPHVS illegitimus Cecchi filius, adhùc adoleſcens Hieroſolymitanæ militiæ baltheum ſuſcepit, & Commendis Patriæ, ac Regij Lepidi auctus eſt. Eà tamèn, licèt ſolemnibus obſtrictus votis, ſe abdicauit Bonifacij IX. auctoritate. Verùm Patre intèr ludibria tumultuan-

(1) *Landinus lib. 3. pag. 48.*

(2) *Matthæus Vecchiazzan. in Hiſt. Pompil. part. 2. lib. 11.*

tis

tis populi enecato, in carcerem contruſus, & deindè à Ciuitate eliminatus, diù intèr arma, & domeſticas curas exulauit. Anno demùm 1411. auitum Regnum cum Georgio Theobaldi filio iniuit; quod iſte tamèn malè tutum veritus, Socium inſtabili humanæ felicitatis documento in Arce clauſit. Anno 1424. à teterrimà eductus cuſtodià, Philippo Mariæ Mediolani Duci adhęſit: Tandèm Ciuium ſtudio, quos veteris odij pęnituit, ad dominium accitus eſt anno 1433. At in nouas calamitates incidit, multorum Principum Coniuratione: eum quoquè à legibus pacis declinantem, Franciſcus Sfortia Pontificio exercitu oppugnauit, & ipſi Ciues, mutato animorum ſenſu, reliquerunt an. 1436. Ille autèm Inſubrum ſubſidijs fretus, recuperauit Ditionem, & copias Eugenij IV. in Foroliuium vim facientes fudit. Tandèm intèr perpetuas ferè vices tranſactà vità, moriens an. 1448. ab illis acquieuit: Ex Catharinà Rangonià, Gherardi Comitis Spilimberti filià, Ceccum, Pinum, & Lucretiam genuit, quæ Iacobum Marſilium Bononiæ optimatem in virum duxit.

LVDOVICVS DE STRATA à virtute Patris non degenerauit, cuius hæres tùm Dynaſtiæ, tùm ſtrenuitatis extitit. Cùm in Piceno innatam fortitudinem experiretur, tàm latè per Italiam patuit in ducendis copijs eius virtutis fama, vt à Senenſium Republicà (1) ad armorum Imperium accerſitus fuerit an. 1435., & in ea dignitate Idibus Februarij inſequentis anni ab hac vita migrauerit. Communi propterea conſenſu apùd Minoritas Im-

(1) *Ex libro Conſiſtor. Senar. pag. 33.*

peratorijs

peratorijs Fuſtis elatus eſt. Hæc, & alia per Epiſtolas mihi ſignificauit nobilis æquè ac eruditus vir Vbertus de Benuolientibus Senenſis, de quo meminiſſe hoc loci, ſit honoris ergò, & in grati animi argumentum.

IOANNES DE STRATA, Ludouici germanus, & ſanguine, & militari ſcientià, ſub inclyti Genitoris Muſtardæ documentis, & exemplis, mercedem gloriæ, quam bellici labores expoſcunt, acquiſiuit. Diù in Italicis bellis fortis equitum Ductor ſtipendia fecit, præſertim pro Eugenio IV., qui eius fidei, & præſtantiæ grauiſſimas expeditiones commendauit.

TITVS TAVRELLVS, ſiquis alius militari, & politicà virtute præſtitit, qua illi in Aulis ampliſſimorum Principum, & Regum illuſtres honorum gradus patuere. Eum intèr alios Alphonſus Aragonum, & vtriuſque Siciliæ Rex in paginà honorarià Nobilis Viri titulo inſigniuit, in cętum Familiarium ſuorum retulit, & claris exemptionibus per vaſta Regnorum ſpatia decorauit [1]. Nec minùs gratioſus fuit apùd Franciſcum Sfortiam Piceni Marchionem, & S. R. E. Confalonerium, à quo procurandæ pecuniæ, & exigendis vectigalibus ærario ſuo debitis, à Tudertinis, & cæteris Vmbriæ Populis Imperio ſuo obtemperantibus Præfectus datus eſt (2). Illum præterea Franciſcus delegauit Cremonæ Vicarium, vt ibi querimonias ſubdi-

[1] *Ex Diplomate Regio, Dat. Caietæ 14. Decembris an. 1438.*

[2] *Ex Diplom. Franc. Sfortiæ, Dat. Venetijs 30. Decembris 1441.*

torum

torum acciperet, Vrbis, & Oppidorum Cremonenſis Dominij Conſilia congregaret, & omnium, cuiuſcumque eſſent dignitatis, errata cognoſceret [1]. Poſtquàm verò ad Inſubriæ, & Liguriæ Regnum Sfortia conſcendit, Titum Vallis Tellinæ ſupremæ auctoritatis Capitaneum conſtituit anno 1444., vt non modò ſtipendia merentibus, ſed gregarijs in ea Regione copijs iuberet (2). In his, alijſque prouincijs obeundis, quantà rectitudine, prudentià, & ſtrenuitate ſe geſſerit, vnà cum Franciſco eius filio, modò pacis, modò belli muneribus vacante, ex Indultis Sfortianis ſatis liquet (3).

CECCVS BRANDOLINVS, Comitum Vallis Marini Parens, in vitalem lucem Foroliuij emerſit anno 1434. ex Brandolino, & Lippa Alidoſia Principum Fori Cornelij, quem ad Sacras lymphas Antonius Ordelaphus ſuſcepit, & Cecchi ſui Genitoris nomine initiauit. Is Auorum veſtigijs inſiſtens, martialem diſciplinam tenuit in Venetis ferè ſempèr caſtris, extrà Faneſtre bellum, in quo Sigiſmundi Malateſtæ labefactas iàm res fulciuit. Mòx in Peloponneſum aduersùs Turcas euocatus, ſelectos pedites ęre proprio conſcripſit; Argiuæ, & Corinthiacæ Oppugnationi affuit: cum tandèm in Infideles conſertis manibus, ad nominis im̃ortalitatem

(1) *Ex Diplom. Franciſci, Dat. ſub die* 24. *Martij an.* 1443.

(2) *Ex Diplom. Ducal., Dat. Mediolani* 7. *Septembris an.* 1444.

(3) *Ex Diplom. Franc. Sfortiæ, Dat. Cremonæ* 20. *Martij* 1448. - *Ex Diplom. eiuſdem, Dat. Mediolani* 23. *Nouemb.* 1456.

adſpiraret, poſtquàm pleroſque eorum trucidaſſet, fortitèr pro Republicà Venetà, & Chriſtianà deceſſit (1). Eius Vxor Philippa Dreſſina tres filios Guidonem, Hectorem & Ioannem, Comites Vallis Marini enixa eſt.

CHRISTOPHORVS NARDINVS Iulianelli, & Carboniani Dominus, quemadmodùm Petrus Paulus frater, bellicam gloriam conquiſiuit, & in Pontificij equitatus Præfecturà inclytum nomen reportauit. Militaris porrò ſcientia, Generis amplitudini, ac ſplendori coniuncta, tantam illi peperit auctoritatem, vt nuptijs Conteſſinæ Malateſtæ, Sigiſmundi Arimini, Fanique Principis, & Polixenæ Sfortiæ ex Ducibus Mediolani, dignus habitus ſit an. 1474. [2].

SIGISMVNDVS BRANDOLINVS illuſtrium Auorum ſcientiam profeſſus eſt, ſub Venetis, & Inſubricis vexillis. Pro Sfortiadum felicitate diù, & ſtrenuè inſudauit fortis copiarum Ductor. Cum autèm exantlati labores ob oculos Bonæ Sabaudicę, Ioannis Galeatij Mediolani Ducis relictæ obuerſarentur, ab ea Calpiniani Comitatu donatus eſt an. 1475.; quod ingentis momenti præmium collatum filio, ſatis teſtatur innocentiam Tiberti Patris, olìm ſuſpectæ fidei notà criminatum. Eius thalamum Antonia Bentiuola, Hannibale Regulo Bononienſi nata, decorauit.

SEBASTIANVS ROMANELLVS intèr tene-

[1] *M. Anton. Sabellicus de Rebus Venet. lib. 8. - Franciſc. Sanſouin. in Famil. Illuſtr. Ital. pag. 211.*

[2] *Cęſar Clementinus in Hiſt. Arimin. part. 2., in Mem. Roberti Nouel.*

bras

bras ignotæ ſtirpis emerſit in lucem, quas tamèn factis, æternæ recordationis dignis illuſtrauit. Sub Proſpero Columna in miniſterijs militis, Centurionis, & Ducis verſatus eſt, quæ pari alacritate, & conſtantià exercuit, ſeù alijs ſubeſſet, ſeù alijs imperaret. Ipſe etiàm potuit Italæ militiæ dignitatem à Gallorum contemptu vindicare; nàm dùm Ferdinandi Neapolis Regis ſigna ſequeretur, apùd Cannas vtraque Natione inſimùl rixante, & pro celebritate nominis primum occupare locum contendente, æſtuantibus animis, res propè erat, vt cruento prælio dirimeretur, niſi prudentum conſilio ad paucorum virtutem fuiſſet redacta. Tredecim omninò, ex fortioribus hinc indè excerpti in arenam conflictus proceſſere, cunctorum ſpem ferentes, dùm ſpectatores exercitus pro caſtris aſſiderent. Intèr Italos Romanellus cenſebatur, & famà ſpectatæ ſtrenuitatis emicabat. Auditus eſt vtrinquè fragor enſium, & atrox viciſsim cupido vincendi efferbuit, diùque ſors anceps ſtetit; ſed acriùs vrgentibus Italis Gallos vicerunt (1). Sebaſtianus ad ſuos, feſtiuis vocibus clamantes, victor cum Socijs reuersùs eſt, quorum tres habuit Collegas in Ditione Caſtri Zancati, pro meritis belli comparatà.

HECTOR ZAMPESCHVS Natalium labem (erat Antonelli nothus) delere curauit militari glorià. Fuit nempè Gentium Armorum Ductor Innocentij VIII.; & aliorum Principum ſtipendia accepit. In Ferdinandum Neapolitanum Regem ea virtute pro R. Eccleſia decertauit, vt cum

(1) *Vlloa in Vita Caroli V. Imperat.*

fratribus beneficiarius inſtitui paternæ ditionis promeruerit. Dùm tandèm à S. Mauri dominio illos eliminare niteretur, eorum odio circumuentus, ipſis non improbantibus facinus, peremptus eſt.

PAVLVS BECCIVS, in quo par ſcientia martialis diſciplinæ, & incorrupta fides ergà Riarios extitit. Sub Hieronymo primùm, deindè ſub Octauiano eius filio Gubernator Generalis Armorum dictus eſt. Is ad pactionem cum illis venerat vi obſignatarum tabularum, ſe alimenta, & ſtipendia præſidiarijs copijs traditurum, quæ Fora Liuij, & Cornelij tuebantur: ſed hanc fideiuſſionem demùm Octauianus antiquauit an. 1492. (1).

MELEAGER ZAMPESCHVS ortu ſpurius, ſed nemine maiorum ſtrenuitatis ornamento minor, aſſenſum fraternæ neci datum clariſſimis factis emendauit. In æui ſui expeditionibus emicuit turmarum Rom. Eccleſiæ Præfectus, nèc non Cataphractorum Chriſtianiſſimi Galliarum Regis. Apùd Venetos militiam faciens, honeſtiſſimo gradu Generalis leuis armaturę an. 1509. in Iulium II. Pont. Maximum, licèt naturalem Principem certauit. Demùm ad Brixiam captus, deindè dimiſſus, cum ob merita geſtarum rerum vniuerſi equitatus ductum retuliſſet, minimè dubitabatur, quin breui ad ſummum Imperatoris munus aſcenſurus eſſet, niſi in Vicentino pręlio, intèr fortiſſimos Duces ſtrenuè confligens perijſſet anno 1513. [2].

(1) *Ex Diplom. Hieronymi Riarij* 2. *Octobris* 1487.- *Ex Diplom. Cathar. Sfortiæ, Dat.* 23. *Ianuar.* 1492. - *Ex rogit Spinucij Aſpini* 27. *Ianuar.* 1492.

(2) *Paulus Iouius in Hiſt. ſui temporis lib.* 4. & 12.- *Franciſcus Guicciardinus in Hiſtor. Ital. lib.* 10.

ANTO-

ANTONIVS II. DE ORDELAPHIS, Cecchi filius, à Pini Patrui inſidijs, & apùd Auunculum Galeottum Manfredum, & in Apuliæ bellis, vbì fortem operam nauauit ſe ſubduxit. Pino vità functo an. 1480., à Ciuibus ad Principatum accerſitus, Foroliuio potitus eſt, & cunctis caſtris Agri: at dùm Raualdinam Arcem, quæ in Sinibaldi fide ſeruabatur, oppugnaret, accedente cum Pontificijs copijs Friderico Vrbinatium Duce, fortunę, ac tempori inſeruiuit. Sępè Florentinis, & Venetis ſubſidium ferentibus, repetere auitam Ditionem niſus eſt; ſed sempèr infauſto euentu. Tandèm per obitum Alexandri VI., Borgianà tyrannide labefactà an. 1503., ſummis omnium ſtudijs euocatus, & exceptus, vt fert inſtabilis rerum humanarum ordo, haùd multò poſt intèr communes lacrymas deceſſit.

LVDOVICVS ORDELAPHVS, ex illegitimis amoribus progeneratus, in Apulià cum Antonio II. fratre, & in Inſubrià pro Venetis, ſelectis equitum turmis dimicauit; quibus, & ſua, & illius iura à Borgianis viribus defendit. Ei intempeſtiuè obeunti, in dominatu ſuffectus eſt; Cum autèm ità infirmas haberet vires, vt Pontificiæ potentiæ obuiàm ire nequiret, Rauennam ſecedens, amiſit Regnum, & paulò poſt vitam, poſtremus inclytæ, & bellicoſæ Gentis Princeps.

HIERONYMVS NVMAIVS bellicam tranſegit vitam in caſtris Cęſareis, & Pontificijs. Fuit ſplendidiſſimus eques, & tantæ dignitatis, vt per Priuilegium quàm ampliſſimum ſibi liceret in equeſtrem ordinem admittere, quotquot velles

nobi-

nobiles (1). Dum tandèm ſub Auſtriacis vexillis, & Sciarræ Columnæ imperio mille veteranos pedites duceret, & ad Camertium ſubſidium feſtinaret, in oppido Amandolæ lethali morbo depræhenſus, poſtquàm diù ægritudinis vehementiæ reſtitiſſet, ad poſtremum ceſſit an. 1526.

TIBERTVS BRANDOLINVS Sigiſmundi filius, belli gradibus, & rerum claritate illuxit. Ioannis Gonzaghæ, Mantuę Marchionis turmas duxit; Franciſci Mariæ Vrbini Ducis, cui Laurentius Medices Ducatum eripuerat, vices ſtrenuè, & ſapientèr geſſit; Fanum oppugnauit; Peruſiam, & Anconam bellicis vectigalibus obnoxias fecit; & in Ariminenſi Agro cum Eccleſiaſticis conflixit. Franciſco Maria in Ducali ſede reſtituto, & Fęderatorum Italiæ Imperatore renunciato, ille, & Malateſta Baleonius quatuor millibus equitum Laudam impetentes, ſubegerunt. Tandèm Carolum V. in Germaniam ſubſecutus, intèr ſupremi Conſilij Adminiſtros, & Barones relatus eſt (2). Obijt an. 1531. plenior glorià, quàm annis. Vxores habuit Iuniperam ex Comitibus Balnei, Vrſulam Caſſiranam Parmenſem, Lauram Caracciam, & demùm Iuliam à Cornu Rauennatem, ac reliquit maſculum vnum Io: Franciſcum, & Margaritam nuptui datam Io: Baptiſtæ Vaino Imolenſi.

ANTONELLVS II. ZAMPESCHVS, ex Brunoro natus, S. Archangeli, & Foropompilij Prin-

(1) *Ex rogit. Aphricani Seuerolï, Archidiac. Fauentin. 11. Aprilis 1518.*

(2) *Franciſc. Sanſouinus in Famil. Illuſtr. Ital. pag. 212.*

ceps.

ceps. Is in expeditionibus maritimis, terreſtribuſque parem laudem nactus eſt, & Pontificiæ Claſſis Trierarcus an. 1525., ac in Tuſcià Petri Aloyſij Farneſij Cataphractorum Protribunus. Ex primo thalamo Lucretiæ Liuianæ, Bartholomęj Venetorum Imperatoris filiæ, Cleopatram dumtaxàt genuit, Iacobo Malateſtæ Comiti Montis Cogrutij iunctam, cum dotalibus materni iuris caſtris Montis Iani, & Ronchofrigidi; ex altero Lucretiæ de Comitibus Domicellæ Romanæ, Brunorium marem, & quinque fęminas; quarum Hippolita Fabium Tibertum Cęſenatem ex Dominis Montis Guidonis, & deindè Equitem Iulium de Pantaleonibus Imolenſem, Viros habuit: alia ex ijs in Numaia Domo Foroliuij locata fuit, quod quidèm copulata vtriuſque Familiæ inſignia, inſculpta ſimùl in antiqua Numaiorum æde, ſatìs probant.

CAROLVS LATIOSVS tùm literis, tùm Armis præſtans, in quibus pacis, bellique diſciplinis dies ſuos glorioſè collocauit. Dùm tandèm Mantuæ Chiliarchæ munus exerceret, æquè militibus, ciuibuſque acceptus, curſum vitæ perfecit. In templo Seruorum humatus eſt, vbì vetus pauimentum, ſub Gentilitijs Inſignibus inciſa in lapide hæc carmina oculis prætereuntium, exhibebat.

FORLIVIJ NATVS, NOSTRÆ GRATISSIMVS VRBI -- CAROLVS, HOC TVMVLO, STIRPS LATIOSA, IACET:-- SI QVÆRIS PROAVOS, SVNT SANCTI, SVNTQVE BEATI:-- SVNT DOCTI, ET FORTES MARTIA AD ARMA VIRI.

MATTHÆVS ALEOTTVS Simonis, & Artuſinæ

ſinæ de Artuſinis Rauennatis filius, Maiores habuit Ciuorij Regulos, quorum primum Io: Franciſcum ſub anno 1456., poſtremum Bernardinum an. 1511. extitiſſe compertiſſimum eſt (1). Vir fuit inclytus prudentià, ac ſtrenuitate in miniſterijs togæ, ac belli. Catharinam Medicem titulo Præfecti morum ad thalamum Henrici II. Francorum Regis duxit; à quo in illuſtrem benè geſti muneris mercedem intèr Equites S. Michaelis [tùnc magnæ in Europa exiſtimationis] cooptatus eſt (2). Varijs Pontificibus Maximis militarem operam nauauit, & potiſſimùm Iulio III. Generalis Caſtrorum Magiſter in Mirandulana, & Parmenſi expugnationibus; vbì venit in præſens vitæ diſcrimen (3). Pro Paulo IV. Arcis Oſtienſis Cuſtos, latini maris litora defendit: ac tandèm clarus politicà, bellicàque laude occubuit, filijs poſt ſe relictis Bernardino Equite S. Georgij, Simone Epiſcopo Lindinenſi, & Foroliuij electo; ac Artuſinà, Antonio de Dentibus in matrimonium traditâ.

BELLVS DE BELLIS inuictus ſuæ ætatis Ductor, qui ad cum immortalem gloriam niteretur, non ſolùm gradibus, ſed & rebus geſtis eam comparare ſtuduit. Fuit Reipublicæ Venetæ, Caroli V. Imperatoris, & aliorum Principum Tribunus, & Summus Magiſter belli. Sub Iulio III. militiæ la-

[1] *Ceſar Clementinus in Hiſtor. Ariminen. part. 2. lib. 19. - Ex rogit. Iacobi qu: Antonij, Not. Sarſinat. 3. Ianuar. an. 1511.*

[2] *Petrus Belmontius in Geneſi Famil. Belmont. pag. 30.*

(3) *Guazzius in Chronicis ſub an. 1552.*

bores

bores ea merces conſecuta eſt, vt in Alma Vrbe Præfecturam Arcis S. Angeli meruerit, tùnc celeberrimis Ducibus concredi ſolitam, alijſque inſupèr honoribus, & Eccleſiarum emolumentis fuerit cumulatus. Obijt anno 1562., filiabus bonorum, & gloriæ hæredibus relictis, Barbarà ſcilicèt, quę Fabritio Taurello, & iterùm Equiti Bernardino Paulutio; Lucretià, quæ Vgolino de Vgolinis; & Franciſcà, quæ Marino Vrceolo, primarijs Ciuibus nupſerunt.

COSMVS HASTEVS pro Republicà Venetà militiam aggreſſus eſt tàm forti animo, vt omne diſcrimen contemneret, nihil difficile, & intolerandum putans, quod officere hoſtibus Chriſtiani cultus poſſet. Equeſtri baltheo propterea donatus eſt, & ad clariſſimos gradus promotus, etiàm Locumtenentis Generalis in Cypri Regno Famaguſtanæ Vrbis. Cum autèm hæc anno 1570. Selimi II. iuſſu, à ſęuo Muſtaffa ſummis conatibus obſeſſa, ſub barbaro eius iugo concidiſſet, furibundus victor, vt cruori, & Manibus Thracum parentaret, ruptis iàm obſignatis deditionis pactis, in præcipuos Duces crudelitèr animaduertit. Marcum Antonium Bragadenum Legatum excoriauit, Hieronymum Martinenghum, Aſtorem Balleonium, Haſteum, & alios truculentèr enecauit (1). Hanc igitùr mortem ſuſtinens conſtantèr Coſmus illatam in odium Chriſtianæ legis, apùd Deum meruit, & perennem famam in æuum omne comparauit.

AGHINVLPHVS SERVGHVS ſtrenuus Ductor,

(1) *Mambrinus Roſeus part. 3. lib. 14. pag. 236. Cęſar Ripa in Iconologia, vbi de Romandiolà.*

generoſus Eques, & ſplendidus Comes; quibus non ſolùm titulis emicuit, ſed & Indulto Scribas creare, nothorum labem abſtergere, & laureà inſignire, quos idoneos in literarijs diſciplinis comperiſſet (1). Hic ſub Pontificijs, & Auſtriacis vexillis militarem laudem meruit, ad quam ſummis ſtudijs adſpirabat. Intèr alia virtutis ſuæ experimenta, illud inprimis celebrandum eſt, quod in Creualcori defenſione præſtitit. Cùm enim Iulius III. Parmam obſidere inſtituiſſet; cuius Dux Octauius Farneſius ſe in clientelam Gallorum dederat, Galli verò oppugnationem prohibituri, ad oppidum in finibus Bononienſis Agri ſitum, copias admouiſſent, Aghinulphus ad loci præſidium decretus, aggere tantùm, & foſſà muniti, hoſtium aſſultus eà conſtantià propulſauit, vt deſperatà prouincià, non ſinè cruore, ac iacturà receſſerint an. 1551. (2). Poſtquàm verò maximam dierum partem in bellis eius temporis traduxiſſet, eos omnium mœrore in Patrià perfecit an 1573., vtroque Magiſtratu, ac Populo optimi Ciuis corpus ad tumulum, & Iuſta proſequente.

SIMON NVMAIVS Antonij filius, à quo altiſſimam prudentiam, & rerum cognitionem ſumpſit, illi ſępè ex aſpectu præſentium futuros euentus præmonſtrantem. Annos vndeuiginti natus ad Quęſturam Pontificij Equitatus promotus eſt (3). Dùm

(1) *Ex Diplom. Apoſtol.*, 8. *Iulij an.* 1535.

(2) *Hieron. Rubeus in Hiſt. Rauen. lib.* 9. *pag.* 710.

[3] *Ex Epiſtola Cardin. Armellini Medices, Camerarij, Dat. Romæ* 3. *Septemb. an.* 1526.

Patriæ

Patriæ Legationem ageret apùd Paulum III. Pont. Max., magno ſui nominis ſplendore, ab ipſius manibus ſolemni ritu equeſtris balthei decus accepit. Anno 1542. in Subalpinis bellis ſub Pyrrho Stipiciano, celebri ſuæ ætatis viro dimicauit; quibus meritis ad gratiam Maximiliani Imperatoris aſcendit. Ab eo ſiquidèm cum liberis ex Cornelia de Dentibus Vxore procreatis, intèr Familiares Auguſtalis Aulæ relatus eſt (1). At quamquàm politicis, & militaribus diſtentus curis, nonnihil temporis conceſſit literis, præſertìm hiſtoriarum, in quibus erat vltrà hominum fidem eruditus. Foroliuij tandèm requieuit an. 1586., & Domus quietis in D. Franciſci patet ſub inſcriptione ad oſtium ſepulchri inciſa.

SEBASTIANVS VRSELLVS Eques S. Stephani, ex bellicoſi ſpiritus ingenio, & inſtituto Militaris Ordinis, in hoſtes Chriſtiani nominis certauit. Triennio in Pyratas ſupèr triremibus Hetruſcis acto, cum diuitijs affluerct, quadringentos pedites ęre proprio conſcripſit, & pro Republicà Venetà diù meruit. Hi verò labores, & ſumptus mercedem tulerunt non ſolùm pergrata Senatus encomia, ſed an. 1615. Gubernator Armorum Grabuſſæ, mòx Arcium Cretæ, & Caneę in Cretenſi Regione, & demùm tertius Regni Locumtenens dictus eſt. Hanc martialem dignitatem per annum, nèc vltrà tenuit, morboſis affectibus, ex vigiliarum tolerantià contractis confectus, quibus Sal. anno 1618. antè ſenium interijt.

NICOLAVS PERLINVS diſciplinà Matheſeos

(1) *Ex M. S. antiquo Familiæ Numaiæ.*

egregiè inſtructus, quæ ſcientià eſt militari vitæ maximè opportuna, primùm intèr Belgas, deindè intèr Pannones ſtipendia fecit. Hac ſcientià, ſtrenuitati iunctà, ad eminentes gradus Chiliarchæ, & Generalis copiarum Inſtructoris felicitèr peruenit. Dùm tandèm in Hungarià Iauarini Arcem non ſatìs communitam, & commeatuum caritate laborantem, Turcis poſt diuturnam defenſionem dedidiſſet, in diſcrimen venit amittendæ gloriæ, quam in elapſis bellis cumulauerat. Etenim cum Ardechiæ Comite Præſidij Præfecto, ſuſpectæ fidei notà criminatus, quamuis in queſtionem abducti magnam innocentiæ opinionem reliquiſſent, ambo obtruncati ſunt.

IO: BAPTISTA THEODOLVS in Belgio, velùt in ludo Armorum inſtitutus, vbì perpetuus ferè mars flagrabat, Artem percepit militis, & Ducis. Ei vicariam operam impendit in militari Tribùnatu Vincentius Vergerius, Vir æquè fortis, ac laudandus. Hanc Theodolus ſcientiam pro Romanà Eccleſia, & Odoardo Farneſio non minùs ſtrenuè, quàm fidelitèr exercuit, Chiliarcha, & Cuſtos Ducalis Stirpis anno 1635., dùm ille copijs Gallorum ſtipatus Inſubriam adortus eſt. Tandèm vità intèr curas militiæ exactà, in Patriam ſeceſſit, vbì debitum naturæ perſoluit, ex Flaminià Chellinà, Theodolà, & Marià filiabus genitis, quarum altera Chriſtophorum Aſpinum, altera Iacobum Paſium Fauentinum nobiliſſimos Viros habuerunt.

IOSEPH VRSELLIVS non domi, ſed foris virtutem ſuam eximiè perſpectam fecit. Sex annos pro Venetis in Turcas, decem pro Chriſtianiſſimo

Rege

Rege Ludouico XIV. glorioſè certauit, ſępè paucis ſecundus in aſſultibus Belgicarum Arcium. Eum tamèn Innocentius XII. acceſſiuit ad requiem, & intèr Prætorianos Duces cooptauit; quam cum ille ęgrè perferret, nouam occaſionem acquirendæ laudis nactus eſt. Copijs igitùr Pontificiæ claſſis præpoſitus, eas in Peloponneſum expoſuit, & in expugnationibus Nicopolis, Leucadis, Methonis, & Corinthi meruit manu, ac conſilio, ſed ex letifero morbo in caſtris occubuit an. 1686.

ALOYSIVS PAVLVTIVS ex Comitibus Calbuli, Ioannis Patrui veſtigia ſecuturus, qui in pręlio Neoburgenſi pro Deo, & pro Cęſare fortitèr cadens obierat, in Pannoniam profectus eſt. Ibi poſtquàm in Thraces operam ſuam præſtitiſſet, & in Pedemontanis bellis noua militaris Artis experimenta didiciſſet, ab Innocentio XII. Armorum Piceni adminiſtrationem retulit. Clemens XI., fluctuante Italia, ob interitum Caroli II. Hiſpaniarum Regis, vt S. Sedis Ditionem ab exterarum Gentium damnis vindicaret, delectus habuit, & pari, ac ſupremo imperio Inſtructores Generales copiarum Eccleſiæ Aloyſium, & Franciſcum Mariam de Maximis Romanum renunciauit an. 1700. Nèc tantùm hanc prouinciam Paulutius ſuſtinuit, ſed etiàm Parmæ, & Placentiæ Vrbes à Franciſco Farneſio ad earum præſidium expetitus, egregiè defendit, cui ſe gratum ille Princeps præbuit, & præclarum officium Marchionatu Fabiani aſſecutus eſt. Demùm vitio lentæ ęgritudinis affectus in robore ætatis, annos ſeptem, & quadraginta natus, diuinæ Incarnationis 1705., in Patrià deceſſit. Iacet in D. Hieronymi, vbi magnificum monumentum

mentum

mentum Fabritius Cardinalis, & Ioannes fratres poſuere.

DE DVCIBVS, ET CHILIARCHIS

CAP. IV.

HVic libro, & operi, finem, terminumque conſtituent minoris imperij Duces, quorum tantùm virtutes attingam, non merita geſtarum rerum dimenſurus.

BERNARDINVS DE COMITIBVS ſtrenuus copiarum Ductor, quas Patria, beneficij nón immemor ſeruatæ libertatis, Berengario Regi ſubſidio dedit anno 903., vt illis Hunnos Galliam Ciſalpinam deſolantes, nèc ſacris, nèc humanis parcentes coerceret [1].

TIBERTVS BRANDOLINVS arcano naturæ inſtinctu militarem gloriam conquiſiuit modò ſub Pontificijs, modò ſub Mediolanenſium ſignis. Fuit celebris victoriæ conſors, quam fœderati Italiæ Populi in Friderici Imperatoris phalanges retulerunt. Eum & Foroliuiani ordinibus ſuis præfecere vt Bononienſibus tùnc amicis, quos Mutinenſes graui bello premebant opitularentur: & in felici conflictu an. 1249., quo Bononienſes Entium Sardinæ Regem captiuum abduxerunt, ipſe etiàm magna operatus eſt. Tandèm ad ſtipendia Vicecomitum progreſſus, aduersùs Turrianos dominium affectantes, Othonem vidit in Principatu confirmatum.

[1] *Ex Chron. Forol. M. S. Alexandri Paduan. ad an. 903.*

ANSAL-

ANSALDVS ANDRELINVS bellicam diſciplinam coluit in caſtris Diui Ludouici IX. Francorum Regis (1). Eum in Ægyptum cum claſſo traijcientem magnà alacritate ſecutus eſt an. 1249., vt Saracenos profligaret, adderetque incrementum Chriſtiano cultui. Et ſanè nihil eſſe arduum virtuti putans, intèr fortiores experiri ſempèr ingentia contendit.

IOANNES ORGOLIOSVS intèr Duces Foroliuiani exercitus, qui in Bononienſes vel excidium, vel ſeruitutem Vrbi minitantes ſtrenuè prę̈liati ſunt anno 1273., paucis imperio, & nemini virtute ſecundus extitit. In latera quippè inimicorum tanto auſu, ac conſtantià inuaſit, vt non minor laus vindicatæ ab imminenti iugo Ciuitatis iure meritò ei debeatur (2).

FRANCISCVS CALBVLVS, Ioanni par non ſolùm Præfecturà, ſed etiam celebritate rerum, cum ob oculos haberet magìs fortunam publicam, quàm ſuam, ſe quibuſcumque periculis pro Patrià obtulit, & inconcuſſo animo in illius hoſtes dimicauit.

PETRVS DE CLARICIS rei militaris peritiſſimus, ob præſtantiam Artis, & ob nobilitatem ſtirpis, quæ antè Belmontium Genus Caminatenſi Caſtro dominata eſt, acies Populi Foroliuienſis duxit, & cum Socijs muneris, & gloriæ Foroliujum à Bononienſium minis tutatus eſt.

[1] *Coronellus in Bibliot. Vniuer. Tom. 3., colum. 612.*

(2) *Leo Cobellus in Chron. Forol. M.S. part. 1. pag. 12.*

SVPER-

SVPERBVCCIVS EX DOMINIS BONELDÆ ſe belli ſtudijs dedit, vt generoſæ, ſplendidęque familiæ decus propagaret. His enim ſatis ſupèrque inſtructus, dum pro Ciuibus Cohortium veteranarum Ductor eſſet, in Pontificias copias Martini IV. magnam hominum, pecudumque prædam à Foroliuienſi Agro Fauentiam abducentes, vi factà, non eas tantùm fudit, ſed recuperatis & captiuis, & ſpolijs, Caſtrum Voltræ ad Liuienſis Reipublicæ obſequium compulit an. 1282.

CYPRIANVS NAVARRA miles ſtrenuus, & Dux præclarus, vt intèr cętera teſtatur militare funus, quo elatus eſt Fauentiæ, vbi diem obijt ſupremum anno 1323. Eum nempè ad tumulum ſociabant alij diſcordibus tympanis, alij conſarcinato ſupèr præcipuum ex equis vexillo lugubribus phaleris incedentem, bellicum ritum ſequebantur.

VGVTIO VRSELLIVS ob virtutem domi, foriſque cognitam Vicecapitaneus Populi Bononienſis diù meruit an. 1332. Erat munus Vicarium Pręfecturæ (tùnc magnæ excellentiæ gradus), quo per id temporis Alamannus Opicius Lucenſis fungebatur [1]. Dùm autem Vgutio martialem agebat vitam, togatam exercebat eius conſanguineus Tancredus, Franciſci de Vrſinis Domicelli Romani, & Fauentiæ Præfecti Aſſeſſor.

MASIVS HASTEVS diù intèr bella ſuæ ætatis verſatus eſt. Poſtquàm verò in præſidijs validarum Arcium Bazani, & Anſilini Bononienſis Agri, ſpecimina fidei, & ſtrenuitatis Ioanni XXIII. præſti-

(1) *Ex rogit. Buxini de Gozzadinis, Not. Bonon. 10. Iunij an.* 1332.

tiſſet,

tiſſet, eaſque ab hoſtibus egregiè defendiſſet, Molendino Feliceti de Iuribus Pontificiæ Cameræ, Iuliano Gondo Camerario Ciuitatis Foroliuij in poſſeſſionem illum inducente, remuneratus eſt anno 1410. (1). Varia tandèm oppida intèr Brutios pro Romanà Eccleſià, ingenti tùm ſtipendio ſeptingentorum ſupèr duo millia ſcutorum, gubernauit (2).

GVIDO FOROLIVIENSIS intèr Venetæ Reipublicæ Duſtores non poſtremus, de quo tamèn ferè prætèr nomen nìl habemus. Is enìm ab Angelo Pergulano, peragratà Flaminià, & Mutinenſi Agro, in Mantuanum properante, vt armenta abigeret, & prædam, intereçptus eſt, dùm ad ſtatiua graderetur an. 1426. (3).

IOANNES HASTEVS equeſtrem habitum Ordinis Hieroſolymitani à Marco Antonio de Caccianemicis Fauentino accepit, & poſteris annis Patriæ Commendà auſtus eſt. Belli, paciſque artibus emicuit, quibus gratioſior apùd Eugenium IV. fuit, non ſolùm eius merita, ſed Nicolai fratris inprimìs reſpicientem. Quamobrèm cum Maſio patruele ad clarum Regimen Ciuitellæ, & confinium Locorum intèr Brutios promotus eſt, non circumſcriptà, ſed ſummà etiàm gladij poteſtate an. 1431. [4].

(1) *Ex rogit. Benediſti de Fulcis*, *Not. Forol.* 4. *Septemb. an.* 1410.

(2) *Ex Chron. Albertina M. S.*, *ſub die* 12. *April. an.* 1438.

(3) *Ludouicus Cauitellius in Annal. Cremon. p.* 160.

[4] *Ioan. Dipintor. in Chron. Forol. M. S. pag.* 93. - *Ex lib. Olmo in Archiuio S. Mercurial. pag.* 97.

LEONELLVS BRANDOLINVS magnanimi Tiberti filius, à cuius perenni, conteſtataque virtute nunquàm degenerauit. Mediolanenſium, & Venetorum ſtipendia meruit, biſcentum Haſtilipherorum Ductor, non abſque ſui nominis ornamento, ac laude. Fuit enim ſubſidio miſſus Sigiſmundo Malateſtæ, qui in bello Faneſtri à Pontificijs armis premebatur an. 1461., & deniquè in Peloponneſum, vbi in Spartæ expugnatione multa pericula ſtrenuitatis edidit (1). Vxorem habuit Camillam Piam ex Dominis Carporum.

CORBICEVS DE CORBICEIS rebus belli, paciſque clarus, Riarijs Principibus Foroliuij inſeruijt ſpectatà virtute, ac fide incomparabili, intèr præcipuos Conſiliarios Status. His animi ornamentis acceſſere opes, & clientelæ adeò præualidæ, vt Petrus Medices, Arbiter Florentinæ Reipublicæ, & Laurentij Ducis Vrbini Parens eum in amicitiam ſuſceperit, & ſępè in arduis negotijs adhibuerit. Liquet etiàm illum per epiſtolas rogaſſe, vt saltèm mille, & quingentos pedites veteranæ ſtrenuitatis ex ſequacibus ſuis tumultuario delectu cogeret, & quanta feſtinatione poſſet, tranſmiſſis Alpium iugis, exercitui Calabriæ Ducis copularet an. 1494. (2). At tantæ exiſtimationis Vir ab inſidijs inimicorum cauere non potuit, in quas miſerè offendens, necatus eſt Nonis Februarij anno 1499. Celebre Corbiceorum Genus, Alto-

(1) *Franciſc. Sanſouinus in Famil. Illuſtr. Ital. pag.* 212.

(2) *Ex Epiſt. Petri Medices ad Corbiceum, Dat. Florentiæ 6. Septembris an.* 1494.

nitæ,

nitæ & Squarcialupæ Stirpium conſors, quod prę-tèr alia antiquæ nobilitatis argumenta, Donatum an. 1190. Patriarcham Hieroſolymitanum ediđiſſe gloriatur [1], Florentià Caſtrocarium à Ioanne Commiſſario Duadulæ (honeſtiſſimæ Præfecturæ nomen) ſub an. 1455. delatum eſt. Is duobus au-ctus filijs, Petro Philippo Comeſtabili Campiliæ, & Corbiceo, non degenerem poſteritatem in Æmi-lia reliquit, Foroliuij nùnc vigentem, quemadmo-dum ex authenticis documentis conſtat, coràm ſu-premo Magiſtratu Florentiæ trutinatis an. 1619. (2).

BALTHASSAR MORATINVS Eques, Comes, & fortis Ductor, cui ergà Romanam Eccleſiam, & Cęſarem Borgiam robur, ſtrenuitas, & fides non defuit. Ab hoc Commiſſarius belli renuncia-tus, Sarſinæ, Meldulæ, & montanæ Ditionis poſ-ſeſſionem adijt, commeatus diligentèr conquiſiuit, & delectus copiarum habuit. Patriæ etiàm Orator extitit apùd Iulium II. Pont. Max., Ioanne Anto-nio Bicio, Bernardino Xelio, & Ioanne Saxo Collegis Legationis, poſtquàm Foroliuium inuiſum iugum Borgianæ ſeruitutis repulit, & ad S. Sedis obſequium conuerſus eſt an. 1504. (3).

GHERARDVS MARCOBELLVS ſtirpi ſuæ [nùnc Angeleria appellitatur] ornamentum attulit

[1] *Recordan. Malaſpina in Hiſtor. Floren. pag.* 45.

(2) *Ex Proceſſu, à Vincent. de Marcheſchis ſi-gnat.* 8. *Maij an.* 1626.

(3 (*Ex Diplom. Apoſtol., Dat. Romæ Cal. Iu-lij an.* 1504. - *Cęſar Clementinus in Hiſt. Arimin. part.* 2. *lib.* 10. *pag.* 586.

artis bellicæ præſtantià, quæ tùm illi, tùm Nicolao fratri pro Alphonſo Neapolis Rege dimicantibus, celebritatem nominis adauxit an. 1494. (1). Primus etiàm ſub vexillis Eccleſiæ Cataphractorum Tribunus fuit, & ſępè in arduis, incertiſque pugnis quantùm manu, & conſilio valeret, palàm fecit.

CHRISTOPHORVS A' TVRRI ad tractanda arma ab amatore bellorum ſęculo accerſitus, intèr Duces equitum Cęſaris Borgiæ deſcriptus eſt. Cum autèm Pandulphus Malateſta auitum dominium felicitèr recuperaſſet, ille Cęſaris iuſſu Regno vniuerſæ Flaminię inhiantis, Ariminenſem Agrum infeſtis armis curſitauit, & prędam hominum, pecudumque abegit an. 1503., nèc prętèr hęc alia de eodem reſtant monimenta.

ANDREAS MORATINVS eam firmitatem animi, quam domi in priuatis diſſidijs oſtenderat, forìs glorioſiùs in bellis comprobauit. Borgiana ſtipendia accepit honeſtà Cataphractorum Præfecturà, cui tùm Principi, tùm Romanæ Eccleſiæ, ſtrenuam operam prębuit, & fidam.

SEBASTIANVS MORATINVS Eques, ac Comes primarius vitam traduxit partìm in Aula Ordelaphorum, partìm in Pontificijs caſtris. Apùd Antonium Regulum Foroliuienſem Pocillatoris munus geſſit, & pro Iulio II. fortitèr certauit equitum, peditumque ductor. Cum verò Pontifex Mutinam in ſuam poteſtatem redegiſſet, ei Ciuitatis, & Arcis pręſidia concredidit an. 1510. Demùm in

[1] *Andreas Bernardus in Chron. Forol. M. S. pag. 272. - Leander Albertus in Deſcript. Ital. Reg. 14.*

ſinu

ſinu Patrię occubuit, & in D. Hieronymi requieſcit ſub lapide, quem ampliſſimo Socero Ludouicus Albertinus, Pontificius Dux in Gallos, poſuit.

NICOLAVS HECTOREVS diù inteſtinum odium enutriuit, at non expleuit vnquàm, à Patria depulſus vnà cum fratribus Iulio, Hectore, & Ioanne. Meliorem itaquè, & glorioſam vitæ vſuram facturus, ſe militari ſcientiæ dedit, eo progreſſu virtutis, vt illum Bartholomęus Liuianus Veneti exercitus Imperator inprimìs amauerit, charumque habuerit. Dùm in Patauino bello merebat, incertò an per occultam, an publicam ſimultatem, certè honoris cupiditate ductus ad ſingulare certamen Nicolaum Bonamicum Rauennatem Virum fortiſſimum, & inuictum prouocauit. Ibì inſpectante vtroque exercitu campum ingreſſus, poſtquàm ambo atrox, & diutinum prælium commiſiſſent, Hectoreus non tanquàm ignauus victus eſt anno 1515. (1), gloriam augens Victori, non ſibi dedecus inconcuſſo corde dimicanti.

GASPAR LANCEVS celebris fuit ſuę tempeſtatis Ductor. Is, quæ intèr atroces pugnas, & diſcrimina rerum, pericula euitauit, intèr funeſta Patriæ diſſidia offendit. Etenìm dùm Pſalmodiæ, & ſacris, Eccleſiæ ritibus intererat, à debacchantibus Guelphis, nèc diuino cultui parcentibus, necatus eſt an. 1512.

IVLIANVS BECCIVS cum belli ſtudio teneretur, apùd Fridericum Gonzagam Mantuæ Marchionem inſtitutiones militiæ proſecutus eſt. His

(1) *Hieron. Rubeus in Hiſtor. Rauen. lib. 9. pag. 683.*

ſatìs

ſatis eruditus non contemnendos gradus, & famam egregij Ducis comparauit. Inſeruijt & Romanæ Sedi ſpectatà virtute, ac fide; nàm Leonelli Pij, ex Comitibus Carporum, Æmiliæ Præſidis, permiſſu, veteranos pedites deſcripſit, vt ijſdem Eccleſiæ iura tueretur (1).

ANDREAS SERVGHVS militari peritià memorandus, quemadmodùm in Corcyrę defenſione (2) re probauit veriùs, quàm poſſimus cenſere: reliquis deindè factis immortalitatem nominis aſſecutus eſt; quippè cùm Hęretici in Germania furentes, & propagare cędibus, & armis ſectam ſuam contendentes, aduerſùs Catholicorum acies concurriſſent, Andreas gloriosè pro Deo, & Orthodoxà Republicà deceſſit an. 1556. [3].

HIERONYMVS ASPINVS terrà, marique bellicam laudem conquiſiuit. Etenìm pro Pio V. Pont. Max. in celebri Echinadarum pugnà cum inimicis Chriſtiani nominis inuictè certauit: mox Auſtriacæ Domus vexilla ſecutus, poſtquàm illi multa & ſtrenuitatis, & fidei argumenta præſtitiſſet, dignam laborum, periculorumque mercedem, ad Præfecturam inſignis Arcis Mediolani euectus, reportauit.

GEORGIVS THEODOLVS vt mereret ſtipendia, ſed magìs clarum nomen in Belgium perrexit an. 1557., pro Philippo II. Hiſpaniarum Rege ſanguinem, & vitam profuſurus. Imitatores vir-

(1) *Ex Diplom. Friderici Gonzaghæ 19. Iulij 1524. - Ex Diplom. Leonelli Pij 30. Nouemb. 1529.*

[2] *Marcus Guazzius in Hiſt. Recent. pag. 176.*

[3] *Natalis de Comitibus lib. 1.*

tutis,

tutis, & exempli Vincentius Caſtellinus, Hieronymus, & Alexander de Paulutijs generoſi conciues extiterunt [1]. At cum in pertinaci, & diuturno bello Georgius emineret, & intèr fortiores poneretur, Tribunus militum renunciatus fuit.

CÆSAR THEODOLVS claritate ſanguinis authenticis tabulis, & documentis comprobatà, coràm Hieronymo Auogadrio Venetiarum Receptore, intèr Equites Meliteniſes deſcriptus eſt anno 1569. (2). Cum autèm inuictum animum, & robuſtam manum ſæpè in Infideles gloriosè exercuiſſet, poſt decennium naualis militiæ occumbens, victoriarum curriculum Meſſanæ perfecit.

IACOBVS ALBICINVS Senator, & miles non minùs togà, quàm armis valuit, tanquàm ad ea natus, vtriuſque ſanguinis hęreditario quodam iure. A Thoma enìm Patre præſtantiſſimo Viro maturum conſilium, ac ſpectatam prudentiam, ab Auo materno Babone Naldo celebri Venetorum Tribuno fortitudinem accepiſſe viſus eſt. Feruidiores annos in varijs expeditionibus, & bellis egit; quibus tandèm ſedatis, ad obſequia Rom. Eccleſiæ Stationarius Ductor venit. Sub Paulo V. ob egregiè nauatam in Ferrarienſi Præſidio operam an. 1606. Maior turmarum Inſtructor creatus eſt, deindè Chiliarcha, & tandèm honeſtioribus ſtipendijs auctus, præſertìm an. 1613. At præpropera nimìs mors eum à viuis eripuit anno ætatis 43.,

(1) *Ex Mem. M. S. Hieronymi Aſpini ſub an. 1557.*

[2] *Ex rogit. Victoris de Maphęis Cancellarij Prioratus Venetiar. 30. Martij an. 1569.*

magno

magno Patriæ, & Conſanguineorum maiora ſperantium deſiderio (1).

THOMAS SERVGHVS cum ſibi propoſuiſſet exempla maiorum ad imitandum, bellicam vitam profeſſus eſt. Pedites, & Cathaphractos ſub Caſali S. Euaſij ductauit, Romanæ Eccleſiæ ſubſidia apùd Sibinicum expoſuit, eamque Arcem, vulnerato Præfecto, à terribili Turcarum aſſultu defendit. Fuit & Tribunus intèr Sabinos, Gubernator Armorum Auenionis in Gallia, & Bononiæ Lanceatorum Chiliarcha, vbi poſtquàm multas dies cum ſęuiſſimo morbo colluctatus eſſet, illi demùm cedens antè ſenium occubuit anno 1656.

HIERONYMVS AVGVSTINVS ſeueriorem belli diſciplinam in expeditionibus Ciſalpinæ Gallię accepit. Exorto intèr Vrbanum VIII., & Fęderatos Italiæ Principes diſſidio, ac inualeſcente hoſtium metu, Inſtructoris maioris gradu Rauennam, & Agrum tutatus eſt. Mòx Ductor Fauentinorum extitit, Alderani Cardinalis Cyboi Flaminiæ Legati auctoritate: Tandèm an. 1642. Populo Foroliuienſi pręfuit, dùm Odoardus Farneſius Germanico equitatu vim facere in Patriam minitabatur. Nequè hæc illi munera probè, fidèque geſta ſine mercede contigerunt; at cùm ad Præfecturam Ferrarienſium Armorum vocaretur, dies ſuos clauſit.

HORATIVS MANGELLVS milititiæ ſtudia proſecutus eſt, quæ illi beneuolentiam excelſæ Farneſiæ ſtirpis attulerunt. Ab illà nempè Chiliarcha

[1] *Eugenius Gamurrinus in Hiſtor. Genealog. Tom. 3. pag. 214., & 219. - Ex Memor. Genealogic. M. SS. Famil. Albicinæ.*

peditum

peditum declaratus fuit. Ipſum & Clemens VIII. intèr adoleſcentiæ fines conſtitutum, Equitem, Comitemque Lateranenſem renunciauerat an. 1599. cum nobilibus Adoleſcentulis Ioanne, & Ludouico de Framontibus, Angelo Saxio, Rodulpho, Fabritio, & Bonamente de Auguſtinis, Ioanne Baptiſta Bruno, Ioanne Corbicco, Franciſco Floreno, Galeotto, & Checco de Vrſijs, Liuio Zaulo, Ioanne Baptiſta Marcheſio, Ludouico Aſpino, Hieronymo Vrſellio, Peregrino Maſerio, Scipione Salimbenio, Bartholomęo, Thoma, & Iulio de Caſtellinis, Fabritio Gnocco, Iacobo Paulutio, & Guidone Merlino, qui Pontifici Maximo, Ferrarià in fidem acceptâ, Romam reuertenti, obuiàm torquibus exornati prodierunt, illumque obſequijs huiuſmodi, & cultu ſplendidiſſimo deuinxerunt (1).

PETRVS VALERIVS primam ætatem bellicę diſciplinæ intèr Belgas dedit, qua ſedulò inſtitutus, ducendis copijs, & tuendis Arcibus ſcientiſſimus euaſit. Pro Vrbano VIII. in Piceno meruit Armorum Præfecturam, mox Citernæ Cuſtodiam, illi à Thaddęo Barberino Pontificio Imperatore concreditam, quam ab impreſſionibus Tuſcorum egregiè, & fortitèr defendit. Ei deniquè exantlati laboris præmium, amplioribus ſtipendijs, & Sabinæ Tribunatu ſolutum eſt an. 1644. [2].

(1) *Ex Diplom. Apoſtol., Dat. Forol. 12. Cal. Quintilis an.* 1599.

(2) *Ex Diplom. Thaddęi Barberin., Dat. 29. Maij an.* 1640., 4. *Octobris* 1643., *&* 3. *Martij* 1644.

NICOLAVS MALDENTIVS fortis peditum , equitumque Ductor , primùm pro Vrbano VIII. Pont. Maximo , deindè pro Chriſtianiſſimo Francorum Rege . In varijs Munitionibus Belgij ſuperandis , potiſſimùm Doncherche an. 1647. meruit non ſolùm maiorum Ducum laudes , ſed ipſius Reginæ elogium pro impubere Rege Gallias moderantis , à qua regias ex auro effigies in præmium virtutis , & argumentum gloriæ reportauit . Fuit Nicolaus Ferrantis S. Nicandri , & Sinitij in Brutijs Dynaſtæ, ex Hippolyto fratre nepos , quæ Oppida iàm in Maldentiam Stirpem inuexerat ab an. 1589. Anna Scriuia Octauiani Coniux (1) .

IOANNES SERVGHVS nihil etſi arduum , ac vndiquè periculis conſitum declinauit , vt militari ſcientià potiretur . Sub ſignis Chriſtianiſſimi Regis Ludouici XIV. miles , Dux , & Primipilus , ſæpè vitam ipſam deſpiciens , in expugnationibus Arcium Belgicarum ſempèr intèr primos repertus eſt . Verùm ab Innocentio XII. in Præfecturà Centumcellenſi collocatus , poſtquàm ſeniles annos bellicis curis expertes traduxiſſet , circà initium ſeculi , ab hac vita migrauit. Romæ in S. Mariæ in Equirio requieſcit.

[1] *Ex rogit. Caroli Antonij Pandulphi , Not. Aquilani , 30. Septembris anno.* 1589.

F I N I S .

Reli-

REliquum eſt, vt quæ ſepè occurrunt Scribentibus æquiuocationes, veritatis gratià diluantur; quæ autèm intempeſtiuè fuerunt comperta, ſeù veriùs, ſeù clariùs Appendicis inſtàr afferantur.

In pag. 24. Lib. 1. addendum eſt B. PEREGRINVM LATIOSVM in alterà ex tribus Canonizationibus, ſolemni ritu celebratà die 27. Decembris an. 1726. à Benedicto XIII. Pont. Max., in Sanctorum Albo cum Socijs Cęleſtis Patriæ, Ioañe à Cruce, & Franciſco Solano, fuiſſe deſcriptum; ac Omnipotentem Deum, ad augendam in terris Serui ſui gloriam, ea ipſa die, qua Foroliuij prima exultantis Ciuitatis obſequia glorificato Ciui ſoluebantur, noua Signa demonſtraſſe, vt ſcribit *Comes Fabritius Monſignanus in Vita*, nouiſſimè typis Ioannis Felicis Dandi emiſſa *part. 2. cap. 15. pag.* 214.

In pag. 73. lib. 1. CHRISTOPHORVS NVMAIVS, per æquiuocationem Pini filius appellatus, (cùm eà Stirps in varios fraduces diuiſa plures eiuſdem tùnc nominis Viros numeraret) Franciſci ſcribendus eſt, vt liquet ex *Chronicà Albertinà ſub die* 5. *Decembris an.* 1517.

In pag. 92. lib. 1. addendum eſt FABRITIVM PAVLVTIVM 3. Idus Iunij an. 1726. magno Almæ Vrbis merore interijſſe. Poſt iuſta pijs ceremonijs Eccleſiæ à Benedicto XIII., cuius Vicarius erat, perſoluta, ſepultus eſt in familiari Sacello in D. Marcelli, à ſe magnificè excitato, & verſicolori marmorum ornatu ſuperinduto.

In pag. 95. lib. 1. addendum eſt IVLIVM PIAZZAM 9. Cal. Maij an. 1726. Fauentiæ in

Epiſcopio, deceptis maiora ſperantium votis, diem ſuum obijſſe.

In pag. 103. Lib. I. & ſequen. caſtiganda ſunt ea, quæ de LVDOVICO PIRANNO ab Itinerario Ambroſij Camaldulenſis excerpta memorantur; nàm apùd *Vuadingum in Annalibus Minorum*, *Tom.* 5. *pag.* 232. ex Regeſto Pontificio comperij, non illi, ſed eſſe Ioanni Anteceſſori Epiſcopo Signenſi tribuenda. Hanc intèr Liburnos Eccleſiam Ludouicus dumtaxàt adijt an. 1436., Ioanne ad Anconitam Cathedram translato, vt liquet ex Diplomate Eugenij IV., Dat. 4. Idus Auguſti, an. ſui Pontificatus VI., quam decem menſes, nèc vltrà tenuit, ad Patriæ Epiſcopatum accerſitus. Ita Piranno relinquenda eſt gloria, ſtrenuè in Ferrarienſi, & Florentino Concilio ſe geſſiſſe, cętera autèm veritati reſtituenda.

In pag. 136. Lib. I. addendum eſt, CAMILLVM MERLINVM, in Paulutiam Stirpem ex nouiſſima Voluntate Auunculi ſui Fabritij Cardinalis adoptatum, à Benedicto XIII. vtriuſque merita intuente, Apoſtolicum Nuncium extrà Ordinem, apùd Auguſtum Sarmatiæ Regem, fuiſſe declaratum, fauſto quidèm apùd omnes præſagio, maiora expectantes.

In pag. 149. Lib. I. addendum eſt PEREGRINVM MASERIVM prætèr allata Opera ediddiſſe *Diſcurſum* elaboratiſſimum *de Honorarijs Iudicum, & Cauſidicorum &c. Rauennæ ex typographia Camerali an.* 1682. Itèm *Diſcurſum alterum*, *Foroliuij typis Caroli Antonij Zampæ an.* 1684. *Famigeratam* prætereà *Rauennaten. Iuriſdictionis, qua ſuſtinentur Iura Legationis Æmiliæ in cognoſcendis cau-*

ſis in

ſir in prima inſtantia contrà Eccleſiaſticos coràm Eminentiſſ. Legato, Foroliuij typis Zampæ an. 1683. Auguſtin. Fontana in Bibliot. Legal. part. 1. Col. 634.

In pag. 209. Lib. II. addendum eſt nuptias SCIPIONIS AREOSTI, ET CASSANDRÆ BLONDÆ inſigni pompà fuiſſe celebratas, & coràm magnanimo Ferrariæ Marchione diſertam Orationem habuiſſe Hieronymum Guarinum, virum eloquentià præſtantem, qua & miram Blondi Flauij doctrinam, & raras Scipionis dotes, ac Areoſtæ Familiæ claritatem dignis elogijs honeſtauit. *Ex Orat. M. S. apùd Franciſcum de Righis Ceſenat.*

In pag. 247. Lib. II. caſtigandus eſt locus, vbi LANDINVS, ET VELVTELLVS indiſcriminatìm Florentini referuntur: etenim VELVTELLVS, vt ipſemet aſſerit *in Commentario Dantis cant. 24. Purgator. & cant. 16. Paradiſi*, Lucenſis reuerà eſt.

In Cap. VII. Lib. II. addendus eſt IOANNES GIARDINVS præſtantiſſimus Delineator, & Pontificius Fuſor, cui ob affinitatem Artis, Graphicen imitantis, intèr Pictores locum dabo. Hic ſimulacris, & rebus ad naturæ harmoniam expreſſis, & celebris, & diues factus eſt Romæ, vbi iuuenilibus annis domicilium fixerat. Ex Operibus tùm integræ, tùm dimidiatæ eminentiæ confectis, Baptiſterium Vaticanæ Baſilicæ, Cenotaphium ibidèm Chriſtinæ Suecorum Reginæ, ac Ornamentum S. Mariæ ab Igne Foroliuij magìs prædicantur. Emiſit præthereà in lucem Variorum Ideas, pertinentium præſertìm ad ſacros vſus; quæ plurima felici ingenio excogitata, ac delineata duobus Voluminibus complexus eſt, Romæ incidente Maximiliano Ioſeph Limpac. anno 1716.

In Cap.

In Cap. VIII. Lib. II. addendus eſt GASPAR MAZZONIVS cognitione legum, & Poeſeos excellens, ſicut in prima facultate variæ teſtantur *Deciſiones Lucanæ*, *Reſponſa & Vota* impreſſa in *allegationibus Hieronymi Palmæ Nepotis*: in altera verò *Garuffus in Italia Academ. pag.* 133.

Itèm addendus eſt BERNARDINVS AVGVSTINVS vtriuſque Iuris ſcientia Conſultiſſimus, quemadmodùm multis Iuſtitiæ Præfecturis comprobauit. Scripſit, & edidit *Tractatum de Præſcriptionibus*, *Lucæ an.* 1668. in fol.: *Fontana in Bibliot. Legal. part.* 1. *Col.* 6.

Itèm non omittendus eſt VINCENTIVS PEDRELLIVS ex Congregatione Oratorij, Vir omnigenis ſcientijs, & præſertìm ſacris eminentèr eruditus, qui intèr mira Chriſtianæ perfectionis exempla & vixit, & deceſſit 19. Cal. Februarij anno 1727. *Ex Orat. funeb.* habita ab Andrea Rogolono in D. Philippi, quo die Parentalia Sacerdotes Diſcipuli gratiſſimè peregerunt.

In Cap. II. Lib. III. addendus eſt HECTOR CHALLONESIVS magnus equitum Venetorum Ductor an. 1111., natalibus Venetus, ſed origine Foroliuienſis, in quo nobilis hæc Propago defecit, ſuperioribus iàm æuis intèr Patritias Venetiarum deſcripta. Erat eius Gentilitium Inſigne quadrifariàm diſcriminatum, Clypeo alternatìm viridi, & flauo, quod Zona rubri coloris recta interſecabat, vt liquet ex Veneto Annalium Codice apùd me extante, in quo nobilium illius Reipublicæ Stirpium initia, & ſuis expreſſa coloribus affabrè Stemmata depromuntur. *Anonym. in Chron. Antiq., ad lit. C.*

In Cap.

In Cap. vltimo Lib. III. addendus eſt PARCITANVS DE PARCITANIS Eques primarius, & ſtrenuus, qui exul Arimino Forolipium ſe recepit, vbi Catharinam Ludouico de Forzatè Patauino optimati, ex Mario, & Giliola Gonzagha, ſorore Ludouici Mantuæ Marchionis orto, nuptam, procreauit. *Ex Chron. Patauin. M.S. Ioannis qu: Guillelmi de Vngarellis ad annum 1340.*

Ex pluri-

EX plurimis , quæ in dies amittuntur, Antiquitatis monumentis , nonnulla in lucem aliquandò emergunt. Id ſanè contigit , dùm Vitæ Virorum Illuſtrium excuderentur ; Siquidèm egregij Viri Camilli Caſtellini è Societate Ieſu induſtriâ , ac ſedulitate, in Alma Vrbe repertæ ſunt Tabulæ Concordiæ , ac Pacis intèr Vrbanum VI. Pont. Max. , & Commune , ac Populum Foroliuienſem initæ , quas vt ſolent Ciues optimi , charitate permotus ergà Patriam , à ſolitis humanarum rerum infortunijs ſubduxit , & nobis cuſtodiendas intèr reliquias vetuſtatis dedit. In ampliſſimæ Membranæ ſinu gratioſæ reconciliationis tenor , qua S. Sedes cum rebelli Ciuitate paciſci non renuit , fuſìm exaratur . Ab illà ſatìs liquet potentia Populi, varijs Vrbibus , Terris , & Caſtris latè per planiciem, & montes imperantis; eiuſdem & ferox animus ,qui Pontificias vires, & auctoritatem contemnere , nèc ſolùm Rectores , & Legatos deturbare , ſed aperto bello tueri ſuam libertatem auſus. Creuit prætereà licentia militaris , vt ſeditioſi mos erat ſęculi , nihil fore inhoneſtum putans, quod ſuis rebus profuturum (nequè hoc impietati, ſed indulgenti fortunæ, & malæ temporum conditioni tribuendum) iudicaret. Cenſuras propterea , & ſpirituales diras non exhorruit , Sacerdotia quæcumque , etiam Antiſtitum Clericis ſuis attribuit , ac fędera in Romanam Eccleſiam , præſertìm cum Mediolani Principibus , ac Florentinà Republicà percuſſit . In orà demùm membranæ legitur Procuræ documentum , vbì de varijs Patritij Ordinis Familijs memoria occurrit ,

quæ

quæ adhùc in claris nepotibus vigent, ac perennant. Verùm cum Scriba nimis prolixo, & redundanti ſtylo pactiones inuicèm ſancitas, & Ciuibus ad obſequium redeuntibus, ex pontificià liberalitate nequaqàm denegatas, expoſuerit; nè Lectorum oculos longa narratione fatigemus, earum capita arctiùs, ſed fidè, & iiſdem omninò verbis referentur. Tabulis initium eſt

IN nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis &c. & ad Omnipotentis Dei gloriam &c. & ad reuerentiam, & honorem Sanctiſſimi in Christo Patris, & D. N. D. Vrbani Diu. prouid. Papæ VI. Nouerint Vniuerſi hoc Inſtrumentum publicum inſpecturi quod anno à Natiuitate D. N. Ieſu Christi milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo nono, Indict. ſecunda, die vigeſima Menſis Februarij Pontificatus prædicti D. N. D. Vrbani anno primo, coràm eiuſdem D. N. Papæ Sanctitate Romæ apùd S. Mariam in Tranſtiberim, in Palatio in quo idem D. N. Papa reſidebat, & reſidet de preſenti, præſentibus ibidèm, & aſſiſtentibus Reuerendiſſ. in Christo PP. & DD. DD. Fr. Thoma tit. SS. Nerij, & Archilleij, Ioanne tit. S. Sabinæ, Neapoleo tit. S. Clementis, & Pamphulpho tit. S. Potentianæ, S. R. E. Presbiteris Cardinalibus, Galioto tit. S. Agatæ, & Ludouico tit. S. Mariæ nouæ S. R. E. Diac. Cardinalibus. In preſentia mei Notarij, & Teſtium infraſcriptorum, ad hæc ſpecialitèr vocatorum, et rogatorum humiles, & deuoti d. D. N. Papæ & S. R. E. filij, videlicèt Reuerendus in Christo Pater D. Ioannes de Nomaijs de Forliuio, Dei, & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopus Saſſen, & Nobilis

bilis Vir Ioannes de Ordelaffis de Forliuio, Procuratores Nobilis militis D. Synibaldi de Ordelaffis de Forliuio, nèc non Ambaſciatores, Syndici, & Procuratores Hominum, Vniuerſitatis, Communis, & Populi dictæ Ciuitatis Forliuij ſpecialia, & ſufficientia mandata habentes &c. humilitèr, & deuotè ſupplicarunt Sanctiſſimo in Christo Patri, & D. N. D. Vrbano diuina prouidentia Papæ VI., quatenùs idem Sanctiſſimus D. N. tàm nomine ſuo, quàm etiam Succeſſorū ſuorum, & vice, & nomine Romanæ Eccleſiæ dignetur admittere, & recipere eoſdem ſupplicantes ad tractandum, ordinandum, & confirmandum Pacem, et Concordiam intèr ipſum D. N. Papam, & Sanctam Romanam Eccleſiam, ex parte vna, & dictos D. Synibaldum, Commune, Populum, Homines, & Vniuerſitates dictę Ciuitatis Forliuij, & aliorum Caſtrorum, Terrarum, & Locorum infraſcriptorum &c. ex altera parte, de, & ſuper omnibus, & ſingulis diſcordijs, & diſſenſionibus, controuerſijs, guerris, iniurijs, damnis &c., & etiàm quibuſcumque rebellionibus &c. & tractatibus commiſſis, maximè contrà fel. record. D. Papam Gregorium XI., & quoſcumque alios Romanos Pontifices &c. per prædictos D. Synibaldum, Commune, & Populum, & Vniuerſitatem Ciuitatis Forliuij &c. etiàm de, & ſuper omnibus criminibus, delictis, & quaſi delictis &c. vſque in pręſentem diem pręſentis futuræ Pacis commiſſis, & perpetratis &c. directè vel indirectè. Qua ſupplicatione audita, & intellecta Sanctiſſimus D. N. Papa de conſilio præfatorum DD. Cardinalium eoſdem Syndicos, & Procuratores nominibus, modo, & forma, quibus ſupra, more pij, & benigni

patris,

patris, dulcitèr, clementèr, & benignè eoſdem &c. admiſit, & recepit ad tractatum, & ordinationem prædictam, & eandem prefatus D. N. Papa pro ſe, & S. R. E., & Succeſſoribus ſuis ex parte vna, & prædicti Syndici, & Procuratores, & Ambaſciatores &c. ex altera, de, et ſuper omnibus, & ſingulis ſupradictis, & infraſcriptis conuenerunt. Inprimis namque poſt prædicta prædicti Sindici, & Procuratores nominibus ſupradictis genu flexo exiſtentes coràm præfato D. N. confeſſi fuerunt, & recognouerunt dictis nominibus dictum D. Synibaldum, Communia, Populos, & Ancianos, ceterosque Officiales dict. Ciuitatum, Caſtrorum, Terrarum, & Locorum ſupradict. & infraſcript. &c. grauitèr deliquiſſe contrà præfatam Rom. Eccleſiam, & contra fe. rec. D. Gregorium Papam XI. & contrà præfatum Dominum noſtrum, eorum veros, & naturales Dominos, & contrà Legatos &c., & contrà Prouincias, Terras, Ciuitates, Caſtra, & Territoria Rom. Eccleſiæ ſubiectas, & ſubiecta, & eos, & ea multiplicitèr offendiſſe &c., & ſe ab eiuſdem Rom. Eccleſiæ obedientia indebitè ſubtraxiſſe, & nonnullas Terras, Caſtra, & alia loca ipſius Eccleſiæ violentèr occupaſſe, ligas, & confederationes cum rebellibus, hoſtibus, & inimicis Eccleſiæ ſupradictæ inijſſe &c., nèc non Eccleſiaſticam libertatem violaſſe &c., ſententias, & proceſſus præfat. DD. Gregorij Papæ XI., & Vrbani VI., & Officialium ſuorum, & dictę Eccleſiæ temerè contempſiſſe &c. De quibus omnibus, & ſingulis præfati Procuratores, & Syndici nominibus, quibus ſupra flexis genibus veniam &c. petierunt. Et præfatus Sanctiſſimus D. N. Papa Vrbanus VI.

nus VI. more pij Patris volens miſericorditèr agere cum eiſdem, ipſos reſtituit, & admiſit ad gratiam ſuam, & indulſit & remiſit eiſdem omnes iniurias, offenſas, intereſſe, damna, exceſſus &c. Itèm prefati Syndici, & Procuratores dd. Nominibus genuflexi exiſtentes coram d. D. N. Papa confeſſi fuerunt, & publicè recognouerunt dictam Ciuitatem Forliuij, eiuſque Comitatum, Territorium, & Diſtrictum, & Locum Forumpompilij, & alia Loca, & Caſtra infraſcripta &c. cum omni pleno dominio, vtili, & directo &c. ad predictum D. N. Papam, & Prędeceſſores ſuos Romanos Pontifices & Rom. Eccleſiam plenè pertinuiſſe, & pertinere &c. Item dicti Ambaſciatores, Syndici, & Procuratores nominibus ſupradictis, in manibus dicti D. N. Papæ ſtipulantis, & recipientis vt ſuprà &c. ad Sancta Dei Euangelia corporalitèr tactis Scripturis in animas dictorum Conſtituentium &c. iurarunt, & ſolemnitèr promiſerunt, quod ab hac hora in anteà dictus D. Synibaldus, & Ioannes, ac Communitates, Vniuerſitates, & Officiales, & ſingulares Perſonæ Ciuitatum &c. erunt perpetuò fideles, reuerentes, obedientes, ſubiecti, & deuoti tàm in temporalibus, quàm in ſpiritualibus B. Petro Apoſtolorum Principi, & S. R. E. ac Sanctiſſimo in Chriſto Patri, & D. N. D. Vrbano diuina prouidentia Papæ Sexto, eiuſque Succeſſoribus canonicè intrantibus &c. & quod nunquàm erunt verbo, facto, conſilio, vel conſenſu, directè, vel indirectè, per ſe vel alium, ſeu alios, publicè, vel occultè, ſeù quouis modo contrà Romanam Eccleſiam &c. ſed ſemper erunt adiutores ad conſeruandum, retinendum, defendendum, & recu-

perandum

perandum Ciuitates, Caſtra, & Villas, Rocchas, Baſtiſas, Terras, Fortalitia, & omnia alia iura S. R. E. &c. Item promiſerunt præfati Syndici, & Procuratores dictis nominibus dicto D. N. Papę ſtipulanti, & recipienti nominibus quibus ſupra, quod præfati Nobiles Synibaldus, & Ioannes, & ſingularum Perſonæ Ciuitatum, Vniuerſitatum, Terrarum, & Locorum ſuprà, & infra ſcriptorum per ſe vel eorum Sindicos ad hoc ab eiſdem habentes ſufficiens, & ſpeciale mandatum ratificabunt, ac de nouo in manibus Commiſſarij ſuper hoc deputandi infrà duos menſes proximè futuros à die preſentis contractus pacis firmandæ computandos in animas ipſorum conſtituentium præſtabunt ſimile iuramentum, & omnia, & ſingula, vt infrà ratificabunt &c. Item promiſerunt præfati Procuratores, & Syndici ſupradictis nominibus præfato D. Vrbano Papæ VI. ſtipulanti, & recipienti vt ſuprà, quod præfatus D. Synibaldus, & Ioannes, ac Populus, ac Commune dictæ Ciuitatis Forliuij, Foropompilij, & Saſſen, & aliorum Caſtrorum, Terrarum, ac Locorum per ipſos, vel quemlibet ipſorum, vel alium ſuper præmiſſis poteſtatem habentes ab ipſis Communitatibus, & Vniuerſitatibus contrà officium Inquiſitionis hæreticæ prauitatis, ſeù contra Eccleſiaſticam libertatem tollent, & caſſabunt infra duos menſes &c. Item præfati Syndici, & Procuratores dd. Nominibus promiſerunt præfato D. N. Vrbano VI. ſtipulanti, & recipienti vt ſupra, & pro omnibus quorum intereſt, quod bona immobilia Eccleſiarum, & aliorum piorum locorum, ac Monaſteriorum, & Eccleſiaſticarũ perſonarum vndecumque ablata, & occupata

cupata per eos , quorum nominibus intendunt , reſtituent illis, quibus ablata fuerunt &c. Item prȩfati Syndici, et Procuratores promiſerunt dd. nominibus d. D. N. Papæ ſtipulanti, & recipienti vt ſuprà, quod omnes, & ſingulos Exititios occaſione Rom. Eccleſiæ, ac Exbannitos, & expulſos de Forliuio, & Terra Foropompilij, & de alijs Terris, & locis &c. per prædictum D. Synibaldum teneantur reintroducere, & permittere liberè intrare in Ciuitatibus, Terris, Locis, Comitatibus, & Diſtrictibus, nèc non eos rebannire, & reſtituere, & reintegrare ad beneficia, officia, & honores &c., & ad omnia eorum bona mobilia, & immobilia &c. Item præfati Ambaſciatores &c. deuotè ſupplicarunt eidem SS. D. N. Vrbano VI., quatenùs dignetur auctoritate Apoſtolica de ſpeciali gratia, omnes proceſſus, banna, & ſententias excom̃unicationis, ſuſpenſionis, et interdicti, et depoſitionis, iurium, vel honorum priuationis &c. vſquè in præſentem diem formatas, datas, et latas tàm à iure, quàm ab homine, Eccleſiaſtico, vel ſeculari &c. contrà olim bon. mem. Dominum Franciſcum de Ordelaffis eiuſdem D. Synibaldi Patrem, ſeù eius Anteceſſores, vel eorum bona, iuriſdictionem, et iura, aùt contrà ipſum D. Synibaldum, vel eius Fratres, et Nepotes, Ciues, incolas, et terrigenas Ciuitatis Forliuij, et Terrarum Foropompilij, et Saſſen &c. tollere, abolere, caſſare, et annullare &c. et præfatus Sanctiſſimus D. noſter prædicta conceſſit, ac reſtituit, reintegrauit ac fecit in omnibus, et per omnia ſicut ſuprà petitum &c. Item ſupplicarunt vt ſuprà quod D. Synibaldus, Ioannes, et Nepotes, aùt Commune, ſeù

Commu-

Communia ſupradicta &c. non debeant, vel poſſint aliquo modo moleſtari, aùt cogi ad ſoluendum, et tradendum, ſeù reſtituendum aliqua bona mobilia &c. quæ tempore rebellionis factæ per Commune Forliuij in ſupradicta Ciuitate Forliuij &c. remanſiſſent, etiamſi illa bona ad Eccleſiam Romanam &c. ſpectaſſent, aùt etiam ad ſoluendum, reddendum, ſeù reſtituendum, aliquos fructus, redditus &c. homagia, regalia, datia, vel gabellas &c. ex nunc abſoluti ſint, et eſſe intelligantur, et liberi, et immunes] &c., et præfatus Sanctiſſimus Dominus noſter conceſſit prædicta ſaluo iure tertij agentis &c. Item ſupplicarunt vt ſuprà quod eidem D. Synibaldo concedatur Vicariatus Forliuij, eiuſque Comitatus, et Diſtrictus &c. ſimilitèr Foropompilij, Saſſen, Aureoli, et omnium aliarum Terrarum, quas de preſenti detinet d. D. Synibaldus, vel eius Nepotes pro ipſius perſona, et pro tempore duodecim annorum, et ipſo cedente, vel decedente pro altero ex Nepotibus, ex ijs qui de preſenti exiſtunt cum eo, videlicèt Ceccho, Pino, Ioanne, et Theobaldo, vſque ad complementum dd. duodecim annorum, cum omnimoda iuriſdictione largè ſumpta, et cum mero, et mixto imperio, et gladij poteſtate, ſic etiàm cum poteſtate omnes obuentus, fructus, redditus, et prouentus dd. Locorum, regalia, datia, gabellas &c. ad manus ſuas capiendi, et reducendi, et de ipſis prout maluerint diſponendi &c., et præfatus Sanctiſſimus D. Noſter conceſſit Vicariatum prędictum in forma prędicta, vſque ad terminum duodecim annorum inchoandorum à die Datæ pręſentis contractus, ipſis Nobilibus Synibaldo, & Nepo-

& Nepotibus perſiſtentibus, & continuantibus in obedientia, & fidelitate d. D. Noſtri, et S. Rom. Eccleſiæ &c. Hoc etiàm acto quod prædicti ſoluant, & ſoluere teneantur anno quolibet pro Cenſu, & Canone, proùt in ſequenti articulo continetur. Item præfati Ambaſciatores, Syndici, & Procuratores dd. Nominibus ſolemnitèr promiſerunt d. Dño N. Papæ ſtipulanti vt ſuprà annuatìm, & anno quolibet dicti Regiminis ſuprà conceſſi eidem D. Synibaldo Militi in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli &c. dare, et realiter ſoluere &c. pro Cenſu, et Canone dd. Ciuitatum, Comitatuum, et Diſtrictuum &c. videlicèt in primis quatuor annis d. regiminis mille florenos auri pro quolibet anno, et in reliquis octo annis duo millia Florenorum auri pro quolibet anno, boni auri, et puri ad pondus Cameræ Apoſtolicæ ſoluend. eidem D. N. Papæ &c. Item ſupplicarunt præfati Procuratores & Syndici, quod idèm D. Noſter concedet, & licitum eſſet eidem D. Synibaldo, & Nepotibus ſuis, quod poſſint, & licitum ſit eiſdem &c. de preſenti facere, et fieri facere Arces ſeù Rocchas, Fortilitia, et Caſtra quæcumque &c., & D. Noſter conceſſit quod in loco vbi alias fuit Ciuitas Foropompilij poſſit fieri Fortilitium ſine muro, ità tamèn quod poſſit cuſtodiri, et defendi &c. Item ſupplicarunt quod omnes Clerici, et Perſonæ Eccleſiaſticæ ſupraſcriptæ, et etiam Gubernatores Hoſpitalium etiamſi dicti Clerici in Pontificali, vel alia quacumque perfulgeant dignitate degentes in Forliuio, Foropompilio, & eorum Dioceſi, ſeù Dioceſibus, Brettinorienſe, et Saſſen, & omnibus alijs Terris ſubſcriptis per ipſos de preſenti retentis,

ſentis, & eorum Territorijs vbicumque ſint poſita dicta Beneficia &c. Prælaturæ, Dignitates, etiamſi fuerint Pontificales &c. et illa liberè, pacificè, et quietè teneant, et poſſideant ſicut antè, etiamſi illa alteri forent per quemcumque collata &c. Et dictus D. noſter conceſſit predictam reſtitutionem fieri in plena, generali, et meliori forma, quá fieri poſſit, ſine preiudicio tertij. Item ſupplicarunt quod idem D. N. Papa concedat eiſdem dd. nominibus, vt nullus contractus, vel diſtractus, teſtamenta &c. poſſint impugnari prætextu alicuius Rebellionis &c. Et Dominus N. conceſſit. Item ſupplicarunt eiſdem concedi per præfatum D. Papam, quod nullus ſubditus, Ciuis, vel Terrigena Forliuien, vel alterius ex Locis ſupradictis, & eidem D. Synibaldo et Nepotibus conceſſis &c. poſſint in primis cauſis, vel appellatione in temporalibus tàm Ciuilibus, quàm Criminalibus, præterquàm in crimine lęſæ maieſtatis, et hęreſis &c. extrà Vicariatum ad alias Curias trahi, quàm Terrarum ſupraſcriptarum &c. Et dictus D. Noſter conceſſit prædicta in premiſſis cauſis, in quibus vigore præſentis contractus competit, ſeu competet iuriſdictio illis quibus præfatus Vicariatus conceditur &c. Item ſupplicarunt eidem D. Noſtro per eum concedi, et mandari quod Officiales Eccleſiæ qui pro tempore præerunt in Prouincia Romandiolæ teneantur, et debeant Statuta quæcumque facta, vel fienda in locis prędictis, vel altero ipſorum approbare, et firmare, dùm tamèn illa non exiſtant contrà libertatem Eccleſiæ &c. Et præfatus D. N. conceſſit, dùm tamèn aliàs ſint rationabilia, et ritè facta. Item conuenerunt ad inuicem dictæ Partes,

quod durante tempore Ligæ initę, quod durat vſquè ad ſexdecim menſes proximè futuros intèr Dominum Bernabouem, et Florentinos, ipſe D. Synibaldus, et Nepotes non teneantur, nèc poſſint aliquo modo adſtringi ad faciendum aliquam guerram aùt ad inferendum aliquod dampnum, vel iniuriam dictis D. Bernaboui, et Florentinis, vel alicui eorum Colligato &c. Poſt verò lapſum dicti temporis facere intendit omnia qualiacumque ſicut ſubditus, et fideliſſimus Eccleſiæ Romanæ Vaſſallus. Item ſupplicarunt eidem D. Noſtro eis, & dictis nominibus concedi per præfatum D. N. Papam quod ſi quæ Repreſſaliæ fuiſſent conceſſæ à tempore Milleſimi CCCLXXVI. vſque in præſentem diem contrà dictum Populum, et Commune Ciuitatis Forliuij, vel contrà Communitates aliorum Locorum &c. ex nunc ſint nullius valoris, vel momenti &c. et præfatus D. N. Papa conceſſit pro tempore præterito. Quæ omnia, et ſingula præfatus D. N. Papa vice, et nomine quibus ſupra ex vna parte, & dicti Procuratores, et Syndici dd. nominibus Parte ex altera ſolemni ſtipulatione hinc indè interueniente conuenerunt, et promiſerunt inuiolabiliter, perpetuò, purè, et bona fide &c. attendere, et obſeruare &c. et in nullo contrafacere &c. ſub pęna viginti millium Florenorum boni auri, et iuſti ponderis, attendenti, & obſeruanti &c. applicanda, & effectualitèr perſoluenda per contrafacien., vel non obſeruantem, dictis Partibus preſentibus, et ipſas pęnas hinc inde ſtipulantibus, commitenda totiens, quotiens contrafactum fuerit &c. Vbì verò præfati Nobiles, Communitates, ſeù Populus Ciuitatis Forliuij rebellarent

larent eidem D. Noſtro, ſeù Rom. Eccleſiæ, & in rebellione perſiſterent dictus D. Noſter Papa ordinauit, declarauit, & voluit præfatos Nobiles, ac Ciuitatem, Populum, & Commune Forliuij, et alias Terras, et Loca prædicta, et ſingulas perſonas eorumdem ex tunc reincidiſſe ipſo facto in ſententias, et pęnas in dictis proceſſibus contentas &c. Pro quibus omnibus, et ſingulis firmitèr obſeruandis, et attendendis, obligarunt dictę Partes, quibus ſuprà nominibus bona mobilia, et immobilia preſentia, et futura illorum pro quibus agunt, & contrahunt vbiquè ſita, et poſita. Acta fuerunt hæc Romæ apùd Sanctam Mariam in Tranſtyberim in Palatio Apoſtolico in Camera paramentorum eiuſdem Palatij in præſentia præfati Sanctiſſimi in Chriſto Patris, et D. Noſtri D. Vrbani Papæ Sexti, et pręfatorum DD. Cardinalium ibidèm Aſſiſtentium, & Reuerendorum in Chriſto Patrum Dominorum Roberti de Stratton Prothonotarij, Nicolai de Cremona Auditoris Contradictarum Domini noſtri Papæ, Fratris Simonis Epiſcopi Cathanien, Thomæ electi Lucerini, Bartholomęi Franciſci Correctoris Literarum Apoſtolicarum, ac Magnificorum Virorum Petri Comite de Anguillaria, Raymundi de Vrſinis, ac Ven. & Diſcretorum Virorum Dominorum Anthonij de Torrecontibus, Anſelmi de Mediolano, Ioannis de Serra de Ianua legum Doctorum in Romana Curia Aduocatorum, Iacobi Textoris, Iacobi Dardani, Magiſtri Teſtę Creſtij Clericorum, & Not. Cameræ Domini noſtri Papæ, & Baldi Domini Vallirani de Forliuio Notarij, Teſtium ad hæc vocatorum ſpecialitèr, & rogatorum &c.

Ego Iacobus Textoris Clericus Cameræ Domini Papæ auctoritate Apoſtolica Notarius Subplicationi, Confeſſioni, Recognitioni Iuramentorum, Preſtationi fidelitatis &c. et omnibus alijs, et ſingulis ſupraſcriptis dùm agerentur intèr Dominum N. Papam, & præfatos Syndicos, et Procuratores preſens fui &c. et requiſitus fui per Partes de ipſis conficere vnum publicum Inſtrumentum &c.

Tenor dicti Sindicat. & Procuræ de quo ſuprà fit mentio &c. In nomine Domini Amen. Anno Natiuitatis eiuſdem 1378. Indict. prima die 25. menſis Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, et D. Noſtri Vrbani diuina prouidentia Papæ Sexti. Nouerint vniuerſi, et ſinguli hoc preſens publicum Inſtrumentum inſpecturi, quod in præſentia mei Notarij, & Teſtium infraſcriptorum conuocato, coadunato, & in ſufficienti numero congregato Conſilio Officialium, & Conſiliariorum Ciuitatis Forliuij, Comitatus, & Diſtrictus in Logia noua Palatij, vbi conſueuerunt congregari ad ſonum campanæ, vocemque Preconis vt moris eſt, & conſuetudinis, preſente ibidèm Nobile, & potente Viro Domino Synibaldo de Ordelaffis, & Diſcretis Viris Ser Beninchaſa de Pungettis, Ser Iacobo Ser Cechini Ser Antonio Ser Marcolini Ser Palmezano de Palmezanis, Martino Rocchi, Franciſco Portij, Ser Guidone Philippini, Caro de Nomaijs, Magiſtro Marcho fratris Amanati, Federico de Balduccijs, & Almerico Vgonis Garatoni Antianis Forliuij, & Sapientibus Viris Domino Iacobo de Moratinis, Magiſtro Iuliano de Nomaijs Domino Ioanne de Glandolino, Ser Petro de Raffanellis, Ser Nerio Ser Ghirardini de

Cultrarijs,

Cultrarijs, Ser Saſſino de Saſſis, Camillo de Maldentibus, & Ser Cichino de Marſis, Octo Conſilij ſecreti d. Ciuitatis, & Communis Forliuij; nèc non Conſilio, & hominibus Conſilij Ducentorum Ciuitatis prælibatæ, ipſe D. Synibaldus de conſenſu dd. Antianorum, & Conſiliariorum, nèc non dicti etiàm Conſiliarij, & homines Conſilij prædictæ Ciuitatis de conſenſu, & voluntate dicti Conſilij &c. habita primò ſic per eos ſuper infraſcripta diligenti, & ſolemni deliberatione, & demùm intèr dd. Dominum Synibaldum, & D. D. Antianos Conſiliarios dicti Conſilij facto, et miſſo diligenti, & ſolemni examine facto pro generali commodo, & quiete dictæ Ciuitatis, non reuocando dicti Communis Syndicos, & Procuratores, ſed potiùs confirmando &c. fecerunt, conſtituerunt, & ordinarunt &c. Prudentes, et circumſpectos Viros, et legitimos Ambaxiatores, Syndicos, et Procuratores &c. Reuerendum in Chriſto Patrem, et Dñum Dñum Ioannem de Nomaijs Dei gratia Epiſcopum Saſſen., et Nob. Virum Ioannem Ordelaffum de Forliuio abſentes tanquàm præſentes ad infraſcriptam Pacem tractandum, et faciendum Ambaxiatores dicti Communis, et quemlibet eorum in ſolidum, ità quod non ſit melior conditio occupantis, ſed quod vnus eorum incępit alter proſequi valeat, et eorum et dictæ Ciuitatis Forliuij, & Communis, et Populi, hominum, et Vniuerſitatis Ciuitatis prædictæ, eiuſque Comitatus, forciæ, Territorij, et Diſtrictus veros et legitimos Procuratores &c. ad preſentandum Sanctiſſimo in Chriſto Patri et Domino Vrbano Diuina prouidentia Papæ VI. cum omni reuerentia, & debita recomendatione

comendatione ſupplicationes, poſtulationes, & Capitula pro parte dicti Communis, & Populi pro pace, et concordia tractanda, ordinanda, & firmanda intèr præfatum D. Noſtrum Papam, & Sanctam Romanam Eccleſiam &c. ex parte vna, & dictum Commune, & Populum Ciuitatis Forliuij tàm pro eis, quàm etiam pro Terris, Vniuerſitatibus, Comitatibus, & Diſtrictibus per ipſos Ambaxiatores, & Syndicos declarandis &c. ex altera parte &c. *Reliqua omittuntur, cum in Superiori Inſtrumento referantur.* Datum Forliuij in Logia prædicta præſentibus Teſtibus Ioanne Andriutij, Ioanne, & Iacobo Math. Bartholi, Ser Fratre de Guittifredis, Paulino Peppi, Ser Iohañe de Monteſijs, Tomaſio Magiſtri Pauli de Salagis, Camillo Martini Rocchi, Ser Iacobo Ser Cichini, & pluribus alijs Teſtibus ad prædicta habitis, & rogatis &c.

Ego Iacobus Textoris Clericus Cameræ Dñi Papæ authoritate Apoſtolica Not. &c. vnà cum Teſtibus, & Notarijs &c. rogatus fui &c. in Prothocollo meo poſui, & in hanc publicam formam redegi &c.

Ego Baldus filius olim Domini Valeriani de Baldonibus de Forliuio Imperiali auctoritate Notarius, & Iudex Ordinarius &c.

PROTESTATIO

PROTESTATIO AVCTORIS

QVæ per glor: record: Vrbanum VIII. Pont. Maximum circà Elogia, ſeù Vitas Hominum Sanctimoniæ famà defunctorum ſancita ſunt, confirmata, & declarata ſub annis 1625., 1631., & 1634., Auctor, ea qua par eſt obedientià ſe ad vnguem ſeruare, & omnia in his Vitis Virorum Illuſtrium expreſſa, non ſecus quàm hiſtorica fide memoraſſe, in Operis calce iterùm proteſtatur.

❉❉
❉

INDEX

A

AB Auria. Franciſcus pag. 73. Franciſcus 270.
Accariſij. Bartholomęus 417.
Albertini. Archangelus 299. Ludouicus 445.
Albergati. Nicolaus 107.
Albicei. Nicolaus 209.
Albicini. Ioannes Baptiſta 53. & 54. Luciana 88. Daria 140. Andreas. Ioannes Baptiſta 144. Bernardinus. Franciſcus. Bernardinus. M. Antonius 285. Hieronymus 287. Hieronymus 296. Iacobus 447.
Albornotij. Ægidius 332.
Aleotti. Petrus Ioannes 128. Simon 129. 432. Simon Paulus 133. Ioannes 271. Simon 275. Matthęus 431. Bernardinus I. Ioannes Franciſcus. Bernardinus II. Artuſina 432.
Alicorni. Lauinia 49.
Alidoſij. Lippa 367. 425. Franciſcus 394. Lucretia 424.
Allegretti. Iacobus 237.
Allegrij. Dominicus 307.
Agreſti. Liuius 257.
Amanni. B. Marcolinus 24. & ſeqq.
Ambroſij. M. Melocius 249., & ſeqq. Antonius 252.
Amelij. Ioannes 140.
Andrelini. P. Fauſtus 230., & ſeqq. Anſaldus 230. 439. Nicolaus 235. Fauſtus 236.
Angelus à Foroliuio 50.
Anſaldi. Anſaldus 133.

Angelerij. *Olim Marcobelli* 271. *Scipio* 405. *Gherardus* 443. *Nicolaus* 444.
Anguillariæ Comites. *Anuerſus*. *Caſſandra* 378. & 392. *Petrus* 467.
S. Antonius Patauinus 35. *Primam concionem habet Forolsuij* 36. *Eius miracula in Liuienſi Agro peracta*, *ibì*.
Aquaquieta flumen in Montonum deriuatur 412.
Aſpini. *Flora* 19. *Spinuccius*. *Aſpinus*. *Guillelmus*. *Liberius* 263. *Octauianus* 285. *Chriſtophorus* 436. *Hieronymus* 446. *Ludouicus* 449.
Areoſti. *Scipio* 209. 453.
Arſendi. *Raynerius* 168. & *ſeqq*. *Arſendinus* 175. 181. *Fridericus* 175. 181. *Antonius* 269. *Petrus* 295.
Artuſini. *Hieronymus*. *Antonius*. *Cambius*. *Franciſcus* 287. *Artuſina* 432.
Arx Raualdina à quo inſtaurata, & *aucta* 374.
A Sellis. *Ioannes* 274.
A Turri. *Iacobus* 188. & *ſeqq*. *Caput* 291. *Chriſtophorus* 444.
Auenti. *Carolus* 132.
Aureoli. *Palmerius* 217.
Auguſtini. 271. *Tiberius* 52. *Stephanus* 84., & *ſeqq*. *Bonamentes* 84. *Fabritius* 133. *Bonamentes* 146. *Paulus* 152. *Nicolaus* 239. *Petrus Paulus* 284. *Hieronymus* 448. *Rodulphus*. *Fabritius Bonamentes* 449. *Bernardinus* 454.
Auguſtus Rex Poloniæ coronatur à Fabritio Paulutio 89.
Azzoguidi. *Minius* 280.

Babaccij

B

Babaccij. Petrus 306.
Balduccij. Antonius 130. Iacobus. Ludouicus 189. Federicus 468.
Baldi. Bartholomęus 280.
Baldracani. Petrus 207. Alexander 212. 300.
Baletti. Guillelmus 140.
Balleonij. Aſtor 433.
Baptiſta de Foroliuio 156.
Barberini. Franciſcus 179. Thaddæus 449.
Bardi. Franciſca 196.
Bartoli. Daniel. 214.
Bartolini. Nicolaus 152. Hector 322.
Baruffaldi. Hieronymus 212.
Baſſi. Hieronymus 395.
Baſilius à Foroliuio 51.
Bartholomęus à Foroliuio 165.
Beccij 271. Andreas 141. 151. Ioannes Antonius 275. Iulianus 307. Hermolaus 399. Burghina 401. Paulus 428. Iulianus 445.
Belmontij. Ricciardellus 117. Raynaldus. Guido. Goufredus. Draco 267. Ricciardellus 413.
Belli. Petrus Ioannes 152. Bellus 432. Barbara. Lucretia. Franciſca 433.
Bentinoli. Iſotta 390. Antonia 426.
Benuolientes. Vbertus 424.
Berengarij. Berengarius Rex Italiæ, & Imperator 308., & ſeqq. Controuerſia eius Patriæ 318. Tiberius 319. 411. Tullius. Lelius. Limiata. Berta 319.
Bernardi. Blaſius. 202. Andreas 296.
Berti. Ioannes Franciſcus 217.
Beuilaquæ. Guillelmus 106. 121. Bernardus 305.

Biaſetti. Bernardinus 293.
Bichij. Alexander 79.
Bicij. Ioannes Antonius 443.
Bleda, Flaminiæ Caſtrum propè Galeatam, nunc dirutum 66.
Blondi. Matthęus. Hieronymus 151. 209. *Iulianus* 152. 209. *Flauius* 204. & *ſeqq. Antonius* 204. *Bonifacius. Emma. Blaſino. Galeottus. Blondus* 205. *Antonius. Gaſpar. Franciſcus. Caſſandra* 209. 453. *Caſtora. Bartholomæus. Michael Angelus* 209. *Olìm Ranaldini à Caſtro, cui dominabantur* 204., & *ſeq.*
Boldonij. Octauianus 302.
Boldrini. Dominicus 305.
Bonamici. Nicolaus 445.
Bonatti. Guido 240. & *ſeqq. Iura eius Patriæ euidentèr probantur* 247. *Rambertinus. Ioannes. Martinus. Andreas. Bonacurſius* 248.
Boiardi. Matthæus 239.
Boneldæ. Catharina 176. *Superbuccius* 440.
Bondi. Andreas Felix 261.
Bonoli. Paulus 301.
Bonuttj. Andreas 281.
Bombacij. Pax 257.
Borbonij. Lucretia 118.
Bragadeni. M. Antonius 433.
Brandolini. Brolias 345. & *ſeqq. Guido* 345. *Brandolinus* 346. 363., & *ſeqq. Franciſca* 348. *Semidea. Hector.* 366. *Tibertus VIII.* 367., & *ſeqq. Sigiſmundus. Leonellus* 371. 442. *Iacoba* 371. *Guido* 382. *Tibertus VI.* 386. Brandolinus *IV. Guido V.* 386. *Sigiſmundus* 395. 426. *Sigi-*

ſmundus

ſmundus 412. *Ceccus* 366. 425. *Guido*. *Hector*. *Ioannes* 426. *Tibertus*. *Ioannes Franciſcus*. *Margharita* 430. *Tibertus* 438. *Vndè originem duxerint* 413.
Branchareſchi. *Conradus* 149.
Brancaleonij. *Venantia* 388.
Briſonetti. *Robertus* 233.
Bruni. *Ioannes Baptiſta* 449.
Bucci. *Hector* 298.
Budi. *Iulius* 305.
Burſelli. *Hieronymus* 165.

C

Caccianemici. *M. Antonius* 441.
Caffarelli. *Ioannes* 106.
Calbuli. *Franciſcus* 98. & *ſeqq*. *Ioannes* 98. *Honeſta* 264. *Nicolaus* 267. *Franciſcus* 268. *Fulcherius* 324. & *ſeqq*. *Ioannes*. *Paulucius* 325. 418. *Raynerius* 325. 417. *Raynaldus* 414. *Franciſcus* 439.
Canneti. *Petrus* 103.
Cantelmi. *Iacobus* 52.
Capitanei. *Ioannes* 150.
Capranicenſes. *Dominicus* 8. 271.
Caraffæ. *Laura* 154. *Phyrrus* 404.
Cardani. *Laurus*. *Liuius*. *Anchiſes* 262.
Carpanterij. *Honorius* 276.
Carpinei. *Gaſpar* 88. *Vldericus* 294. *Franciſcus* 406. *Æmilia* 407.
Carracioli. *Innicus* 52.
Caſalij. *Ioannes Aurelius* 159.
Caſontj. *Laurentius* 135.

Caſtellini.

Caſtellini. *Bartholus* 142. *Angelus Maria* 158. *Bartholomęus*. *Fabritius* 289. *Bartholomęus*. *Thomas*. *Iulius* 449. *Camillus* 456.
Caſtillionei. *Sabba* 355. 298.
Caſſirani. *Vrſula* 430.
Cęci. *Chriſtophorus* 298.
Cemorini. *Fabius* 278.
Cęſarini. *Iulianus* 108.
Challoneſij. *Hector* 454.
Chellini. *Antonius* 297. *Flaminia* 436.
Ciccolini. *Claudius* 287.
Cignani. *Carolus* 259. *Felix*. *Philippus* 260.
Clarici. *Petrus* 439.
Cobelli. *Leo* 295.
Coltrarij. *Sebaſtianus* 282. *Thomas*. *Nerius* 355. 468. *Gherardinus* 468.
Columnæ. *Petrus* 57. *Petrus* 150. *Bartholomæus* 188. *Laurentius*. *M. Antonius* 301. *Ioannes* 352. *Sciarra* 430.
Collegium Doctorum Foroliuij quandò inſtitutum 281.
Coloredi. *Leander* 90.
Comites Foroliuienſes. *Bernardinus* 438.
Comites Guidi. *Guido Guerra* 142. *Ioannes Franciſcus* 283. *Io: Franciſcus* 374. *Iunipera* 430.
Comites Montis Martis. *M. Antonius* 97.
Comites Romani. *Lucretia* 391. 431.
Conſilium Generale Foroliuij, quo ritu olim conuocaretur 468. *Quot eſſent Conſiliarij Ciuitatis* 469.
Conſilium Secretum antiquitùs etiàm erat Foroliuij 469. *Octo Viris dumtaxàt conſtabat, ibì*.
Conſtitutiones Ægidianæ primùm Foroliuij promulgatæ 337.
Corbicei 35. *Ioſeph* 36. *Corbiceus* 442. *Donatus*.

Ioannes.

Ioannes. Petrus Philippus 443. Ioannes 449. Vnde originem duxerint 443.
Cornei. Iulia 430.
Corſi. Stephanus 59. Andreas 356.
Corteſonni. Ioſeph 276.
Cortoneſij. Angelus 298.
Cyboi. Alderanus 448.

D

Dantes Poeta inſignis Foroliuium incolit 385.
Dauid à Foroliuio 123.
De Luca. Ioannes Baptiſta 85.
De Strata. Moſtarda 348., & ſeqq. Ludouicus 350. 423. Ioannes 350. 424.
De Iudice. Franciſcus 91.
Dentes. Antonius 284. 432. Petrus 294. Cornelia 435.
Dreſſini. Philippa 426.
Duces, vel Honeſti 101. 415.

E

Epiſcopatus Foroliuij olìm in temporalibus varia loca, & caſtra poſſidebat 7.

F

Fachinei. Matthæus 87. Andreas 183. 195. Philippus 185.
Faledri. Ordelaffus. Vitalis. Marinus 412. Vndè originem duxerint, ibì.
Farneſij. Alexander 192. Antonius 280. Petrus Nicolaus 339. Petrus Aloyſius 431.

Feretrani.

Feretrani. Guido 243. 246. 383. Chunradus. Hugo. Boncontes. Fridericus 384.
Ferretti. Nicolaus 298. Petrus. Iulius, ibì.
Floreni. Petruccius 28. Laurentius 150. Clara 400. Franciſcus 449.
Foliani. Franciſcus 268.
Fontana. Ioannes 23.
Foreſti. Petrus 200.
Foroliuium à quibus, & quandò ædificatum 1. A Sylla dirutum 2. Ab Auguſto reſtitutum, & auctum, ibì. A Friderico II. priuilegijs inſignitum 3. Eius memorabiles victoriæ 4., & 5. Situs 6. Populi numerus 7.
Forumpompilium quandò, & à quo inſtauratum 412.
Forzatè. Ludouicus. Marius 455.
Framontij. Barbara 211. Antonius 280. Ioannes. Ludouicus 449. Vndè originem traxerint 419.
Franciſcus à Foroliuio 280.
Franciſci. Alexander 42.
Fregoſij. Bartholomeus. Ludouicus 344.
Fulphij. Camilla 87.
Fundi. Chriſtophorus Ebucius 296.

G

Gabannini. Ioannes Antonius 305.
Gaddi. Guillelmus 131. Petrus 132. Melchior. 143. Balthaſſar 144. Franciſcus 154. Franciſcus 201. Guillelmus 283. Balthaſſar 293.
Gallepini. Ioſeph 259.
Gallus. Gn. Cornelius Poeta inſignis, & Proconſul Ægypti 219. & ſeqq. Liuienſem fuiſſe latè oſtenditur

oſtenditur 226.
Gambaræ. *Petrus Andreas* 117.
Gambaraldi. *Franciſcus* 354. & *ſeqq.*
Garaotti. *Petrus* 304.
Garatoni. *Almericus*. Hugo 468.
Gauaſſini. *Cęſar* 132.
Gherardus à Foroliuio 155.
Gherardini. *Sebaſtianus* 162.
Ghinij. *Alexander* 132.
Giardini. *Ioannes* 453.
Ginetti. *Ioannes* 89.
Giandemariæ. *Iacobus* 214.
Giuntini. *Hieronymus* 164.
Gnocchi. *Fabritius* 449.
Gondi. *Iulianus* 441.
Gonzaghæ. *Catharina* 388. *Giliola* 455.
SS. Gratus, & *Marcellus Leuitæ Foroliuienſes* 8. & *ſeqq.*
Griffonij. *Andalaus* 376.
Gualterij. *Carolus* 85. *Ludouicus* 134.
Guarini. *Petrus* 292. *Paulus* 296.
Guerrerij. Nicolaus 360.
Guicciardini. *Aloyſius* 305. *Franciſcus* 400.
Guido *Foroliuienſis* 441.
Gurioli. *Andreas*. *Burſus*. Guriolus 321.

H

Haſtei. Nicolaus 28. 111. & *ſeqq.* 206. 441. *Ceccus* 111. 114. *Fabritius* 52. *Iulia* 68. *Thomas* 125. 281. *Baptiſta* 156. *Saluator* 159. *Clelia* 178. *Valerianus* 196. *Ioannes*. Gherardus 270. *Petrus Paulus* 270. *Iulianus* 395. *Coſmus* 433.

Maſius 440. *Ioannes* 441.
Hectorei. *Nicolaus*. *Iulius*. *Hector*. *Ioannes* 445.
Herculani. *Cęſar* 77. 401. & *ſeqq*. *Antonius* 126. *Petrus* 281. *Sigiſmundus* 322. *Ludouicus* 401. *Antonius* 405. *Cęſarina*. *Petrus*. *Cęſar*. 407. *Gratioſa* 414.
Honeſti. *Vide Duces*.

I

Inſtrumentum Concordiæ, & Pacis intèr Vrbanum VI., & Communitatem Foroliuij 457. *Pactiones mutua ſtipulatione firmatæ*, *ibì*, & *ſeqq*.
Inſtrumentum Procuræ Communitatis Foroliuij, quo facultas Legatis tribuitur de agenda, & ſancienda pace 468. & *ſeqq*.
Ioannes à Foroliuio 50.
Ioannes à Foroliuio 120.
Ioannes à Foroliuio 149.

L

Lagbij. *Antonius* 135.
Lambertelli. *Guillelmus* 183.
Lancei. *Benedictus* 155. *Gaſpar* 445.
Lapi. *Carolus* 247.
Latioſi. *B. Peregrinus* 19. & *ſeqq*. *Intèr Sanctos relatus* 451. *Berengarius* 19. *Antonius* 141. *Paulus* 271. *Peregrinus* 281. *Carolus* 431.
Lauredani. *Andreas* 31.
Lerri. *Antonius* 239.
Lignani. *Franciſca* 144.
Liſardi. *Ioannes* 120.

Liuiani. Lucretia. Bartholomęus 431.
Ludouiſij. Alexander, poſteà Gregorius XV. 137.
Lombardini. Bartholomęus 199. Ioanna 200.
Ludouicus à Foroliuio 269.
Lyutberij. Vitalianus ſenior. Vitalianus iunior 362.

M

Macaluſſi. Iulianus 51.
Mambelli. M. Antonius 211. & ſeqq. Nicolaus 211. Philippus 212.
Mangelli. Andreas 145. Franciſcus 146. Traianus 145. Antonius Maria 288. Horatius 448.
Manfredi. Bartholomęus 271. Cornelia 371. Barbara. Saphiria 376.
Malateſtæ. Ioanna 264. Thaddęa 268. 387. Ferratinus 326. Galeottus 339. Catharina 341. 419. Paula Blanca 420. Conteſſina 426.
Maldentij. Felix 78. Maſius 274. Manfredus 281. Ceccus. Maldens 322. Nicolaus. Ferrans. Hippolytus. Octauianus 450. Camillus 469.
Marcheſij. Thomas 51. Bernardinus 132. Alexander 154. Laurus Antonius 159. Sigiſmundus 301. Andreas. Georgius 302. Thaddęus 421. Ioannes Baptiſta 449.
Marcianeſij. Baptiſta 282. Nicolaus 284.
Marcus à Foroliuio 119.
Marinelli. Seuerus 312.
Marſciani. Nicolaus 68.
Marſij. Cicchinus 469.
Marſilij. Iacobus 423.
Martinelli. Bonifacius 132.
Martinenghi. Hieronymus 433.
Maſerij. Bernardina 80. Peregrinus 135. 147. 148.

148. 452. *Bernardinus* 148. *Hieronymus* 219. *Balthaſſar* 304. *Peregrinus* 449.
Maſini. *Nicolaus* 132.
Maſtrij. *Bartholomęus* 181. 278.
Mathildis Comitiſſa relinquit Ferrariam, & *Patrimonium Rom. Eccleſiæ*, *ſedente Paſchali II.* 63.
Matthæij. *Franciſcus* 151. *Hieronymus* 196. *Fabritius* 287. *Vincentius* 294. *Fabritius* 407. *Pompeius* 407. & *ſeqq.* *Franciſcus* 407. *Proſperus*. *Petrus*. *Hippolytus*. *Vincentius* 411.
Matthęus à Foroliuio 153.
Maximi. *Franciſcus* Maria 437.
Mazzę. *Thomas* 167.
Mazzonij. *Gaſpar* 454.
Medicei. *Ioannes* 299. *Ioannes II.* *Coſmus I.* *Laurentius Senior* 378. 442. *Laurentius iunior* 393. *Catharina* 432. *Petrus* 442. *Coſmus* III. 89. 159. 187. *Coſmus* II. 179. 184. 202. *Ferdinandus* II. 185.
Menghij. Matthęus 141. *Hieronymus* 167. *Eugenius* 216. *Hector* 253.
Mercuriales. *Hieronymus* 191. & *ſeqq.* *Ioannes* 196. Maximilianus. *Camilla*. *Octauia*. *Margarita* 161.
Merendæ. *Antonius* 178. & *ſeqq.* *Fabritius*. *Antonius*. *Vincentius*. *Hippolytus*. *Iacobus* 178. *Ioſeph*. *Iulianus* 288. *Ioſeph* 295.
Merlini. *Franciſcus Maria* 131. *Camillus* 136. 452. *Clemens* 137. & *ſeqq.* *Philippus* 139. *Marcellus*. *Coſmus* 140. *Petrus* Martyr 144. *Mercurialis* 185. *Antonius* 277. *Franciſcus* 283. *Chriſtophorus* 284. Guido 449.
Michilini. *Iacobus* 207. *Paula* 209.
Minciocchij. *Franciſcus* 253. & *ſeqq.* *Petrus Paulus*

lus 256. 258.
Miſſiroli. *Ioannes Baptiſta* 23.
Modeſtus *à Foroliuio* 50.
Moltani. Gentilis 340.
Monſignani. Marcolinus 143. *Angelus* 158. *Ioannes* 200. *Eliſeus* 278. *Alexander* 282. *Fabritius* 302.
Montonus, & Ronchus *flumina vndè ſcateant*. 6.
Morandi. *Nerius* 136.
Moratini. *Bartholomeus* 125. *Andreas* 270. *Raynerius* 271. *Iacobus* 279. 468. *Ioannes* 293. *Bartholomeus* 294. *Iſidorus* 306. *Ioannes* 324. Nannes 390. *Balthaſſar* 443. *Andreas*. *Sebaſtianus* 444.
Morgagni. *Ioannes Baptiſta* 203.
Mutiliana. *Ioannes Franciſcus* 259.

N

Naldi. *Dionyſius* 393. Mattheus 406. Babo 447.
Nardini. *Stephanus* 68. & *ſeqq*. *Nardinus*. Geſumina. *Chriſtophorus* 68. 72. 122. 426. *Tiberius* 72. 123. *Petrus Paulus* 73. 378. 389. *Ioannes* 122. *Nardinus* 320. *Eorum origo* 72.
Nicolaus *à Foroliuio* 279.
Nauarra. *Cyprianus* 440.
Numai. *Chriſtophorus* 73. & *ſeqq*. 398. 451. *Antonius* 78. 126. *Violantes* 114. *Ioannes* 119. *Ioannes II*. 121. *Alexander* 124. *Benus* 150. *Cyprianus* 153. *Iulianus* 290. 468. *Andreas*. *Ioannes* 290. *Ioannes*. *Thomas* 291. *Luffus* 295. *Antonius* 299. *Pinus* 324. *Antonius* 297. & *ſeqq*. *Bartholomeus* 297. *Simon* 410. 434. *Hippolyta* 411. *Hieronymus* 429. *Franciſcus* 451. *Carus* 468. *Vndè originem duxerint* 73.

Octa-

O

Octauij. Ptolomęus 63. 64.
Oliua. Fabius 299.
Organi. Guillelmus 256.
Ordelaphi. Leonarda 48. Catharina 98. Peppus 118. Scarpetta 120. Sinibaldus 141. Theobaldus. Theodoricus 265. Ordelaphus 266. Franciſca 269. Sinibaldus. Antonius. Ceccus 325. 328. Franciſcus 325. & ſeqq. Ludouicus. Sinibaldus. Honeſtina. Scarpetta 340. Ioannes 340. 341. & ſeqq. Catharina 344. Pinus 371. 423. & ſeqq. Sinibaldus. Lucretia. Catharina 376. Allorius II. 381. Ceccus III. 387. Antonius 388. Pinus II. 388. Allorius I. Sinibaldus I. Philippus. Scarpetta I. 411. Scarpetta II. 412. Pinus 414. Sinibaldus II. 417. Ceccus I. 418. Ludouicus 429. Ioannes. Theobaldus. Sinibaldus 419. Georgius. Theobaldus 421. Antonius I. 424. Ceccus. Lucretia 423. Antonius II. 429. Eorum origo 412.
Orgolioſi. Azzo 96. 97. Superbus. Orgolioſus 263. Orgolioſus II. 265. Paganinus. Lambertuccius 266. Petrus. Rambertinus 267. Guido 268. Marcheſius 326. 416. Orgolioſus 326. Rambertuccius 385. Superbus II. 414. Adeleta. Maldes. Caratus. Nicolaus 416. Ioannes 439.
Orlandini. Ludouicus 157.
Opicij. Alemannus 440.

P

Paduanij. Halideus 200. 296. Fabritius 201. Franciſcus 201. Petrus Antonius. Angelus 292.

Alexander

Alexander 300.
Pagani. M. *Antonius* 160. & *ſeqq*. *Maynardus* 382.
Palatini 271. *Iacobus* 122.
Palmeggiani. *Marcus* 257. *Palmeſanus* 468.
Pallauicini. *Ioannes* 371. *Manfredus* 385.
Panciroli. *Ioannes Iacobus* 145.
Panſecchi. *Petrus* 156. 206. *Bartholomeus* 292.
Pantaleones. *Iulius* 431.
Paſij. *Iacobus* 436.
Paſqualij. *Philippus* 261.
Parcitani. *Parcitanus*. *Catharina* 455.
Paulini. C. *Clodius* 303.
Paulutij. *Hieronymus* 44. & *ſeqq*. *Franciſcus* 84. & *ſeqq*. *Ioannes*. *Fabritius* 80. 130. *Lucretia* 84. *Fabritius* 88. & *ſeqq*. 451. *Coſmus* 88. *Carolus* 146. *Ioſeph Ferdinandus* 147. *Ludouicus* 272. *Hieronymus*. *Ceccus*. *Simon*. *Paulutius* 273. M. *Antonius* 290. *Bernardinus* 433. *Aloyſius*. *Ioannes* 437. *Iacobus* 449. *Vndè originem duxerint* 419.
Pedrelli. *Vincentius* 454.
Peppi. *Guido* 238. *Aliottus* 382.
Peppuli. *Ioannes* 327.
Peretti. *Felix*, *poſteà Sixtus V*. 161.
Perlini. *Hieronymus* 202. 435.
Petrignani. *Octauianus* 307.
Philippini. *Guido* 468.
Piazzæ. *Iulius* 92. & *ſeqq*. 451. *Franciſcus* 92. *Ioannes Baptiſta*. *Chriſtophorus*. *Copinus*. *Ludouicus*. *Vincentius* 95. *Camillus* 131. *Eorum origo* 95.
Pichi. *Conſtantia* 376.
Picinini. *Iacobus* 372.

Pignattæ.

Pignattæ. Laura 395.
Piranni. Ludouicus 102. *& ſeqq.* 452.
Pij. Albertus 74. *Camilla* 370. 442.
Placentini. Hieronymus 307.
Polentani. Hoſtaſius 416.
Pontiroli. Baiocius 150. 176. *Fabritius. Thomas.* *Petrus* 186. *Franciſcus. Romagnolus* 191.
Portij. Antonius 184. *Franciſcus* 468.
Pungetti. Benincaſa 468.

R

Rafaini. Paulus 276.
Raffanelli. Petrus 468.
Rambottini. Rambottinus 413. *Fridericus. Martinus. Seraphina. Martinus* II. *Franciſcus* 414.
Rampones. Franciſcus 279.
Rangonij. Catharina 151. 371. 423. *Hugo* 151. *Guido* 421.
Raſponij. Ioannes 134. 290.
Raynerij. Paſchalis II. *Pont. Max. Foroliuienſis* 55. *& ſeqq. Iura eius Patriæ, & Prouinciæ latè probantur* 65. *Creſcentius* 55. *Vualfridus* 59. 381.
Reſpublica Foroliuienſis, quos olim terminos Ditioni ſuæ poſuiſſet 3.
Riarij. Raphael 152. *Hieronymus* 380. 389. *Octauianus. Cęſar. Ioannes. Liuius. Galeatius. Sfortia. Franciſcus. Blanca. Dogenardus. Deſiderius* 39. *Eorum origo* 161.
Riceputi. Philippus 303.
Richelmus à Foroliuio 118.
Rodulphi. Petrus 161.

Romanelli.

Romanelli. *Sebaſtianus* 426.
Roſetti. *Flaminia* 137. *Iacobus* 272. *Ioſeph* 283. *Cęſar* 293.
Roſpiglioſi. *Iulius* 145.
Roſſani. *Franciſcus* 166.
Rubei. *Ceccus* 236. *Bernardus* 281. *Ferrans* 409.
Rauaildini. *Gaſpar* 142. *Vide Blondi*.

S.

Sacerdotes. *Ferrans* 304.
Saſſi. *Taſſolinus* 418.
Salimbenij. *Scipio* 449.
Salomonij. *B. Iacobus* 43. 424.
Saluoli. *Franciſcus* 156.
Saporetti. *Franciſcus* 167. *Auguſtinus* 277.
Sauorelli. *Franciſca* 92. *Valerianus* 159. *Hieronymus*. *Philippus* 166. *Abſalon* 284.
Saxi. Ioannes 443. *Angelus* 446. *Saſſinus* 469.
Saxatelli. Ioannes *Baptiſta* 154. Ioannes 393.
Sbaraleæ. Ioannes *Hyacintus* 227.
Scanelli. *Franciſcus*. *Bernardinus* 300.
Scaramuccia de Foroliuio 422.
Scriuij. *Anna* 450.
Serughi, *olim Xelij*. *Aghinulphus* 433. *Bernardinus* 443. *Andreas* 446. *Thomas* 448. *Ioannes* 450.
Serræ. Ioannes 467.
Sigiſmundi. Ioannes 279.
Solombrini. *B. Nicolaus* 32. & *ſeqq*. *Liuius* 34.
Sfortiæ. *Aſcanius* 153. *Catharina* 299. 389. *Polixena* 426.
Spadæ. *Bernardinus* 140.
Spreti. *Camillus* 23. *Valeria* 218.

Surdi. Liuius 239. Chriſtophorus 305.
Suriani. Angelus 277.

T

Tabacini. Aurelius 157.
Tartagni. Laurentius 134.
Taurelli. Titus 17. Hieronymus 38., & ſeqq. Thomas 38. Thomas II. 133. 290. Coſmus 135. 290. Petrus Paulus 143. 297. Sigiſmundus 164. Salinguerra 266. Baptiſta 272. Antonius 282. Franciſcus 297. Titus II. 297. Chriſtophorus 359. 422. Titus I. Franciſcus I. 424. Fabritius 433.
Taurini. Hieronymus 407.
Tauruſij. Dominicus 90.
Terdocij. Catharina 38.
Tertij. Gherardus 360.
Theodoli. Marius 78. & ſeqq. Theodolus. Iacobus. Hieronymus 78. 127. Albertus 97. Gregorius 97. 98. Ioannes Ruffus 114. & ſeqq. Antonius 114. Iacobus 131. 154. Laurentius 142. Marianus 143. Ioannes 154. Georgius 274. Ioſeph 306. Ioannes Baptiſta. Theodula. Maria 436. Georgius 446. Cęſar 447. Vndè originem duxerint 114.
Thomas, & Petrus à Foroliuio 182.
Thomaſoli. Ioannes 376.
Tiberti. Franciſcus [illegible]9. Polidorus 324. Fabius 431.
Tomacelli. Helena. Andreas 361.
Tornielli. B. Bonauentura 29. & ſeqq. Opizo 29. Bonifacius. Philippus 319.
Torrecontes. Antonius 467.

Trauer-

Trauerſarij. *Ambroſius* 103. 156.
Treccij. *Ioannes* 343. 420. *Henricus* 420.
Trincij. *Agnes* 361.
Triuultij. *Monacus* 348. *Antonius* 360.
Tuſcani. *Mattheus* 323.

V

Valbonæ Comites. *Salbaticus* 201. *Lucius*. *Leoncius*. *Malateſtinus* 415.
S. Valerianus Eques, & *miles* 11. & *ſeqq.*
Vaiani. *Lactantius* 289.
Vaini. Iacobus 361. Ioannes *Baptiſta* 430.
Valerij. *Samuel* 49. *Petrus* 449.
Valorij. Baccius 405.
Vannini. *Ludouicus* 127.
Vbaldini. Martia 334. *Ioannes* 343.
Vectigal quale, & *quantum Ordelaphi ſoluerent Pontificio Ærario ſub Vrbano VI.* 464.
Vergerij. *Vincentius* 436.
Veſtimenta militaria ex ferro à quo ad vſum reuocata 354.
Veſtrij. *Albericus* 345. 349.
Vgolini. *Vgolinus* 433.
Vicecomites. Galeatius 385.
Viriati. Xantus 215.
Vitalij. Petrus 275.
Vrbeuetani. *Vgolinus* 182.
Vrcei. *Antonius*, *cognomento Codrus* 216.
Vrceoli. *Ioſeph* 186. Ioannes. *Petrus Paulus* 187. *Ioannes I.* 272. *Marinus* 433.
Vrſelli. *Franciſcus* 41. & *ſeqq.* *Antonius*. *Guido I.* 41. *Guido II.* 42. *Laurentius* 287. *Valerianus* 281. *Sebaſtianus* 435. *Ioſeph* 436. *Vgutio*.

Tancredus 440. *Hieronymus* 449.
Vrſij . *Ioannes Baptiſta* 136. *Ludouicus* . *Andreas* 323. 389. *Ceccus* 389. *Galeottus* . *Ceccus* 449.
Vrſini . Neapoleo 98. *Leo* 129. *Paulus* 351. 353. *Neapoleo* 380. *Virginius* . Ioannes Iordanus. *Carolus* 393. *Franciſcus* 440. *Raymundus* 467.
Vuaſtallæ . Martinus 165.
Vuilducij. *Raynaldus* 163.

Z

Zampeſchi, *olim Armutij* . *Italianus* 357. & *ſeqq.* *Controuerſia eius Patriæ* 261. *Mutius* 357. *Ioannes* 361. 378. *Antonellus* 374. 377. & *ſeqq.* 395. *Brunorius* I. 381. 392. & *ſeqq.* *Hector* 381. 427. *Meleager* 381. 428. *Brunorius* II. 392. *Liuienſis euidentèr probatur* 395. *Antonellus* II. 430. *Baptiſta* . *Claudia* 395. *Cleopatra* . *Hippolyta* 431. *Eorum origo* 357.
Zauli . *Liuius* 449.
Zeni . *Apoſtolus* . *Petrus Catharinus* 238. *Petrus* 360.

Cum propè

CVm propè ineuitabiles Typographorum errores occurrere conſueſcant, hìc maioris momenti corrigendos, minoris autèm relinquendos benigni Lectoris tolerantiæ, ac correctioni exiſtimaui.

Pagina	*Linea*	*Errata*	*Corrige*
4.	3.	Ditionis	Regionis
7.	31.	Friderici II.	Friderici I.
11.	10.	Martij	Aprilis
24.	2.	Nouembris	Decembris
37.	20.	magis	magnis
43.	7.	Octobris	Nouembris
44.	31.	1725.	1625.
45.	9.	Martij	Aprilis
48.	6.	Martij	Aprilis
48.	26.	Nigris	Vegris
54.	2.	nùnc	modò
63.	31.	Auguſti	Septembris
64.	12.	clericali	clericalis
65.	6.	Ianuarij	Februarij
65.	8.	Tranſportinam	Tranſpontinam
68.	10.	vndequeque	vndequaquè
74.	25.	profuturum	profuturam
78.	2.	Martij	Aprilis
80.	9.	Iulij	Auguſti
86.	21	Martij	Aprilis
88.	22.	Innocentius XII.	Innocentius XI.
90.	12.	Iulij	Auguſti
90.	16.	proſpectæ	perſpectæ
90	28.	conſequuti	conſequutæ
94.	13.	XIV.	IV.

Pagina	*Linea*	*Errata*	*Corrige*
97.	23.	Honorio II.	Honorio III.
103.	24.	Camalduenſis	Camaldulenſis
104.	15.	contuliſſet	contuliſſe
106.	15.	Ac	At
109.	13.	adetarent	adſtarent
112.	14.	celebatur	colebatur
115.	27.	tiara	tiara tradita
116.	18.	& ad capeſſendã	ad capeſſendam
117.	2.	Auguſti	Septembris
121.	12.	IX.	VII.
122.	2.	honeſtiſſima Legatione	honeſtiſſima inſigniuit Legatione
123.	22.	Tibertus	Tiberius
129.	14.	Septembris	Octobris
139.	13.	ROMÆ	ROTÆ
148.	26.	1618.	1718.
151.	11.	Deceſſoribus	Succeſſoribus
156.	25.	cui	à quo
161.	27.	Octobris	Nouembris
164.	14.	aperuiſſet	aperuiſſent
166.	20.	ab	ad
205.	20.	reſtitueret	remoueret
212.	24.	Cinonij	Cironij
214.	3.	certè	certi
221.	12.	inſignita	inſignitæ
222.	11.	Iàm	Tàm
226.	28.	Reg. 8.	Reg. 6.
229.	30.	cap. 4.	cap. 1.
230.	18.	abſolutę	abſoletę
231.	31.	edita	caſtigata, & ab Aldo edita
239.	11.	Orlandi	Rolandi

240.

Pagina	*Linea*	*Errata*	*Corrige*
240.	2.	diuitas	diuitias
240.	10.	iudiciariam	fallacem
249.	3.	etiàm extrà limites	etiàm limites
250.	20.	hanc	hac
264.	21.	Ioanne	Ioanna
273.	9.	inſigne	inſigni
274.	28.	1274.	1474.
280.	25.	1638.	1368.
288.	27.	præſcriptum	proſcriptum
289.	8.	quæ	qui
291.	17.	ineuitabilis	ineuitabiles
298.	1.	ornauit	orauit
303.	14.	numero	numerum
306.	26.	ſequerentur	ſequeretur
307.	23.	prophano	profano
321.	13.	delitiuit	delituit
324.	2.	Pontificij, cum	Pontificij conſultus, cum
325.	22.	Robertuus	Robertus
326.	14.	delecto	delectu
326.	21	poſita	depoſita
327.	6.	Actoribus	Auctoribus
342.	4.	diù	non diù
349.	8.	Angelus	Anglus
360.	22.	delabentes	dilabentes
381.	10.	Fauentinę militię	Fauentina militia
384.	11.	Hugona	Hugone
388.	28.	Nicolai	Nicolai Caſtri Durantis
394.	13.	locatus	locatum
404.	14.	Comardæ	Camardæ

Pagina	*Linea*	*Errata*	*Corrige*
409.	2.	quam	quod
414.	21.	domouit	domuit
415.	9.	ſplendidus	ſplendidius
416.	12.	duo	duos
435.	23.	ſed	nàm
443.	23.	conuerſus	conuerſum
456.	22.	auſus	auſus eſt

Supereſt dilucidandum Catharinam Mediceam, in pag. 432. Francorum Reginam appellatam, tùnc nondùm regiam Dignitatem induiſſe, adhùc regnante Franciſco I., Henrici Aurelianenſis Ducis eius Viri Patre; ne hiſtoricæ veritatis lumina obumbrentur.

Imprimatur Appendix, & Inſtrumentum &c.
Thomas Epiſcopus Foroliuienſis.

Imprimatur Appendix, & Inſtrumentum &c.
F. Iulius Vincentius Mancinus Firminus &c.
Vicarius S. Officij Foroliuij.